CAROLI CLVSII ATREBATIS

Rariorum aliquot Stirpium,
per Pannoniam, Auſtriam, & vicinas quaſdam Prouincias obſeruatarum
Hiſtoria,

QVATVOR LIBRIS
expreſſa:

AD
RVDOLPHVM II. IMP.
ERNESTVM,
MATTHIAM,
MAXIMILIANVM,
AVSTRIÆ ARCHIDVCES, &c.







ANTVERPIAE,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
M. D. LXXXIII.

IMP. CÆS. RVDOLPHO. II.
AVGVSTO, GERMANICO,
PANNONICO, BOHEMICO,

SERENISS. PRINCIPIBVS
ERNESTO,
MATTHIÆ,
MAXIMILIANO,

D. MAXIMILIANI. II. F. F. F. F.
D. FERDINANDI. I. N. N. N. N.
ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ,
DVCIBVS BVRGVNDIÆ,
COMITIBVS TIROLIS, &c.

HANC SVAM RARIORVM STIRPIVM,
PER PANNONIAM, AVSTRIAM, ET
VICINAS QVASDAM PROVINCIAS
OBSERVATARVM, HISTORIAM
CAROLVS CLVSIVS ATREBAS
DED. CONSECRATQ.

CAROLVS CLVSIVS OMNIBVS REI HERBARIÆ STVDIOSIS.



NVNC tandem, quàm in Hiſpanicarum ſtirpium hiſtoria vobis obſtrinxeram fidē, libero, ſeriùs haud dubiè quàm multi exoptaſſent, & quàm ipſe conſtitueram. Sed multa ſubinde præter ſpem incidunt, quibus noſtra conſilia perturbari, atque iis moram iniici contingit. Sic mihi variis & longis peregrinationibus ab anno M. D. LXXIX. occupato, Pannonicarum ſtirpium, quas anno ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimū obſeruare incepi, hiſtoriam hactenus abſoluere non licuit: vt taceam aduerſas & pluuias tempeſtates, quæ ſæpenumero meos conatus interturbarunt, & ad Alpium aliorumque præcelſorum montium radices progreſſum, à ſummorum iugorum (in quibus perquirendæ erant, quas obſeruare animus erat, plantæ) conſcenſu repulerunt. Qua adeò de cauſa totam ſuperiorem æſtatem in perluſtrādis aliquot montiū ſummis iugis (quantum per ſerenam aëris temperiem licuiſſet) impendere decreueram, vt meam hiſtoriam abſolutiorem vobis traderem: ſed ab amicis admonitus, iſtam diutinam moram pleroſq. iniquiùs ferre, eam qualis qualis eſt in publicum proferre malui, quàm vos veſtra expectatione diutiùs fruſtrari.

MAXIMAM verò earū quas hac Hiſtoria complexus ſum partem, à nemine (cuius quidem lucubrationes

brationes legerim) hactenus esse obseruatam certus sum: ingenuè vicissim profiteor, nonnullas me inspersisse, quæ ab aliis obseruatæ quidem fuerint, sed quarum vel descriptio mutila sit, vel natales non respondeant, vel in quibus necessariæ quædam notæ sint prætermissæ.

QVONIAM porro in istis meis peregrinationibus nonnullas obseruaui, quarundam etiam icones & descriptiones ab amicis accepi, quæ nostro argumento deseruiebant, eas in suas classes inferre, & commodis locis inserere libuit, vt tanto absolutior fieret nostra historia.

INSVPER multarum aliarum, quarum historia ab aliis iam pridem est prodita, obiter mentionem facio, quòd vicinis his prouinciis eas nascentes deprehenderim, licet pleræque aliæ regiones iis etiam abundent.

EARVM prætereà stirpium, quarum historia in Appendice ad Hispanicas obseruationes fuit tradita, descriptiones retexui, auctiores feci, atque passim quibus oportebat locis insertas, in secundum librum retuli, quoniam pleraque quæ ad illarum historiam pertinebant, interea temporis exactiùs me obseruare contigit.

CETERVM meum hunc laborem, tametsi vestræ forsitan expectationi non respondentem, boni consulturos, & candidè, sicubi lapsus sum, interpretaturos confido. Quod si feceritis, reliquā quam mihi Deus opt. max. concedet vitam, ad vestra studia, pro meo modulo promouenda, impendendam esse scitote. Valete, Viennæ Austriæ Cal. Decembris, anno reparatæ Salutis humanæ CIↃ IↃ LXXXII.

IVSTI LIPSI de hoc libro Eulogium.

Qvi solus veterem nouámque Floram,
Et solus veterem nouámque Hygêiam
Pernouisti, & ad intimos recessus
Naturæ penetrasti, amice CLVSI:
Qui quod noster habet quod alter Orbis,
Solus mente capis, stilo recludis:
Quam nos Pannonici tui labores
Iuuant! Pannonicas quibus per oras
Herbarum agmina mille, mille florum
Sedulus legis; & legenda nobis,
Nec legenda modò, sed & videnda,
Istoc porrigis in breui libello,
Docto, Iupiter, & bono libello!
Quem qui non amat æstimátque Lector:
Non amat veterem nouamq; Floram,
Non amat veterem nouámque Hygêiam.

Ad Clusij nomen lusus.

Omnia Naturæ dum, Clusi, arcana recludis:
CLVSIVS *haud vltrà sis sed* * APERTA *mihi.*

*Quo nomine Apollo priscis dictus, ab aperiendo.

IN CAROLI CLVSII OBSERVATIONES PLANTARVM.

TVRBA *frequens hominum longinqua per æquora currunt,*
Rarus at inde redit doctior & melior:
Tu raros inter numerandus es, optime Clusi,
Testatum præsens quod liber iste facit.
Namque peregrinis longo quæ tempore in oris
Indagare tibi cura laborq́; fuit,
Haud legere hîc tantũ calamo descripta fideli,
Verùm etiam ad viuum picta videre licet.
Iamq́; innotescunt totum diffusa per orbem,
Vix norant ipsi quæ prius indigenæ.

Ioan. Posthius Germersh.
Medicus & P. L.

IN OBSERVATIONES PANNONICAS C. V. CAROLI CLVSII ATREBATIS.

P*Ostquam Pannonias intrasset* Clusius *oras*
Auspiciis, CÆSAR MAXIMILIANE, *tuis:*
Lustrauit montes celsos, vallésque profundas,
Munera natiui vt disceret alma soli:
Cuius

Cuius in aduentu fama est saltasse Napæas,
Et quæ præterea Numina terra colit.
Præ reliquis vario redimita hunc tēpora flore
Talibus affata est florida Flora *virum:*
Salue Pæoniæ decus immortale coronæ,
Inuia virtutis quem via nulla latet.
Te sine Naturæ *miracula clausa manerent,*
Te sine Telluris *pignora tecta forent.*
Non tibi sat fuerat Gades peragrasse remotas?
Quin animus terras addere Pannonias?
Accipe nunc igitur meritū Virtutis honorem,
Accipe de nostra, serta parata, manu:
His tu clarus eris venturo tempore Clusi,
Extinguentq́ tuum sæcula nulla decus.

Achilles Cromerus Nissen: Silesius.

CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM PER PANNONIAS obſeruatarum Hiſtoriæ

LIBER PRIMVS.



VEMADMODVM *Priore Hiſpanicarum mearum obſeruationum libro, arbores & frutices cõplexus ſum: eundem etiam ordinem in his Pannonicis obſeruationibus ſequi animus eſt, & ab exotica rariſſimaque arbore, ſimiliter illas auſpicari.*

DE LAVROCERASO.

CAP. I.

A *Nemine, quod ſciam, huius arboris hiſtoria prodita eſt: imò ne Herbariis quidem noſtræ ætatis, vt arbitror, cognita. Cùm autem ex earum ſit genere, quæ perpetua coma virent, elegantiſſimáque ſit aſpectu, merito primum locum in noſtris hiſce Commentariis ſibi vendicare videtur.*

EST verò *Laurocerasus (ſic enim appellare libet, illiúſque nominis cauſam poſtea explicabo) iuſtæ magnitudinis arbor, caudice recto, multis ramis donato, qui cortice ex viridi nigricante obducti ſunt, nouelli tamen omnino virent. Folia alternatim ramos ambiunt, non decidua, Lauri latifoliæ, ſiue potius mali Citriæ foliorum æmula, per ambitum nonnihil dentata, neruis* Laurocerasi hiſtoria.



aliquot ex media costa in latera excurrentibus, supernè splendentia, infernè nequaquam: color in vetustis ex atro virescens, in nouellis verò ex viridi pallescens: sapor amarus, nucleorum mali Persicæ, aut amygdalarum amararum æmulus. Flos nunquam mihi conspectus est, neque etiam ipse fructus ex arbore recens decerptus: sed qui Constantinopoli missus fuit sub initium anni 1574. & anno deinde 1581. forma ouali fuit, exigui pruni magnitudine, Sebesten fructui proximus, foris niger, rugosus, pulpam continens dulcem & edulem ceratiorum pulpæ modo, in qua latent bina aut terna semina plana spadicei coloris, plurimum accedentia ad Loti aphricanæ vulgo Guaiacanæ nuncupatæ semina: vt testes esse possunt amici, quibus hoc anno misi in Belgium, atque etiam ante septennium, cum Galatensibus siue Peranis pruneolis, albis, oblongiusculis, acidis.

Porro biennio pòst, sub initium Ianuarij 1576. ab Ill^ri Domino Dauide Vngnad, Cæsareo apud Turcarum Imperatorē Oratore, eius arbusculam accepi humanam altitudinem excedentem, brachiali crassitudine, cum aliquot aliis rarioribus fruticibus. Verùm cùm asperrima esset hiems, & negligenter ab eo qui eos aduexit, curati fuissent: omnes in itinere radicitus perierunt, præter hanc & Castaneam equinam, de qua proximo capite: imò parum abfuit, quin & hæc periret. In fornicem autem cum eodem doliolo in quo aduecta fuerat, eadémque terra, intuli: vnde cùm Aprili exemissem, eiúsque ramos omnino siccos deprehendissem, illos ad viuum resecui, & vasculum loco vmbroso reposui, ne à solis radiis nimium exsiccaretur, atque facilius repullularet. Cœpit tandem Autumno secundum radicem aliquot germina proferre, quæ cum ea trunci parte cui inhærebant, (resecta inutili & sicca parte) in aliud

vas transtuli, diligentérque deinde alui, vt nunc elegantem habeam arbusculam: reliqua etiam germina, vbi paulo altius excreuissent, in terram inflexa radices egerunt, aliásque arbusculas mihi dederunt, quas & Principibus viris & amicis communicaui.

Longior paulo in his recitandis, & fortè Lectori molestus fui: non potui tamen ea silentio præterire, vt intelligant studiosi, quibus difficultatibus ad huius rarissimæ stirpis possessionem peruenerim.

Trabiſon curmaſi Dactylus Trapezuntin.

CÆTERVM *missa fuit hæc arbuscula* Trabiſon curmaſi *nomine, quod Trapezuntinum dactylum interpretati sunt. Sed quandoquidem nihil cum Palma commune habeat: non admodum propriè hoc nomen illi inditum fuisse arbitror.*

Bellonius lib. 1. Obseruationum cap. 44. inter arbores perpetuò virentes recenset Trapezuntinam quandam ferentem cerasa: meminit & eo libello, cui de Ratione cicurandi siluestres arbores titulum fecit, cap. 20. & Lauroceras um appellat: illius tamen historiam minimè describit, nisi quòd eodem capite illius ramum, mali Citriæ ramo æqualem facit, & eius prægrandē arborē Genuæ in horto Principis d'Oria se postea vidisse asserit. Cùm verò huius nostræ folia maximam similitudinem cum mali Citriæ foliis habeant, neque illi defluant, & Trapezunte Constantinopolim, vt nomen indicat, primùm allatam fuisse verisimile sit, eam esse omnino existimo, quam Bellonius obseruauit.

Laurocerasus.

Laurocerasi autem nomen, quantum coniectura assequi possum, illi imposuit à foliorum cum laurinis similitudine, & fructu cerasis æquali: tametsi postremo loco ex Pliniana historia id inuenisse affirmet. Verùm nusquam apud Plinium Laurocerasi vocem legere memini: is quidem lib. 15. cap. 25. vbi Cerasi genera enumerat,

merat, de cerasis lauro insitis agit. Minus quinquennium est, inquit, quòd prodiêre quæ vocant laurea, non ingratæ amaritudinis, insita in lauro. Hanc autē quam proponimus arborem, ipsum intelligere, vix mihi persuadere queo. Cerasus laurea.

Sed cum aptiore appellatione careamus: neque sine iudicio Bellonius ea vsus esse videatur, Laurocerasum cum ipso nuncupabimus, donec ex Veterum monumētis commodius aliquod inueniamus. Si cui tamen Palmæ trapezuntinæ vocabulum, quod Constantinopoli adepta est, aut Cerasi trapezuntinæ, vt Bellonius etiam gallicè vsurpat, magis arridet, eo vtatur, per me licet. Cerasus trapezuntina.

DE CASTANEA EQVINA.

CAP. II.

EQVINAM *Castaneam Cl. V. Matthiolus commentariis in 1. lib. Dioscoridis descripsit: quoniam tamen nondum apud nostros homines, aut certè rarissimè conspecta est, & cum superiore mihi egregiè adoleuit, illius etiam historiam proximè illam adiicere libuit.*

FRIGORIS *patientissima est hæc arbor, vmbraq́ & aqua, vt Platanus, delectari videtur. Autumno autem, cùm folia amisit, protinus amentaceum quiddam extremis ramulis gerit, et turgidū, quasi parturiat, pingui ac lento humore cōspersum, in quo culices & huiusmodi insecta hærent, totáque hieme ita perdurat, donec ineunte vere, & præmaturè admodum, gemmæ in folia sese explicent, quæ palmata sunt, & plerunq. septena numero, vni eidémque pediculo inhærentia, tenella initio & dilutiore virore prædita, deinde venosa, rugosa, longa, ab infima parte sensim in latum excrescentia, & per oras crenata, mucronata cuspide, supernè virentia, infernè candicantia, amariusculo sapore: pediculi* Castaneæ æquinæ historia.

 quibus



quibus inhærent oblongi, bini semper æquali situ, opposito tamen, alternatim ramos amplectuntur: nouelli rami virent, adulti cinereo cortice obducti sunt, sub quo latet alius succulentus, viridis, lignum ambiens, vt in Sambuco, vel Acere latifolio, cui huius arboris (quantum quidem ex ea quam vnicam alo deprehēdere licet) materies persimilis est. Eius flos aut recens fructus nondum mihi conspecti sunt: at qui Constantinopoli annò 1581. hoc nomine allatus est, vulgari castaneæ æqualis fuit, non in mucronem desinens vt illa, sed planior, & orbiculari alioqui forma, tuberculo quodam superiore parte eminente, quod sensim gracilescens, ad pronam vsque partem extenditur, germen (quod istic originem ducit) amplectens: coriaceo cortice integitur vti vulgaris, qui supernè spadicei coloris etiam est, sed infima; qua suo echinato calyci adhæret, exalbidus, similem propemodum notam impressam habet, qualis in vesicariæ repentis seu peregrinæ semine conspicitur, sed longè maiorem, nec ita candidam: singularis est hic cortex, nec aliam tunicam aut lanuginem intra se occulit, quemadmodum nostrates castaneæ: firma & solida constat carne, candida vt vulgares, at non adeò grati saporis, sed amaricantis potius, præsertim si vetustior & sicca sit, qualem ego degustaui.

VETERIBVS *ignotam fuisse hanc arborem cēseo, quādoquidem nullius earum quæ ab illis descriptæ sunt, historiam legere memini, quæ huic arbori conuenire deprehendatur.*

Turcæ at ceestanesi, *vel* ad castanesi, *id est equinæ castaneæ nomine insigniunt, quoniam eius fructum deuoratum, anhelosis & tussientibus equis plurimum auxilij adferre comperiant.* At ceestanesi. Ad castanesi.

DE PLATANO, ACERE, ET SORBI GENERIBVS, CAP. III.

Platanus. TAMETSI *Platanus in his regionibus sponte non nascatur: quoniam tamen eam cum duabus superioribus Constantinopoli accepimus, mihique & aliis quibusdam egregiè prouenit, illius mentionem hîc obiter facere libuit, cuius historiam apud alios videre licet.*

Acer. SIMILITER *& Aceris, quod foliorum similitudine proximè ad eam accedit: cuius in Viennensi saltu, & aliis vicinis siluis duo obseruantur illa genera, à plerisque iam descripta.*

Latifolium. *Latifolium oblongiore florum vua, candidiore & laxiore materie, quod ab imperitis Platani nomine donatum est: id Gallis* Plane *dicitur, Vngaris* Iauor fa.

minus. *Alterum minore folio, firmiore materia, crassiore cortice, ab imperitis in Gallia Sycomorus nuncupatum: id Gallis* Erable, *Vngaris* Ihar fa *appellatur.*

Torminalis Sorb. SORBVS *item torminalis cognominata Viennensi saltui, & plerisque aliis Austriæ & Pannoniæ siluis familiaris est, cuius fructus Octobri Viennam venalis in forum adfertur, à tenuioris fortunæ hominibus, & pueris admodum expetitus: Vngari* Barkocza fa *vocant, Germani* Adlasber.

Aria cognominata. FREQVENS *est & iisdem locis, præsertim verò inter saxa & rupes, id Sorbi genus quod nonnulli Ariam Theophrasti esse censent, folio corili aut alni fere, sed prona parte omnino incano, fructum ferens torminali proximum, sed colore differentem, qui ruber est, minimè edulem, & à nullo animantium quàm ab auibus expetitum.*

Aucuparia Sorb. AVCVPARIA *etiam cognominata Sorbus, à baccarum vsu, quòd iis hieme Aucupes turdis & merulis insidiari*

insidiari soleant, foliis fraxini: Vngaris vörös berkinye, *Germanis* Vogelber *dicitur*.

A T *legitima Sorbus foliis superiori proxima, mollioribus tamen & nonnihil pubescentibus, satis etiam vulgaris est, fructumque fert plerisque expetitum, præsertim verò mulierculis & pueris: ea Vngaris* Berkinye fa *dicitur, Austriacis* Aschritzn. Legitima Sorbus.

DE ROBORE ET QVERCV.

CAP. IIII.

V A R I A *alunt Pannoniæ & Austria Roboris & Quercus genera, quorum cùm pleraque aliis prouinciis communia, iam descripta habeamus, minimè operæ precium est eius historias hîc retexere.*

D V O *verò hîc Roboris genera inueniuntur, in montanis & saxis satis frequentia.*

Vnum Quercus fere magnitudine crescens, sed strigosius, ligno duriore, folio minus amplo, & altera parte nonnihil incano, exiguam glandem & magnam gallam ferens, minus tamẽ frequentẽ quàm Hispanicum robur, mihi in Hispanicis obseruationib. descriptum, cui alioqui proxime respõdet: id à duritie Austriaci & Styriæ incolæ Stainaichel *appellant, Vngari* Kemêni cher fa. Robur latifolium.

Alterum humile est, nec humanam altitudinem excedit, fruticis potius, quàm arboris nomine donãdum: tenuibus & lentis ramis, foliis alteri fere similibus, sed minoribus, nec adeò sinuosis, minorum gallarum, quæ plerumque binæ, ternæ aut plures simul nascuntur, admodum ferax: eius nullum vulgare nomen intellexi. Robur humile.

Q V E R C V S *porro genus non modò in Viennensi saltu, sed etiam in plerisque Pannoniæ siluis frequens est, eadem altitudine qua vulgaris quercus, atq. etiàm celsiore assurgens, caudice erectiore, corticéque crassiore* Cerri historia.

& magis scabro: folia frequentioribus incisuris sed minus altis diuisa habet quàm quercus, & longioribus tenuioribúsque pediculis inhærentia: ramulos breuiores, frequentioribus nodis obsitos, gemmas minores, & aliquot gracilibus foliolis ceu staminibus aut villis septas: calyces breui crassóque pediculo annotinis ramulis adnatos, non in foliorum alis, omnino hispidos & molliter echinatos, in quibus glans est querna paulo breuior, & obtusiore mucrone prædita, quæ autumno maturitatem consequitur: adhærent interdum inter folia, multis veluti squammis constantia capita.

Rustici & materiæ cæsores optimè eam à quercu vulgari distinguere norunt, illius materiem candidiorem, laxiorémque, & ad opera minus aptam censentes.

PLINIVS *Naturalis historiæ lib. 16. cap. 5. Cerrum vocat, Theophrasto Plantarum historiæ lib. 3. cap. 9. αἰγίλωψ dicitur: Germanis* Cerraichel/ *Ungaris verò* chér fa.

Cerrus αἰγίλωψ.

Lithoxyla.

HVIVS *Cerri crassiorum atque etiam tenuiorum ramorum libralia interdum aut maiora fragmenta in lapides commutata, ipsaque adeò matrice in nigrum silicem conuersa (superficie tamen candida & friabili remanente) atque naturales ipsius ligni venas, orbes, reliquámque formam etiamnum retinentia; non modò eruta conspexi, & Ill. Herois Dn. Balthásaris de Batthyan (cuius in hac historia mentio sæpè fiet) munere habui: sed ipse etiam legi in montis Eysenberg vulgo nuncupati & Pinkæ fluuio Pannoniæ imminentis accliui, qua ad vallem* Pinka thal *ab eiusdem fluuij eam perluentis nomine nuncupatam, descensus est, atque ad Austrum & λιβόνοτον spectat.*

Mós ferreus.

Obsitus olim is mons fuit (quemadmodum adhuc vicini) Quercus & Cerri arborum siluis: nunc verò vi-



netis generosissimi vini feracibus, quibus variis locis inspersæ sunt diuersi generis præstantissimorum maximorumque persicorum malorum arbores. Est autem hic mons cum vicinis aliquot pagis iam memorati Ill. Dn. de Batthian.

Latifolia quercus exotica. A T *in eodem Viennensi saltu, Latifoliæ amplissimas arbores inueni anno 1578. cuius omnes glandes è longis pediculis dependentes, maxima ex parte non modò obsitæ, sed quasi inclusæ erant viridi quadam excrescentia multis inæqualibus angulis prædita & scabra, quæ resiccata, gallarum modo dura & firma erat, quarum etiam vicem explere potuisset. An id vitium illi peculiare sit, & singulis annis recurrat, me latet, qui semel dumtaxat per eam saltus partem iter fecerim.*

Viscum quercinum. C E T E R V M *latifolia Quercus per multas Pannoniæ siluas, visci feracissima est: id Vngari* fay gyöngy *vocant; ipsam verò arborem,* Töly fa, *Ilicem esse existimantes.*

DE ILICE.

CAP. V.

N O N *incommodè forsitan hoc loco meminisse licebit duarum Ilicis maioris arborum, quas anno 1581. Londini Trenobantum in Anglia nō sine admiratione vidi.*

Ilex maior. P R I O R *longè amplissima & celsissima, latissimaq;*
1. *in orbem diffusâ coma, qua vix maiorem in Hispaniis cōspexi, alitur in suburbano quodam horto ad dextram Tamesis fluuij ripam, supra pontem qui vtramque vrbem coniungit, multis & frequentibus prædita ramis, admodum fragilibus, in quibus confuso ordine & sparsim nascuntur folia Hispanicæ foliis similia, supina parte viridia, prona verò incana, densa siue crassa, in ambitu serrata & aculeata dum annotina & recentia sunt, at*

vetusta



vetusta sine spinis, pauloq. rotundiora & minora: multos in extremis ramulis fert florum iulos, uti Hispanica, qui in flosculos flauos & muscosos explicantur, polline & tenui puluere perfusos: glandes non ex floribus oriuntur (nam sunt inutiles) verùm ex aliis quibusdam separatis pediculis, quæ an maturitatem consequantur me fugit, ego duntaxat primum emergentes conspexi sub finem mensis Maij, quo tempore plurimis floribus abundabat.

II. ALTERA *etiam vastæ magnitudinis, in arcis regiæ ad Westmonasterium horto nata est, magnitudine tamen cum superiore non cōferenda, licet adeò crasso sit caudice, vt nemo amplecti queat. Hæc à superiore nonnihil differre mihi visa est foliis, quæ minora & magis orbiculata habet, buxeis interdum non ampliora, neque vllis aculeis horrentia, alioqui subtus incana, & supernè eodem modo virentia, & inæqualiter in ramis confusóque ordine nascentia: nullos in ista flores obseruaui, & an fructum ferat, nemo indicare potuit.*

Prioris ramum suis floribus onustum, quoniam in Hispanicis obseruationibus Ilicem cum fructu solummodo exhibui, in studiosorum gratiam hîc adiecimus.

DE PINASTRO ALPINO PVMILIONE, ET ALIIS CONIFERIS. CAP. VI.

Pinastri pumilionis historia. HVMANAM *non superat altitudinem hic Pinaster: sed statim à radice in lentos & obsequentes, tametsi crassos, atque rugoso & denso cortice tectos ramos diuiditur, inque latitudinem diffunditur, quos per singulas squammas bina semper ex eodem tubulo simul prodeuntia & iuncta folia ambiunt, quemadmodum in Pino & vulgari Pinastro, magis tamen carnosa sunt, crassiora, breuiora, & obtusiore mucrone prædita, coloreq́ saturatius*



ratius virente: strobili vnciales squammatim compacti lariceos conos magnitudine non superant, sed magis turbinati sunt, rectique, non deorsum pediculo inflexo, vti in vulgari, nucleus alatus, vulgaris modo, & inter compactiles squammas latens: radix crassa, lignosa, in diuersa tendens.

Crescit in summorum Austriæ & Styriæ alpium superciliis inter saxa & rupes plerumque, vbi nullæ aliæ arbores nascuntur.


Pinaster Pin⁹ siluestris — πεύκη ἀγρία. — prior. — alter.

PINASTRI *porro vulgaris (ita enim Pinum siluestrem appello, Plinium sequutus, qui, quæ Theoph. Plantar. histor. lib.3.cap. 10. de πεύκῃ ἀγρίᾳ scribit, ad Pinum siluestrem transtulit) duo hic obseruãtur genera, adeo sanè inter se similia, vt pauci, nisi materiæ casores, discernere queãt: alterum lætiore & erectiore arbore, læuioreque cortice* Weisse ferent/ *alterum contorta & tristiore arbore, magisq. scabro cortice* Schwartze ferent *nuncupantes.*

Tenuia & oblonga habet vtrumque genus folia, pungentia, bina semper coniunctim ex eodem tubulo prodeuntia, & circa ramos in orbem quasi nascẽtia. Maio mense in extremis ramis quasi botros siue vuas quasdam fert tenuibus squammis obsitas, qui sponte aperientibus se squammis iulos ostendunt virescentes aut pallescentes, plenos tenui polline luteo siue farina quæ leuis auræ afflatu dispergitur. Ex mediis deinde botris noua germina prodeunt suis nouellis foliis tenui quodam & membraneo pericarpio inclusis onusta eodem mense, quæ extrema sui parte, antequam folia succrescant & explicentur, fructus rudimentum dant, grandiore iam firmiterque ad germinum basim inhærente superioris autumni immaturo fructu, & viridi, sursum spectante & reflexo. Vtrumq. hoc genus Vngari vad fenyö *appellãt.*

SED





Sed tertium quoddam genus ad nonnullorum Austriæ mõtium radices in scopulis, & supra thermas Badenses in mõtium crepidine tenui gramine obsita crescit admodum contorto caudice, diuaricatis ramis, quorum ramuli multo tenuiores lentioresque sunt quàm in superioribus duobus generibus: folia habet illis multo breuiora & tenuiora, tametsi bina semper cõiunctim ex eodem tubulo in ramorum circuitu nascẽtia: extremis ramulis botrus siue vua exiguorũ iulorum veluti nucamento tenuiorum squammarum inclusa adnascitur, qui non virescunt aut flauent, vt in superioribus, sed purpurascunt, deinde in tenuissimum puluerem abeunt, succrescente ex eorum medio nouo germine, suis nouellis foliis membrana vel vesicula inclusis onusto: huius conus aliis minor est. Pinaster tenuifolius.

Quæ verò πίτυς, *quam Gaza piceam vertit, apud Theophrastum sit, difficulter indicari posse existimo: quandoquidem eius materiam operibus ineptam esse, & magnitudine pino minorem minúsque erectam assurgere scribat.* πίτυς.

At quæ Plinio picea dicitur, quæque etiam id nomen apud huius ætatis rei herbariæ scriptores retinet, mea opinione nihil aliud est, quàm Theophrasti loco iã dĉto ἐλάτη ἄῤῥην, *id est, abies mascula, arbor procera, & in metæ modum crescens, foliis breuibus & pungentibus, vndiquaque ramos singulatim cingẽtibus, qui cruciformiter & decussatim in arbore nascuntur, quam ob causam Vngari* keröztös fenyö, *hoc est cruciatam abietem nuncupant: Germani* feuchten *appellant. Fert verò ea Maio mense in extremis ramis singulares iulos pallescẽte farina plenos, deinde strobilos siue conos mollibus squammis imbricatim compositis constantes, purpurascẽtes dum nouelli sunt & primùm nati, deinde paulatim* Picea. ἐλάτη ἄῤῥην.




latim in longitudinem excrescentes, quæ in maturis interdum septem aut octo unciarum est, sub quibus exiguum alatum semen superiori simile fouetur.

Illius autem genus reperitur, quod pumilum manet, fertq́; quædam nucamenta, nucis ponticæ siue auellanæ magnitudine, è squammulis imbricatim compositis, sed in pungens foliolum desinētibus cōpacta, quæ maturitate dehiscentia, cōcauas inanitates & veluti cellulas ostendūt: à summis & extremis nucamentis ramuli nonnunquā enascuntur, frequētibus, breuibus, & pungētibus foliolis obsiti: sed & tota arbuscula breuiorib. & pallidioribus foliis quàm vulgaris prædita est. In hac neq. florem, neque fructum obseruaui: & haud scio an ferat. Picea pumila.

A B I E S *autem Plinij,* ἐλάτη θήλεια, *hoc est, abies fœmina Theophrasti est, arbor celsissima & formosissima, cortice læui, & candidiore quàm in picea, ramis etiam decussatim crescentibus, & in latera velut alæ expansis, quos ambiunt folia plana in iunioribus & bifido mucrone conspicua, supernè viridia, infernè cinerea, & vtrimque veluti pectinatim disposita, quæ deinde in vetustis arboribus, istum ordinem (nisi in tenellis ramis) non seruant, & rigidiora magisque obtuso mucrone redduntur. Adultæ arbores circa maiorum ramorum extremos quasi ramulos prona parte in singulorum foliorum alis exigua quædam nucamēta interdum ferunt, è quibus singulares breuésque iuli emergunt, qui deinde in flosculos explicantur: perdurantque nonnunquam in alterum annum ea nucamenta. Tenuiores ramos solent Viennenses, quando venale vinum habent, ante suas ædes suspensos proponere, quoniam illis hederæ vicem præbent. Germani* Thannen *nominant; Vngari* fenyö fa buk aleueley ëg felöl. Abies. ἐλάτη θήλεια.

S E D *celsissima etiam est Larix, quam à Theophrasto* Larix.





nequaquam describi puto: nam quæ larix Gazæ dicitur, nihil aliud quàm πίτυς ἐστ, quam prioribus libris perpetuò piceam interpretatus eſt, interdũ autẽ eodem πίτυος vocabulo & piceam & laricem ſimul expreſſit.

CETERVM *Plinius de Larice agens, omnia illi adſcribit quæ Theophraſtus πεύκῃ tribuit, vt ex multis locis inter ſe collatis videre licet, quorum aliquot in medium proferemus.* Larix Plinij eſt πεύκη Theoph.

Theophraſtus Plantar. hiſtor. lib. 3. cap. 4: ἴδια δὲ τοιάδε τῶν ὀρεινῶν, ἃ ἐν τοῖς πεδίοις οὐ φύεται. περί τε μακεδονίαν, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς ἀγρία, φίλυρα *&c. Plinius Hiſtor. naturalis lib. 16. cap. 18. Montes amant cedrus, larix, teda. Rurſus eodem cap. Theophr.* ἀείφυλλα μὲν οὖν ἐστὶ τῶν ἀγρίων, ἅ καὶ πρότερον ἐλέχθη, πεύκη, πίτυς ἀγρία, πύξος, ἀνδράχνη. *Plin. eiuſdem libri cap. 21. Silueſtrium generis folia non decidunt abieti, larici, pinaſtro, iunipero, cedro, terebintho, buxo &c. Theoph. præterea eiuſdem lib. cap. 10.* διαφορὰν δὲ ἔχει μεγάλην πρὸς τὴν πεύκην. πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνειν. τὴν πίτυν δὲ φασί τινες ἀναβλαστάνειν ὥσπερ καὶ εἰς λέσβον ἐμπρησθέντος τοῦ πυῤῥαίων ὄρους τοῦ πιτυώδους. *Plin. eiuſd. libr. cap. 10. Larix uſtis radicibus non repullulat, picea repullulat, vt in Leſbo accidit, incenſo nemore Pyrrhæo.*

Hinc factum eſſe arbitror, vt perpetuam Larici comam tribuat, cùm tamen ipſa experientia aliud nos doceat: etenim folia quæ vicena, & plura nonnunquam ſimul ab eodem exortu è turbiculis ramos confuſo ordine ambientibus naſcuntur penicilli modo, tenuia, mollia, viridia, iis ferè ſimilia quæ Corrudam tertiam in Hiſpanicis obſeruationibus habere dixi, perennia non ſunt, ſed ineunte hieme decidunt, & nouo vere alia ex iiſdem tuberculis renaſcuntur: rami longi ſunt & graciles, Larici folia hieme decidunt.

 deorſum

deorſum propendentes, in quibus vnciales coni è mollibus ſquammis imbricatim ſibi inuicem incumbentibus compoſiti, dum nouelli & recentes ſunt, ex rubro pulcherrimè purpuraſcentes, ex iiſdem tuberculis, è quibus folia naſcuntur, breui & craſſo firmóque pediculo & ſurſum reflexo nitentes, vt mucrone cœlum ſpectent, qui paucula alata ſemina continent. Germanis hæc Lerpaum; *Vngaris* vörös fenyö kibol terebintina lezön. *Illud autem animaduertendum Vngaros omnibus arboribus coniferis iam memoratis* fenyö *nomen, quod propriè apud eos Iuniperum ſignificat, adſcribere, quoniam folium ſpinæ ſimile, & quaſi iuniperinum habeant.*

OMNES *porro hæ arbores maxima copia creſcunt cum in Viennenſi ſaltu, tum aliis montibus, Alpibus vicinis, atq. etiam in ipſis Alpibus, exceptis earum ſummis iugis & ſuperciliis, vbi nullæ præter pumilam primo loco deſcriptam permanere poſſunt.*

Vinetorum pedamenta & pali Viennenſi agro ex abiete fiunt: circa Neapolim verò, & ſupra Badenſes thermas, totóq. illo tractu ex larice (nam ea abundant) vtpote corruptioni minus obnoxia.

Fiunt item iſtic ex larice longiſſimi canales, tectis ſupponendi & aptandi, ad pluuias & imbres ex iis decidentes excipiendum, ſunt enim commodiſſimi: nam cùm firmæ & ſolidæ materiæ conſtent, diutiſſimè ſolis ardoribus, & aliis aëris iniuriis reſiſtere poſſunt, nec finduntur aut vicium contrahunt, eâque de cauſa, nec picis, alteriúſve rei inductione egent. Horum magna Canales ex larice miræ longitudinis. *copia Viennam aduehitur quinquaginta pedum aut amplioré longitudine.*

Hæc habui quæ de coniferis arboribus in his prouinciis naſcentibus dicerem: de quibus qui plura cognoſcere

 volet,



volet, Petri Bellonij latinum libellum, cui titulum fecit De coniferis arboribus, legat, eúmq. cum iis quæ Matthiolus in primum librum Dioscoridis cap. de Pinu & Picea commentatus est, conferat.

DE IVNIPERO ALPINO.

CAP. VII.

Iuniperi alpini historia.

ELEGANS *est hoc Iuniperi genus, nec antea mihi obseruatum. Cubitalem autem non excedit altitudinem, sed depressum est, & quasi humi spargitur: multo tamen crassioribus breuioribúsque constat ramis quàm vulgaris, lentis etiam, fractu contumacibus & contortis: tenellos ramos ambiunt terna folia, æqualiter semper nascentia, vt in vulgari, verum latiora, breuiora, crassioráque, nec minus quàm illa pungentia, colore interius ex cæruleo candicante, exterius viridi: florem non obseruaui: fructum verò in ramulis gestat vulgari similem, paulò tamen (vt mihi quidem videtur) longiorem, ante quàm plenam maturitatem consequatur: deinde, vbi maturuit, nigrum, eiusdémque cum illo saporis.*

Crescit in scopulis Durrestein & Etscheri, quibus duntaxat locis inueni Augusto mense pauculas stirpes fructu maturo & immaturo onustas.


Quantum ex gustu deprehendere licet, facultates à vulgari non absimiles possidebit.

DE MYRICA PANNONICA.

CAP. VIII.

Myricæ historia.

MAGNVS *frutex est, Gallica aut Hispanica Tamarice nō multo minor, sed nunquam vt illa arborescit, brumam tamen etiam ferens, & riguis vt illa gaudens: virgæ huic sunt crassiores, folia crassiora, & latiora: singulis*



singulis annis nouos surculos producit cubitales, virides, omnes plerumque in quandam spicam palmaris aut semipedalis longitudinis desinetes, è floribus ex albo purpurascentibus confertam, quinque foliolis constantibus, gallicæ flosculis maioribus: quibus succedunt calyculi oblongi & mucronati, qui dehiscentes papposum semen salicis modo ostendunt: ex maiusculorum foliorum surculos ambientium alis enascuntur alij ramuli exiguis foliolis onusti.

Copiosè ad flumen Drasen iuxta D. Hippolyti phanum, vulgo Sant Pelcken *nuncupatum, quod octo ab vrbe Vienna miliaribus abest, nascitur: atque etiam ad flumen* Schwartze *oppidum* Neukirche *alluens binis supra Neapolim Austriæ miliaribus: præsertim iis arenosis locis, quæ hieme ab iis fluminibus inundantur. Floret Maio & Iunio, ac deinceps tota fere æstate flores & semen proferre non desinit.*

Similem huic quibusdam locis Germaniæ ad Rhenum fluuium, & in Tyrolensi comitatu nasci intelligo. Sed & superiore anno Londini in plerisque hortis satis frequentem vidi.

A D *siluestrem Myricam hæc etiam referenda est, vt in Hispanicis obseruationibus obiter annotaui.*

Non dubium est, quin iisdem facultatibus prædita sit, eadémque præstare possit, quæ Tamarix à veteribus descripta.

De Erica.

CAP. IX.

Erica coris folio.

A L I T *etiam hæc Prouincia peculiaria Ericæ genera, quæ in aliis obseruare non memini.*

1\. H V M I *diffusa est prior Erica, & latas occupat areas, multis ramis lignosis, flexilibus tamen constans,*

Erica baccifera.

ex atro




ex atro rufeſcente cortice tectis, qui interdum fibras agunt, vt latius ſerpere poſſint, alimentúmque ſufficiens melius attrahere: aſſurgentes ramulos numeroſa ambiunt foliola, ternis, interdum quaternis verſibus diſpoſita, craſſa & carnoſa, Ericæ bacciferæ Luſitanicæ ferè ſimilia, ſapore primùm linguam exſiccante, deinde acri & linguam vellicante: floſculi ad foliorum exortus puſilli, tribus foliolis conſtantes, colore herbaceo; his ſuccedunt baccæ rotundæ iuniperis haud minores, primùm virides, per maturitatem verò nigræ, & purpureo ſucco, vti mora, plenæ, in quibus multa grana inæqualia & veluti triangula: radix lignoſa & dura.

Hanc florentem & viridibus baccis onuſtam, multáſque adhuc ſuperioris anni maturas baccas retinentem inueni in ſcopulis præcelſi montis, vulgo Wechſel *appellati, quinto ſupra Neapolim Auſtriæ vrbem miliari, menſe Iunio, atque etiam poſtea Auguſto, fructu immaturo & maturo plenã in* Sneberg *&* Snealben/ *celſiſſimarum Auſtriæ & Styriæ alpium iugis.*

II. *Erica altera.* MVLTOS *teretes humíque procumbentes ramos Altera habet, pedales, aut cubitales interdum, ex atro purpuraſcentes. Hos plurima exigua oblongáque ambiunt foliola, Ericæ tertiæ hiſpanicæ ferè ſimilia, paulò tamen longiora, quaternis plerumque, interdum etiam quinis verſibus ordine diſpoſita, adſtringente guſtu: floſculi in ſummis ramulis oblongi, concaui, purpurei dilutioris coloris, ex quatuor foliolis eiuſdem ferè coloris prodeuntes, qui exiccati & maturi, nigricans & minutum ſemen continent: radix dura, lignoſa, in diuerſa tendens: ipſi tamen procumbentes rami, humíque diffuſi tenues nonnunquam capillareſque fibras agunt.*

Copioſe admodum creſcit ſupra Seehof *in aſcenſu* Herren alben *ſupra ſecũdum lacum: inueni etiam inter*

ſaxa &





saxa et scopulos in ipsis praaltis iugis Durrestein, Snealben, atque aliarum alpium: similiter & in iis qua ad alpes excurrunt montium iugis; vbi Maio floret, in aliis verò sólummodo Iunio, semen autem Iulio maturescit.

TERTIA *minor est, pedalémque altitudinem rarò superat, & magna ex parte humi procumbit, foliis quaternis, ramulos, contrariis inter se pediculis, semper ambientibus: flores secundum ramulorum summã longitudinem inter folia dependent, cani, pusilli, in quatuor angulos desinentes, herbaceo colore praditi: deinde semen: radix etiam dura & lignosa.* III. Erica tertia.

Maxima copia nascitur in ascensu montis illius qui superandus est iis qui Gaminga ad Seehof vicináque loca proficisci cupiunt, quo loco & florentem, & foliacea capitula proferentem Augusto mense collegi: neque vsquam alibi conspexi.

ÆQVALI *cum superiore hac excrescit altitudine, tenuibúsque virgulis pradita est humi etiam diffusis, ex purpura nigricantibus, qua summa parte in multos plerumque ramulos desinere solent: folia in ordines & versus digesta, vt in reliquis, tenuia admodum, Erica sexta Hispanica similia, ternáque semper quemadmodum in illa, aquali inter se situ virgulas ambientia: summi ramuli onusti sunt cõcauis & oblongis flosculis, per extremum in quatuor angulos sectis, colore cum quatuor illis foliolis vnde enascuntur, carneo, octonis staminulis nigricantibus, stilóque purpurascente è medio flosculo emergentibus: semen per maturitatem nigricans exiguum: radix aliis similis lignosa. Adnascuntur interdum huius etiam ramulis viridia capitula, è latioribus foliolis compacta, capitulorum Thymi modo.* IIII. Erica quarta.

Inuenitur hac apud arcem Stichstain in silua illi



imminenti, alia item proxima ad sinistram oppidi Neukirche silua, aliisque montanis Pannoniæ siluis. Floret Aprili & Maio, quo tempore aspectu venustissima est.

CERTVM *est priorem eam esse quam Matthiolus in montibus qui Boemiam à Silesia distermināt inuentam, bacciferam cognominat, ac describit, tametsi pulpam subuirescentem suæ fructui tribuat, quæ in mea nigricat, & purpureo succo manus inficit: sed fortè cùm eam obseruauit, baccæ nondum plenam maturitatem erant consequutæ. Multum autem differt ab Oxycocco Cordi, siue Vacciniis palustribus Dodonæi. Erica enim non nisi in præcelsorum montium iugis & scopulis inuenitur: illa verò duntaxat in palustribus, cum in Belgica, tum plerisque Germaniæ locis: huius præterea folia crassa, vt dixi, & carnosa, acria sunt & linguam vellicant: illius verò latiuscula sunt, & prona parte cana, refrigerántque & adstringunt.*

AD ἐρείκην *Græcorum, Ericam aut Ericen Latinorum referendas esse has omnes plantas, præsertim ad eam quæ est Coris folio, censeo. Nullum harum ericarum primæ, tertiæ, & quartæ vulgare nomen intellexi, sunt enim montanis pastoribus innominatæ: sed secunda ab illis Zinnek appellatur.* ἐρείκη.

Alia verò Erica folio Myricæ passim in multarum Prouinciarum solitudinibus obuia, frequētissima etiam per Pannonias nascitur: ea ab Ungaris têli zöd, *id est hiemale viride nuncupatur.* Erica folio Myricæ.

De Cytiso.

CAP. X.

CYTISI *aliquot genera elegantia per Pannonias nascuntur, quorum nonnulla alibi nusquam mihi obseruata memini.*




PRIMVM *cubitales, maioréſque interdum habet virgas, lentas, vimineas, in multas alas diuiſas, quas ſparſim, & ſine ordine ambiunt terna perpetuò folia vni pediculo inhærentia, viridia, dorſo eminentiore, amariuſculo ſapore: ſummæ virgæ in oblongam ſpicam florum deſinunt, quatuor foliolis conſtantium, piſíque florum formam æmulantium, multo tamen minorum, colorísque lutei, ſuauis odoris melleúmque quiddam ſpirantis: ſiliquæ deinde ſuccedunt planæ, oblongæ, ſemen flaueſcens exiguum continentes: radix dura, lignoſa, oblonga, fibríſque rarioribus donata eſt.* I. Cytiſus prior.

Copioſè naſcitur non modò in omnib. ſiluis Viennenſis agri, & ad vias; ſed pleriſque etiam Pannoniæ locis, atq. in ea Auſtriæ inferioris parte, quæ veteri circumſcriptione Pannoniæ non continetur.

Creſcit & in Hercinia ſilua quæ Boëmiam vndique cingit: vbi florere incipit ſub finem Junij, & Auguſto plerumque deſinere ſolet: at in Pannonia maturius.

CVBITALES *nonunquam ſunt Alteri virgæ, rectæ, tenues, vimineæ, & lentæ: quas ab infimo ad ſummum vſque exornãt folia, terna vni pediculo inhærentia, ſuperiori ferè ſimilia, ſed omnino incana, anguſtiora, guſtu amaro, quæúe trita, pinguia eſſe videntur: ex ſingulis interdum foliorum ſinubus ramuli prodeunt, ſimilibus foliis, ſed minoribus obſiti, ferentes in ſummo quinos aut ſenos flores, loti pratenſis herbæ, quam à prægrandibus ſiliquis nonnulli ſiliquoſam cognominant, floribus perſimiles, coloris aurei, odoris non expertes: & ex folliculis deinde ſiliquas planas, oblongiuſculas, hirſutas omnino, atque in his ſemen ſubruffum, planum, nonnunquã tumidiuſculũ & rotundiuſculũ, durum, quod maturitate dehiſcentibus ſiliquis excidit: radix dura eſt & lignoſa, nigricans, & ſumma tellure ſparſa.* II. Cytiſus alter.

CYTISVS II.





Frequens est toto agro Viennensi, præsertim supra Phasianorum, & multis aliis cum Austriæ superioris & inferioris, tum Pannoniæ locis aridis propter vias.

Floret Iulio, & subinde usque in Autumnum, semen sub Augusti finem, & Septembri maturescit.

Integras sæpenumerò huius fruticis plantas cuscuta vulgari, quam legitimam Dioscoridis androsacen esse plerique existimant, obsitas inueni.


2. Cytisi secundi species altera.

Eius aliud genus est multo maius, crassioribus virgis, admodum hirsutis, erectis, foliis duplo amplioribus, floribus & siliquis maioribus: ipsi etiam flores colore magis aureo rutilant: iuxta sepes nascitur, rarius tamen & minus obuium superiore.

III. Cytisus tertius.

ALIQVOT *ramis præditus est Tertius Cytisus sparsis & humi fusis, tenuibus, lentis, & fractu contumacibus, qui nullis aut rarissimis foliis sunt obsiti, multos autem ex lateribus ramulos proferunt tenellos, hirsutos, in quibus folia longis pediculis innitentia, terno semper numero, superioribus breuiora, elato dorso, superne viridia, inferne incana lanugine pubescentia, gustu amariusculo, herbaceo odore: ex alarum in extremis ramulis, nonnunquam et per totos ramulos prodeunt terni aut quaterni flores simul iuncti, superiori forma similes, colore luteo, qui tamē, dum marcescere incipiunt, aureum colorem adeo saturum contrahunt, vt purpurascere videantur: folliculi, vnde flores emergunt, pallent & lanugine pubescunt: siliquæ superioribus paulo planiores, non minus tamen hirsutæ, semen continent exiguum subfuscum: radix dura, lignosa, iuxta quam rami per terram sparsi subinde fibras agunt.*

Sponte prouenit siluula quadā ad Lachen primo ab vrbe Vienna miliari, & plerisq. aliis locis vrbi vicinis: tū etiam in vtriusque Pannoniæ siluis atq. etiam in Interamni



teramni vltra Drauum flumen. Maturius floret superioribus, Maio videlicet, interdum etiam Aprili, & nouos interdum ex ramulis flores per totam deinde æstatem profert.

Cytisi tertij species altera.

Sed & huius generis alius inuenitur pedalibus virgis, tenuibus, viridibus, supinis & humi fusis, quas ambiunt folia superioribus similia: flores etiam similes extremis virgis quini, seni, aut plures simul congesti innascuntur, nulli autem per virgas sparsi vt in superiore: siliquæ & semina non differunt: virgæ, foliorum pars prona & siliquæ molli hirsutie pubescunt.

Inuenitur in Pannoniæ siluis, floretque Maio.

INTER Κυτίσου *Cytisi generæ referendos esse hos frutices certissimum est: iisdemque cum illo facultatibus præditos verisimile. Prioris historiam nostrum Lobelium in aduersariis prodidisse existimo: reliqua Herbariis nostræ ætatis prorsus ignota.*

De Colutea scorpioide cognominata.

CAP. XI.

CYTISO *cognatæ sunt hæ stirpes, ideóque proximæ illius generibus collocandæ.*

I. Colutea scorpioides elatior.

MVLTAS *Prior ex vna radice fert virgas bicubitales interdum & tricubitales, graciles, satis tamen firmas, in frequentes ramos diuisas: folia septem aut nouem vni costæ inhærentia & alata, bina semper ex aduerso sita, vno, quod imparitatem facit extremam alam occupante, Coluteæ foliis similia, sed minora, Polygalæ Valentinorum fruticātis in Hispanicis obseruationibus descriptæ fere paria, saturatius tamen virentia, gustu ingrato admodum & amaro: è singulis ramulorum alis prodeunt tenues pediculi sustinentes plerumque binos flores Coluteæ similes cum forma tum colore, sed minores & nonnu-*



& nonnihil odoratos: siliquæ non sunt crassæ & vento turgidæ, uti in illa, sed oblongæ, teretes, & quodammodo articulatæ, uti in Valentinorum polygala, longiores tamen, semina læuia, oblonga subfusci coloris, & ingrati saporis, singula in singulis articulis continentes: radix lignosa, longè latéque dispersa.

Colutea scorpioides humilior. *Est & alia humilior, humique se diffundens, quæ neque foliis quinis aut septenis uni costæ plerumque inhærentibus, neque floribus, qui pisiformes bini semper extremis oblongis pediculis innascũtur, à superiore differt: sed huius virgæ palmares duntaxat aut pedales hieme marcescere magna ex parte solent, & nouo vere denuo ex radice germinare: siliquæ & semina paria: radix similiter dura & lignosa latè se spargit, nonnullísque fibris donata est.*

Sponte nascuntur & ad Calenberg viciníſque Viennæ montibus abundè, tum etiam in nonnullis Pannoniæ montanis locis. Priorem in Belgicis hortis antè videram: cuius Pena & Lobelius in Aduersariis etiam meminerunt, qui in Valena silua agri Mompelliani nasci asserunt: Ea in hortis culta longè maior euadit. Posteriorem nunquam antea obseruare memini. Floret Maio.

II. Colutea scorpioides altera. A L T E R A *nititur radice crassa & lignosa, lenta tamen & flauescente cortice obducta, multísque fibris firmata: ex qua multas singulis annis producit virgas pedales, nonnunquam etiam cubitales, lentas, vimineas, læues, virides, & in his temerè sparsa folia, quina, septena, etiam nouena uni costæ inhærentia Polygalæ hispanicæ maiori simillima, saporis primùm exsiccantis, deinde nonnihil acrimoniæ in summis labris relinquentis: flores in alis foliorum oblongis virgulis inhærentes, copiosi, leguminacei, in coronam dispositi, lutei, Hispanicæ floribus persimiles, nullo grato odore commendati:*

semen

Colutea ſcorpioides humilior.





ſemen deinde in ſiliquis articulatim diſtinctis hiſpanicæ ſimile.

Creſcit in montium qui à Danubio & Calenberg illi ad dextram imminenti ad Alpes extenduntur radicibus, inter vepres & ad vinetorum margines. Floret Iunio, nonnunquam etiam Maio.

De Anonymo priore.

Cap. XII.

POLYGALÆ *vocabulum, & nonnullæ aliæ notæ faciunt, vt hanc ἀνώνυμον quidem, ſed elegantem, & nemini adhuc, vt arbitror, cognitam plantam ſuperioribus ſubiungam.*

Ex *radice longè lateque ſumma tellure ſerpente, lignoſa, flexili, & ſubinde capillares fibras agente, multi prodeunt lenti & obſequioſi ramuli, dodrantales, qua terra integuntur ad eorum exortum plerumque fibras agentes: folia in his buxi æmula fere, carnoſa, viridia, paulo tamen magis mucronata, confuſo plerumque ordine diſpoſita, guſtãtibus ingrata primùm, deinde amara & feruida: flores inter folia in extremis ramulis oblongi, terni aut quaterni, odoris expertes, nonnullis verò locis odoratiſſimi & narciſſinam quandam fragrantiam æmulantes, tribus foliolis conſtantes, quorum duo alba ſunt, & alarum modo ſurſum expanſa, galeola exalbida illorum exortum integente, tertium folium in oblongum veluti tubulum conuolutum eſt, ſurſum per longitudinem apertum, per extremitatem braccæ modo efformatum atque luteum, & vetuſtate interdum omnino purpuraſcens aut rubeſcens: floribus ſuccedunt latæ & compreſſæ ſiliquæ, Thlaſpi latifolij ſiliquis paulo minores, virides, quæ bina plerumque (nõnunquam verò vnicum tantum) continent grana, exigui erui magnitudine,* ἀνώνυμος Coluteæ flore.



tudine, colore ex cinereo nigricante, hirsuta, & veluti quoddam animalculum ementita, Polygala vulgaris maioris rubra (de qua secundo libro) semini haud absimilia, sed minora, qua aperientibus sese per latera loculis, sponte excidunt.

Frequens est non modò in montibus Medeling, & Badensibus thermis imminentibus, sed & in aliis ad Alpes excurrētibus, qui omni resiniferarum genere integuntur, inter saxa: atque plurimis Pannonia locis, vti supra Posonium, Sopronium & Zolonock. Floret Aprili & Maio, semē Iunio maturitatem adipiscitur.

NVLLVM *nomen huic suffrutici imposui, quòd non succurreret an à veteribus fuerit obseruatus: atque vt ansam studiosis praberem, diligentius illos excutiendi, si fortè appellationem aliquam aptam inuenire possint, ne perpetuò ἀνώνυμος maneat. Rusticis sanè neglectus est, eaque de causa nullo illum nomine vulgo dignantur: attamen nonnulli, quòd perpetuò vireat; Wintergruen appellari mihi dixerunt.*

DE CHAMÆGENISTA.

CAP. XIII.

GENISTÆ *illius, qua per vniuersam ferè Germaniam, Galliam, atque Angliam vulgatissima est, cuiúsque flores Belga muria condiunt, & capparum loco edunt, sponte nascentis per Pannonias aut Bohemiam nulla vestigia obseruare potui. Chamægenista verò duo genera plerisque locis sese obtulerunt.*

PRIMVM *multis palmaribus interdum etiam pedalibus aut maioribus virgulis humi diffunditur, teretibus, lentis, striatis, virentibus, & in aliquot ramos diuisis: per quos confusò ordine & quasi temerè sparsa sunt foliola, bina, terna aut quaterna, ab eodem exortu &* 1. Chamægenistæ historia.



tuberculo prodeuntia, Genistæ vulgaris germanicæ foliis similia, dorso eminentiore, & quasi complicata, supernè viridia, infernè nonnihil canentia, gustu amariusculo, & inter illa singuli aut bini flores lutei, quatuor foliolis constantes, Genistæ germanicæ floribus forma similes, sed minores, nullo interdum, aut certè perexiguo odore præditi; nonnunquam satis odorati: siliquæ succedunt plana, hirsuta, exiguum flauescens semen Cytisi generibus simile continentes: radix est dura, lignosa, aliquot fibris donata: sed et virgulæ secundum radicem, qua terra integuntur, plerumque fibras agunt.

Nascitur multis Pannoniæ locis ad viarum & silnarum margines, editis & siccis locis; desertisque nonnunquam agris. In cultis atque inter vepres interdum magis luxuriat & amplior fit. Floret Maio, nonnunquam etiam Aprili.

ALTERIVS *historiam, cùm ab aliis sit prodita, hîc retexendam minimè duxi.* II.

In sola verò Pannonia nunc (nam olim apud Heluetios & quibusdam Germaniæ locis colligere memini) sponte & copiosè nascentem hanc stirpem obseruaui in silua Nemethwywar Ill^ris Dn. de Batthyan arci munitissimæ proxima, atque supra Sopronium, sed omnium abundantissimè inter Sakturnya Ill^ris Comitis de Zrinio munitissimam arcem, & Fridaw Mag^ci Dn. Michaëlis de Zck arcem, in collibus. Chamægenista altera.

AVSTRIACI *Vngaris vicini Priorem* Gelbe klee, *hoc est, trifolium luteum appellant: Alterã Germani* Erdepfrimmen/ *id est, terrestrem genistam nuncupant: nonnulli Genistam sagittalem.* Genista sagittalis.

CETERVM *per Pannonias vulgatissima etiam est ea Genistæ species, spinis & aculeis horrens, quam nonnulli Genistellam spinosam nominant, Vngari* Iglicze, Genistella spinosa.

 hoc est,



hoc est, aculeatam, Germani Stichend pfrimmen. *Et suffrutex ille qui à tingendi vsu Floris tinctorij nomen vulgo obtinuit, quique Vngaris* Festö verág *dicitur.* Flos tinctorius.

De Anonide non spinosa.

CAP. XIIII.

Alunt *Silesiaca prata Anonidis quoddam genus à vulgari diuersum, quod ab aliis minimè obseruatum existimo.*

Multos *annuatim ex radice dura, lignosa & perenni fert surculos cubitales, & bicubitales, rotundos, lentos & vimineos, firmos tamen & admodum ramosos, molliq. lanugine obductos: multa folia alternatim caulem lata basi amplectentia, interdum singularia, plerunque autem terna ex eodem pediculo prodeuntia, molliora & ampliora quàm vulgaris: summæ virgæ & rami desinunt in oblongam spicam florum vulgari quidem similium, sed colore magis sanguineo: siliquas deinde persimiles vulgari, quemadmodum & semen fert. Tota planta lento quodam humore grauiter & hircinum olēte obsita est, Fraxinellæ fere odore, & nullo aculeorum vallo munita.* I. Anonis mitior prima flore purpureo.

Est *& aliud genus huic adeo simile (præsertim si vtrumque in hortis colatur) vt, ante quàm flores explicentur, nisi diligenter inter se conferantur, vix discerni queant: pinguius tamen paululū deprehenditur, nec adeo grauiter odoratum: præterea vbi sponte nascitur paulo candidius est: eius item flores, qui sunt lutei, breuiore spica nascuntur.* II. Anonis mitior flore luteo.

Prioris semen è Silesia nobis missum est Trifolij maioris & fœtidi nomine, & plantæ natæ. Alterum frequens nascitur cum in Gallia Narbonensi, tum Hispania & Lusitania. Floret vtrumque Iunio & Iulio. Trifolium fœtidum.

CVM *tota quasi facie Anonidem vulgarem, exceptis spinis, referant hæ plantæ, licebit eas Anonides non spinosas siue mitiores nominare. Posteriorem nonnulli Hispani ciceris genus esse autumabāt. Pena et Lobelius* Natrix Plinij. *Plinij Natricem esse censent, cuius lib. 27. cap. 12. meminit: sed in Plinij natrice radix duntaxat hircum olet recens eruta, non tota planta. Cúmque aliter eam non describat, difficile esse existimo posse indicare quænam illa sit.*

Fraxinella. *Olet & hircum quæ vulgo Fraxinella appellatur, cuiúsque radix Dictami albi nomine in officinis nota est. Illius passim in Pannonicis siluis Viennensibúsque saltibus inueniuntur duo genera: Vnum elatius, oblongiore florum spica, floribúsque saturatioribus & foliis nigrioribus: alterum humilius, breuiore spica, floribus & foliis dilutioribus: Vngari* Dictamus *vocant.*

DE CNEORO MATTHIOLI.

CAP. XV.

Cneori Matthioli historia. MVLTOS *habet ramos graciles, flexibiles, lentos & surculosos, qui ab ipsa protinus tellure emergunt & humi diffunduntur: folia sine ordine circum surculos disposita, viridia, cutanea, Thymeleæ veræ proxima, ingrati primùm, deinde amari saporis, nulla (quantum quidem gustanti deprehendere licuit) acrimonia prædita: flores in surculorum cacuminibus, sex, septem, aut plures, conferti, quatuor foliolis constantes, purpurei, Centaurij minoris florum fere æmuli, ingrati etiam & amari saporis, aspectu tamen pulcherrimi, atque odorati, & caput (si diutius naribus admoueantur) tentantes: iis succedit fructus exiguus Thymeleæ fructui haud dissimilis, sed oblongior & candidus, non ruber,*

semen



ſemen continens membrana cinerea tectum, rotundum, Thymeleæ grano par: radix oblonga, digiti minimi vt plurimum craſſitudine, nigricans, lenta, ſuperiore parte interdum gracilior, vnde rami flexiles & humi diffuſi emergentes, ſubinde ſecundum alarum caua ſatis craſſas fibras agunt.

Prouenit in multis montibus Viennæ vicinis tanta copia, vt ruſticæ mulieres, dum floribus abundat, multos eius manipulos in forum venales adferant, cum varij generis aliis floribus, exornandorum tricliniorum gratia. Naſcitur & in Pannoniæ ſiluis editiore loco ſitis vltra flumen Rabam.

Aprili plerumque florere ſolet, atque etiam Maio: fructus maturitatem conſequitur Iunio. Adeo autem fœcundus eſt hic ſuffrutex, vt ter ſæpenumero eodẽ anno floreat, nouis floribus ſemen ſemper conſequentibus, quod probè maturum bis eodem anno de iiſdem plantis colligere memini.

Cneorum albũ Theophraſti. MATTHIOLVS *commentariis in Dioſc. cap. De Cinamomo hũc ſuffruticem pro Cneoro albo Theophraſti proponit. Cùm verò doctiſſimorum quorumque iudicio Cneωrum Theophraſti à Thymelea et Chamælea Dioſcoridis non differat: cur potius huic id nomen accommodare malit, quàm illis, multis mirum videtur. Poſtrema autem editione cap. de Thymelea lib. 4. aliud nobis Cneoron Theophraſti adfert, nullis, vt ipſius verbis vtar, deficientibus notis. Sed cùm nudam imaginem addito Cneori duntaxat nomine noſtris oculis ſubiiciat, è planta ſicca ſibi Roma miſſa expreſſam, illiúſque hiſtoriam planè ſubticeat: ne ægrè ferat, ſi parum fidei ipſius aſſertioni adhibeamus.*

Ceterùm niſi in hac planta, acrimonia, quæ quidem ſenſu percipi poſſit, abeſſet, ad Thymeleæ genera, aut ipſi congene-

congeneres stirpes (quales multas inueniri in nostris Hispanicis obseruationibus monuimus) hunc suffruticem referendum esse censerem. Vulgare autẽ nomen cur apud rusticas mulierculas nullum inuenerit, satis mirari nequeo, quandoquidem illius flores ipsis adeò sint familiares & in delicijs. Inueniuntur tamen nonnulli rustici, qui Stein roselin / *hoc est, petræam rosulam appellent.*

EIVS *porro facultates sunt nobis incompertæ.*

DE ANONYMO ALTERO.

CAP. XVI.

MEDIAM *quandam inter superiorem, & Cisti humilis genera naturam adepta videtur hæc planta: ideóque mediam inter vtriusque historiã collocauimus.*

OBLONGIS *verò, interdum dodrantalibus tantum, serpit ramis, humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breuésque ramulos diuisis: folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita, exigua, Serpillo minora, Thymi durioris folijs haud multo maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, gustu amaro: extremis ramulis innascũtur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli, ex quinque foliolis compositi, colore quasi carneo: his succedunt capitula, quæ per maturitatem in quinque crenas dehiscunt, semenque exile admodum ostendunt: radix dura & lignosa est, aliquot fibris donata: quinetiam rami subinde tenues fibras agunt.* ἀνώνυμος foliis Thymi.

Nascitur tenui solo inter saxa, in summis Sneberg & aliarum Alpium iugis. Floret Iunio, interdũ etiam paulo maturius, atque vt arbitror statim post solutas niues. Exsiccata planta non iniucundo spirat odore.

NONDVM *mihi constat quò istam plantam referre*



debeam, eam ob causam ἀνώνυμον etiam reliqui, liberum cuique faciens, quo potissimum nomine eam appellare libeat: nisi fortè ea sit, quam Pena & Lobelius in Aduersariis Alpinam alteram vocant, & statim post Chamærhododendron odoram collocant.

De chamæcisto.

CAP. XVII.

In *Hispanicis meis obseruationibus, ad Cisti feminæ tertiam classem retuli eas plantas, quas nonnulli Helianthemon Plinij appellant, alij Panacen cheironium Dioscoridis esse censent, planè diuersas à Cisto folio Sampsuci, quem in secunda classe reposui.*

Illis congeneres aliquot in Pannonicis Noricisque montibus inueni, quarum historiam hoc capite describemus, quoniam ab aliis minimè esse obseruatas video.

Ramvlos *habet prior humi fusos, dodrantales aut maiores, multis oblongis angustisque foliis, nullo, vt plurimum, certo, sed confuso ordine dispositis septos, præter vulgarem in omnibus Cisti generibus foliorũ situm, sapore primùm veluti gummoso, deinde amaricante: bini aut terni extremis ramulis inter folia insident flores, quinis foliis constantes, colore luteo cum suis in medio staminulis: quibus succedunt trigona capitula satis magna, maiusculum & inæquale semen continentia: radix lignosa, dura, viuax, foris nigro cortice obducta, & in aliquot ramos sparsa.* I. Chamæcistus 1. angustifolius.

Rarior est, nec nisi in monte Badensibus thermis imminenti, atque in Hamburgensi pauculas plantas inueni florentes mense Iunio, quo tempore semen etiam perficit.

Dodrantalibvs *est etiam Altera ramulis, humi similiter diffusis, quos bina semper contrario inter se* II. Chamæcistus folio cano.






inter se situ sepiunt folia, Myrti tarentinæ foliorũ magnitudine, aut angustiora, supernè cinerea quadam lanugine obducta, infernè verò omnino incana, sapore adstringente, & nonnihil deinde amaro: pediculos postea exerit duarum aut trium vnciarum longitudine, quibus insident quini aut seni flores superiori cùm forma tum colore similes, capitula etiam trigona, minora quàm in superiore, semine inæquali, minuto, ruffo plena: radix superiori similis & viuax: pediculi flores sustinentes maturo & deciduo semine exsiccari plerumq. & confringi solent: qui in icone à sculptore corrupti fuêre.

Abundantissimè nascitur in omnibus illis montibus qui à Calenberg ad Alpes continua serie perducuntur: tum etiam in Hamburgensi, & aliis Pannoniæ locis, agris editioribus desertis siccísque, gramineis tamen. Floret Maio, semen maturum est Iunio.

III. Chamæcistus serpilli folio. MVLTOS *promit Tertia ramulos ex eadem radice, tenues, oblongos, summa tellure sparsos, subrubentes, in quibus exigua folia, ordine quodam & duplici serie, quemadmodum in reliquis Cisti generibus disposita, serpillo fere similia, nigricantia & hirsuta, crassáque: sub florum verò partum, in nouellis ramis longiora & candidiora: flores in extremis iisdem nouellis ramulis terni aut quaterni, oblongis & hirsutis pedicillis inhærentes, quinis foliis, vt superiorum flores constantes, illísque magnitudine pares, sed aurei planè coloris, & odorati: semen obseruare non licuit: radix multifida, aliquot fibris latè sparsis capillata.*

Nusquam nisi in summis Austriæ & Styriæ Alpibus inueni, semel mense Augusto florentem: in hortum verò translata Maio mihi floruit; sed flores cum suis pedicillis nimium caduci, omnem obseruandi seminis occasionem planè ademerunt. PAL-





PALMARIS aut paulo amplior est hæc, superioribus tamen firmior, multisque ramulis, lignosis, rectis & nigricantibus prædita, quos numerosa & adeò confertim ambiunt folia, vt gemino ordine digesta videantur, Myrti tenuifoliæ foliis non dissimilia, minora tamen, & hirsuta, licet atro virore supernè splendeant, sapor adstringens. flos vnicus, interdum alter extremis ramulis exit satis crasso pediculo subnixus, vnico quidem constans folio, sed quinque profundis crenis, iisdémque velut circinatis diuiso, vt quinque foliis constare quis putet, eadem qua superiores magnitudine, colore ex albo purpurascente, & quasi carneo dilutiore, decem staminibus extrema parte nigris, & stilo oblongo purpurascente medium florem occupantibus: floribus excussis apparent pentagona capitula, qualia in nonnullis Cisti generibus videre est, obtuso quodammodo mucrone, quæ maturitate aperiuntur, semenque continere deprehenduntur admodum exile, colore flauo. IIII. Chamæcistus myrtifolius.

Rarissima est hæc, & duntaxat prouenire deprehensa est in scopulis iugi Snealben florens sub mensis Iunij finem: semine verò prægnans Augusto in Veytzalben duobus supra Neuberg milliaribus. Eam in horto cicurare volui semel atque iterum ex iis iugis cum suo cespite desumptam: sed operam lusi.

NVLLVM nomẽ vulgare obtinent hæ plantæ, quod intellexerim, præter Secundam, quam nonnulli Rustici Heyl aller welt kraut, appellant, a præstanti videlicet curandorum vulnerum facultate: quo etiam nomine donari audio Helianthemum illud; cuius diuersa in his quoque Prouinciis inueniuntur genera.

Omnes autem etiam hieme folia retinent.

De Myrto-Cisto Pennæi.

Cap. XVIII.

Elegans *porrò ea est planta, cuius iconem Cl. V. Thomas Pennæus Londinensis medicus anno 1580. ad me misit, & subsequente anno Londini in Anglia siccam ostendit; quam ille ex Balearium insularum maiore, vulgo Maiorica nuncupata erutam μυρτοκίστον appellauit.*

Myrtocistus balearica.

Tricubitalis *interdum frutex est, scabro admodum cortice, & veluti quibusdam tuberculis obsito, qui in vetustis ramulis facilè abscedit & sponte decidit: foliis Myrti fere, dorso non minus scabro quam ramuli, supernè autem læuibus, coniugatim vt in reliquis Cisti generibus circa ramulos nascentibus: flores summis virgis insident lutei, quinque oblongis foliis constantes, & multis intus longiusculis staminulis præditi: his succedit oblongiusculum & pentagonum capitulum semine plenum.*

Tota stirps odorata est, & gummi siue resinam [lentorem potius & pinguem quendam succum quali Ledi genera madent.] *effundere videtur.*

De Ledo



De Ledo silesiaco.

CAP. XIX.

Cisti *Ledi generibus adnumerandum esse hunc non minus elegantem & rarum fruticem non est dubium, quibus odoris iucunditate proximum etiam est.*

Ledi Silesiaci historia.

Cvbitalibvs *autem interdum est virgis, firmis, lignosis, cortice cinereo obductis, quæ in summo in plures alias tenuiores & quodammodo purpurascentes, easque etiam nudas dividuntur: illa verò in alios dodrantales ramulos, virentes quidem, sed tomento quodam rubiginei coloris obsitos: quos nulla serie digesta sed confusa ambiunt folia, Libanotidis coronariæ foliis fere similia, sed longiora, supina parte viridia, adeoque in pronam partem reflexa & convoluta, ut eius nihil conspici possit præter nervum secundum folii longitudinem excurrentem, simili tomento, cum pediculo cui inhæret, pubescentem, grati & suavis odoris, acris autem saporis: summis istis ramis insident capita ex multis brevibus quasi squamis ferrugineis compacta, è quibus deinde sese explicat corymbacea quadã coma multorum florum, oblongis, tenellis, atque virentibus nonnihil tamen lanuginosis pedicellis inhærentium, grato odore nares ferientium, quinis foliolis albis constantium, non subluteorum (ut temere quidam, qui siccam fortassis plantam duntaxat conspexit, asserit) decem candidis staminulis cum stylo medium florem occupantibus: his demum succedunt capitula oblongiuscula, pentagona, ossiculis fructus corni nonnunquam magnitudine haud cedentia, quæ, dum adhuc virent, argenteis punctis distincta esse videntur, sed maturitatem adepta, rubiginei sunt coloris, semenque continent oblongum,*



gum, flauescens, adeoque exile, vt scobis e lignis à vermibus erosis sponte decidentis instar sit. Verum peculiare est in istis capitulis, vt per maturitatem deorsum inflectantur, terramque mucrone spectent, magna Naturæ prouidentia, ne semen temere effluat: etenim, præter reliquorum consuetudinem, a pediculo, non ab extrema cuspide aperiri & dehiscere solent. maturo semine, terni aut quaterni alij ramuli rubigineo tomento obducti cum suis foliis in comæ lateribus enascuntur, spem florum in sequentem annum pollicentes: radix lignosa, & breuibus fibris donata.

Tota planta odora est, præsertim cùm floribus onusta est, & aromaticum quiddam spirat: itaque mirum non est, si, vt testis est Matthiolus, vestibus inuciatur, ad præseruandas eas à tineis.

Nascitur in plerisque Silesiæ locis, vnde non modò aliquot stirpes erutas, sed etiam recentes ramos floribus elegantissimis & suo fructu onustos ad nos misit anno 1578. Doctiss. Vir Achilles Cromerus Nissenus, rei herbariæ studiosissimus & nunc R^mo ac Illmo Episcopo Vratislauiensi à secretis: qui nos etiam pro nostra amicitia peramanter admonuit, ad montium radices se aliquot plantas inuenisse, quæ flores sex foliis constantes duodenisque staminibus præditos proferrent. Insuper addidit, qui illi dux viæ fuisset, Venatorem adfirmare, similem plantam in summis montium iugis conspexisse, iam suis floribus ornatam, quæ digitalem longitudinem non excederet: nominatam autem ab eo Heydnisch binkraut, *hoc est peregrinam apiariam, quòd apes eius videlicet floribus delectentur.*

Floret sub finem Iunij & Iulio, maturescit Augusto et Septembri: inhærentq́ue interdum in sequentem vsque

annum

annum capitula, sic vt recenti flore, & fructus superioris anni vestigiis onusti rami nonnunquam conspici possint.

ROSMARINVM *filuestre vocatur hic frutex à Matthiolo: sed, vti dixi, ad Ledi genera potius referendus videtur, in qua sententia est doctiss. noster Lobelius: ideoq; Ledū Silesiacum nuncupaui. Si quis Boëmicum (quòd in Boëmia etiam nascatur teste Matthiolo) aut foliis Rorismarini cognominare malit, à foliorum cum illo similitudine, per me licet. Arbitror Cordo haudquaquam ignotum fuisse, & Plantarum historiæ lib. 1. Chamæpeucen ab eo appellari.* Rosmarinum sil. Matthioli. Chamæpeuce Cordi.

Non dubium est, quin, si quis periculum faceret, ad pleraque magni vsus futurus sit hic frutex. Atque adeò Silesij, teste Cromero, aduersus articulorum contractiones felicissimum eius vsum compererunt, totius plantæ decocto in solium infuso, cui ægri insideant, & subindè id repetant. Idem me huius oleo stillatitio, Nisseni pharmacopœi opera et diligentia vitreis organis extracto, superiore mense, hoc est Octobri huius anni 1582. donauit, quod sanè fragrans admodum cùm sit, & stirpis florúmque natiuum odorem retineat, easdem proculdubio facultates etiam obtinebit. Nondum tamen quisquam periculum fecit: sed non defuturos arbitramur qui breui experientur. Ledi Silesiaci facultates.

IISDEM *porrò locis quibus id Ledum crescit, nonnunquam inuenitur frutex quidam pedalis altitudinis, rarò amplior, tenuibus subrubentibus virgis præditus, quæ deinde in tenuiores candicantésque ramulos diuiduntur, angustis oblongísque foliis temerè & confusò ordine eos vestientibus onustos, supernè virentibus, infernè verò* Cisti Silesiaci historia.

Rosmarinus sil. ἄστμος.



nè verò caneſcentibus, & Salicis pumilæ anguſtifoliæ (quæ infra deſcribetur) folijs ad nodum ſimilibus, guſtu valde exſiccante, & nullo grato odore: ſummis etiam ramis inſident capitula ex multis breuibus ſquammis compacta, è quibus ſeſe explicant aliquot floſculi tenuibus oblongiſque pedicellis inhærentes, quinque foliolis conſtantes vt ſuperioris, ſed diuerſi coloris, nimirum rubri dilutioris ſiue quodammodo carnei, quibus excuſſis pentagona conſpiciuntur capitula breuia & obtuſo mucrone, exili & palleſcente ſemine plena.

Eodem quo ſuperior tempore floret, & maturum ſemen profert.

HVNC nobis ſub ſuperioris Autumni initium è Sileſia miſit C. V. Fridericus Schiʒus medicus hac inſcriptione, Roſmarinus ſilueſtris ἄοσμος. Similem verò ante multos annos Machliniæ in horto aluimus, & florentem non procul Loon arce inter Campaniæ Brabantinæ ericeta erutum accepimus. Roſmarinus ſil. ἄοσμος.

DE LEDO ALPINO.

CAP. XX.

LEDO Sileſiaco non ineptè ſubiungetur odoratus hic atque elegans frutex, multis cubitalibus, lignoſis, duris, humi diffuſis cinereóque cortice tectis ramis præditus: quorum extremi ramuli confuſè naſcentibus folijs ſunt obſiti, Chamaleæ italicæ haud abſimilibus, duris, ſupernè virētibus & ſplendētibus, infernè dilutiore virore conſpicuis, apice interdum rotundo aut obtuſius mucronato, guſtu adſtringente, atque in ambitu villoſis hirſutiſque, vti ſunt & noua germina, quorum extremis coma florum inſidet deorſum inflexorum & propendentium, Ledon alpinum, & eius hiſtoria.

Ledum Alpinum.



dentium, concauorum campanulæ modo, qui summa labra quinque diuisuris secta habentes, foris intensius rubent & argenteis veluti guttis (cum ipsis vnde dependent pediculis) conspersi sunt, interiore verò parte dilutius rubere conspiciuntur, aliquot intus staminulis latentibus suaui satis odore: iis succedunt exigua capitula, quinque cellulis constantia, in quibus semen fuluum, minutissimum scobis modo: capitula viridia trita suo odore veluti capitis grauedinem inducunt: radix dura, lignosa, oblonga, tametsi etiam rami per terram sparsi interdum fibras agant.

Inuenitur in summis Sneberg, Snealben, Wechselen, Durrestein aliarumq; vicinarum Alpium iugis inter saxa, ad deuexa plerumque eorum latera, & supra Gamingam.

Aliud eius genus inuenitur in Snealben supra Neuberg, foliis rarioribus, neque ita confertis, maioribus, durioribus, admodum venosis, longiore cuspide, minimè in ambitu hirsutis, & prona plerumque parte flauescentibus, aut ferrea rubigine nigricantibus: flores illi superiori similes, sed paulo dilutiores: capitula & semen similia. Huius foliis & ramis adnata aliquando reperiuntur tubercula, nunc nucis pontica, modò pisi magnitudine, inæqualia, foris rutilante aut pallescente nonnunquam colore, intus fungosa, alba, gustúque adstringente, pulpa plena, quæ gallarum vicem præstare possint. 2. Ledi alpini genus alterũ.

Floret vtrumque genus Iunio & Julio, sub finem Augusti semen maturescit.

NERION *alpinum Doctissimus Vlysses Aldrouandus hunc fruticem appellat teste Cl. V. Conrado Gesnero in descriptione Mõtis fracti. Alpini pastores* Alp= Nerion alpinum.

rosen

rosen & Bergrosen nominant, vt ipse eodem loco, & in epistolis, & Simlerus ad calcem commentarij de Alpibus referunt, quidam Barenblut, nonnulli Wunderlaub vocant. Primum genus non aliud esse existimarem a Pena & Lobelio V. C. in Aduersariis, sub Alpigenæ Chamærhododendri odoræ nomine, nisi flosculos asparagi vel taxi pares illi tribuerent, quales in nostro non reperias: sed capitula pentagona tantum, vt ex eius descriptione satis liquet. Alterum plurimum conuenit cum eorum montana Chamæleæfolia siue Ledifolia Chamærhododendro minus odora. In obseruationibus

Balsamum alpinum.

prioris iconem exhibet Lobelius Balsami alpini nomine: pictor tamen flores haudquaquam fideliter expressit, quos in quinque crenas, non in quatuor, diuisos esse comperisset, si ramos suis floribus onustos, quos anno 1574. amicis Machliniam misi (è quibus illam etiam expressit) diligentius considerasset: licet non negem interdum fieri posse, vt quatuor tantum crenis diuidantur, ludente nonnunquam sic in floribus natura: at omnes in eodem ramo tales natos esse, non est credibile.

Ego cum Gesnero, loco supra memorato, & in Epistolis Ledi potius genus esse, quàm Nerij arbitror, multum me impellente, vt ita censeam, huius stirpis odore & temperamento. Rustici & pastores eorum montium vbi obseruaui, vtrumque genus Rausch appellant, eóque Tinctores qui vicina loca inhabitant, vtuntur ad lineas penulas nigro colore inficiendas. Nullum præterea vsum apud eos obtinere intellexi.

De Vite idæa.

CAP. XXI.


Vitis Idææ nomen à Rei herbariæ peritis diuersis stirpibus tribui video: sed maxima pars, Myrtillum germa-

germanicarum officinarum hac appellatione Theophrasti fruticem intelligere, vult. Nonnulli verò, alium fruticem ab ipso descriptum esse arbitrantur. Nos vtriusque generis stirpes hoc capite describemus, a priore initium facientes, quod plurium opinione id nomen adeptum est: cuiusq. species (præter vulgarem nigris baccis, aliam buxeis folijs nec deciduis, baccisque rubris, & tertiam palustribus locis nascentem) duas ab alijs minime descriptas obseruasse puto.

PRIOR *ramis est flexibilibus, & humi diffusis, non admodum crassis, multis germinibus vix è musco* I. Vitis Idæa
(quo ramulo cultantur) prominentibus, in quibus nullo prior.
ordine digesta sunt folia, prioris Ledi alpini folijs fere similia, paulo tamen longiora, angustiora, teneriora, minus quoque crassa, admodum venosa, supernè virentia, infernè dilutiora, leuiter per oras crenata, & mollibus quibusdam pilis hirsuta, longo pediculo inhærentia, sapore valde adstringente: in summis germinibus præcedentis anni baccas fert (florem non obseruaui) rotundas, cerasi interdum magnitudine, oblongis & tenuibus pediculis dependentes, colore primùm viridi, deinde rubro, postremò nigro, succulentas, gustu non ingrato, nulla ossicula continentes, sed plana duntaxat semina alba, quinque numero vt plurimum: radix est lignosa, fibris quibusdam donata, quales etiam rami per terram sparsi nonnunquam agunt.

Maturis & immaturis baccis onustum hunc fruticem, iuxta Ericam bacciferam nascentem in vnius Snealben iugi supra Neuberg scopulis mense Augusto erui.

VICINIOR *est vulgari Altera, quæ ramos etiam* II. Vitis Idæa
habet altera.





habet hum: diffusos interdū, teretes, & obliquos, nonnunquam firmos & erectos, cortice modo cinereo, modo rubescente obductos, in multas alas brachiatos, & in his folia, illi quæ rubro est fructu forma simil a, sed teneriora, venosa, subtus exalbida, sapore adstringete et nonnihil acido: flos vulgari similis ex candido purpurascens, concauus, labris in quinque crenas diuisis, & exterius reflexus, [illegible] intus staminulis: fructus vulgari similis, per maturitatem niger, saporisque gratia non minus quam vulgaris officinarum myrtillus commendabilis, plurima grana in se continens: radix est dura, lignosa, multis fibris capillata: sarmenta siue rami procumbentes subinde radices agunt.

Inuenitur in Veitzalben iugo duobus supra Neuberg miliaribus: postea et à obseruaui in deiectu Herrenalben supra Zechof multo fructu onustam, atque in Etschero. In Silesiacis etiam montibus prouenire intelligo. Sed & deinde anno 1579. reperi in silua Noribergensi vrbi proxima ad latomias, vbi & vulgares nigris & rubris baccis maxima copiâ nascuntur, duce & comite C. V. Ioachimo I. F. Camerario.

III. Vitis Idææ genus alterū. FORMA & *amplitudine hæc a superioribus differt: etenim multis stolonibus statim à radice fruticat, ternos, quaternos, & quinos interdum cubitos altis, crassis, admodum ramosis, cortice magna ex parte nigricante obductis: primo vere folia ex gemmis in ramulorum lateribus nascentibus promit subtus omnino incana, & multo tomento obsita, supernè autem virentia, ex quorum med o veluti corymbacea florum coma emergit, quinis foliolis candidis constantium, sine odore: folia deinde paulatim sese explicant, tomentosamq. illam lanuginem abiiciunt, et per ambitū serrata conspi-*


F

conſpiciuntur: fructus floribus ſuccedit rotundus, niger, vmbilico quinque alis aut laciniis ſepto, oxyacanthæ fructu maior, ſucculentus, ſubdulci melleóque ſapore, quali fere Ceratia, continens dena aut plura grana oblongiuſcula, plana, ſubnigra.

Abundantiſſime naſcitur montibus Viennæ vicinis, vti ad Brunnam, Medeling, Gumpoſtkirche, Baden, Fiſcha, atque etiam ad radices Styriacarum alpium. Floret, vt dixi, ineunte vere, fructus Auguſto maturus eſt.

AN *priorem rectè in hanc claſſem retulerim, aliis iudicãdum relinquo: nec enim mihi ipſi in illius nomenclatura ſatisfacio. Si cui videbitur Ledi alpini generibus potius adſcribenda, non refragabor: tametſi baccæ quibus prædita eſt, & aliæ quædam notæ non ſatis conueniant. Vulgare nomen non intellexi. Simlerus ad calcem commentarij De alpibus eius meminiſſe videtur &* Garlobsſtuden *appellare: etenim parum à Roſa montana frutice differre aſſerit. Hæc ſanè, folia ſatis ad illam, vt diximus, accedentia obtinet.*

Altera ab alpinis Venatoribus Jagerber *nuncupatur; eius autem baccis libenter veſcuntur Venatores, vt ipſi mihi retulerunt, vnde nomen inditum puto. In Sileſia vocatur* Rauſch *cum altera quæ rubro fructu prædita eſt, & paluſtri: ſimilémque apud illos vſum obtinent, qualem Ledon alpinum Infectoribus alpinis præſtare dixi.*

Vitis idæa Theophraſti.

Tertia ab Italis Vitis Idæa Theophraſti cenſetur: Ruſtici mõtani Auſtriaci Fliegenber *vocãt, aut quòd muſcæ eius fructum ob dulcedinem appetant, aut quòd neglecta ab auibus, muſcis in pabulum cedat. Pena & Lobelius Amelancher nomine deſcribere videntur in doctiſſimis Aduerſariis. Ioſias Simlerus verò* Flubir-

lin/ *hoc*

lin/ *hoc est, pyrũ petræam loco supra memorato (ni fallor) appellat. Doctissimus Gesnerus in epistolis varia (si modò hanc intelligit) tribuit nomina, Myrtomalidis, Petromelidis, Pyri ceruinæ, Pyrastri idææ. Nam quam Cotonastrum, vel Cydonaginem & Diospyron, &* Wildkutten *eodem loco appellat, ab hac omnino distinguere videtur, cùm illius baccas rutilas esse ait, siccas, carne & succo nullas, seminibus intus quaternis, triangulis.* Pyrus petræa. Myrtomalis, Petromelis, Pyruscetuina, Pyrasteridæus, Cydonago, Diospyros.

EVM *fruticem legisse arbitror in Snealben iugis Iunio florentem, & fructus rudimentum efformantem, cubitalibus ramis, obsequiosis, nigricante cortice tectis, nudis, quorum summitates desinebant in breuia germina incana, quinis aut senis foliis prædita malo similibus, supernè virentibus, infernè nonnihil candicantibus, in ambitu serratis, gustu amaricante: inter quæ veluti vmbella flosculorum occultatur quinque foliis constantium colore purpurascente, quorum deinde sedes in exigua mala extuberat.* Cotonaster Gesneri.

DE CHAMÆMESPILO GESNERI.

CAP. XXII.

FREQVENS *etiam est hic frutex in omnibus non modò Alpibus, sed montibus etiam quibusdam Viennæ vicinis, virgultis bicubitalibus, & cubitalibus, interdum verò longè breuioribus, pro locorum in quibus crescit natura, obsequiosis, cortice nigro tectis, sic tamen vt tenelli rami canescant: folia alterius generis Idææ vitis haud multum dissimilia, magis tamen ad cotoneorum similitudinem accedentia, sed minora, & crassiora, supernè virentia, infernè verò cana lanugine pubescentia, impariter & alternatim nascentia. Ineunte vere è singulis nodis flosculos profert herbacei coloris, concauos,* Chamæmespili historia.

F 2 *ternos*



ternos aut quaternos, in vuam quasi congestos, qui deinde in fructum extuberant rotundum, magnitudine baccarum myrti, aut oxyacanthæ potius, colore foris rubro, carne intus pallida, fungosa, oxyacantha fere sapore, quina ossicula siue semina continente.

Augusto maturus est,

GESNERO *Chamæmespilum appellare placuit: quem alij Recentiores sequuti sunt. Verum in epistolis satis apertè docet à Cotonastro differre, cui maiora folia, baccas non adeò rubras, nec adeò rotundas tribuit.*


DE PERICLYMENO RECTO

CAP. XXIVI.

OMNES *Periclymeni varietates in Hispanicis obseruationibus persequutũ me arbitrabar: adeò autem infinita herbaria res est, ut nouis subinde, nec unius duntaxat, sed plurimorum obseruationibus indigeat: proferunt enim singulæ prouinciæ quasdam peculiares stirpes, aliis haud communes. Nam præter duo illa genera prima, præterque varias eorum species istic nobis explicatas: obtulit sese alia planè insolens, atque ob elegantiam minimè silentio premenda.*

HVMANAM *verò interdum attingit altitudinem,* 1.
uti Periclymenum rectum baccis rubris, satisque crasso stipite est, multos in ramos diuiso, nigricante cortice obductos, qui plerumque scaber est, & multis locis hiat, uti in alio Periclymeno: ramuli tenelli candicant, & incana lanugine pubescunt: folia contrario inter se situ disposita, quemadmodũ in reliquis Periclymeni generibus, ei quod rubras fert baccas haud dissimilia, paulo tamen maiora, gustu exsiccante, & amariusculo: flos non est mihi conspectus, cum sub finem Julij solummodo fuerit obseruatus hic frutex iam maturo fructu onustus,

Periclymenũ rectum fructu cæruleo.



qui singularibus baccis, vtrimque inter folia breui pediculo dependentibus, constat, Chamæmespilo Gesneri magnitudine æqualibus, sed longioribus paulo, colore cæruleo elegantissimo, quæ vinoso & acidiusculo succo plenæ, & manus rubro colore inficiente, multa plana grana continẽt: radix admodũ lignosa, & latè se extẽdens.

Nascitur ad radices cuiusdam montis pago Malitz vocato contigui ad sinistram, via quæ ad Taurũ montem præcelsum ducit.

INCOLÆ *Hundsber vocant, quemadmodum Periclymenum fructu nigro & fructum diligenter colligũt, atque in tinctorium vsum reponunt.*

Admonitum porrò Lectorem volo, Periclymenum rectum primum, quod fructu rubro est, haudquaquam inæquales ferre baccas, cùm in Pãnonia vbi plurimum prouenit, tum in Allobrogum, Heluetiorúmque alpibus & aliis locis in quibus sponte crescit: sed geminas semper easque perpetuo ferè æquales. In Belgicis autem hortis cultum, vix vnquam æquales ad maturitatem perducere deprehensum est: at, cùm altera excrescat & turgida fiat, vna semper exilis, plena tamen remanet, lagenulámque gestatoriam aut cucurbitulã referre quodammodo videtur. Periclymenũ rect. fructu rubro.

Periclymenum nigro fructu æqualibus etiam perpetuò est baccis, & postquam Hispanicas obseruationes euulgaui, variis in montibus huius Prouinciæ satis copiose à me repertum est. Periclymenũ rect. fructu nigro.

AD *Periclymeni etiam genera proculdubio referenda est elegans hæc planta, cuius iconẽ cum descriptione liberaliter pro mutua quæ inter nos est amicitia, cõmunicauit* C. V. *Thomas Pennæus Londinensis Medicus, cũ aliis aliquot elegãtissimis plantis, de quibus suo loco.* II. Chamæpericlymenũ prutenicum.

CAVLICVLIS *verò dodrantalibus est, radicéq.*

 tenui,



tenui, qua se propagat, et spatiosum satis locum occupat, hinc inde fibras spargit. Folia ex aduerso per interualla cauli adhærent, quatuor, sex, rarius octo, Philireæ narbonensis (siue mediæ) foliis similia, sed paulo maiora, magisque neruosa, in mucronem desinentia, neruis quinque ab ipso pediculo ad mucronem excurrentibus. E supremorũ foliorum cauis duo veluti ramuli exeunt foliis binis eodem modo quo in caule dispositis præditi, qui cacumine quaterna alia folia gestant. Ex istorum ramulorum medio pediculus nudus exit & sine foliis, in cuius summo (flores non fuere obseruati) rubræ baccæ racematim cohærentes nascuntur, Prutenis rusticis circa Dantiscum expetitæ, atque etiam in Norwegia & Suecia, vbi in maritimis copiosè nascitur.

Qui ad me mittebat, Chamæpericlymeni nomẽ, nec immeritò, indidit.

DE CHAMÆCERASO.

CAP. XXIIII.

NEQVAQVAM *mihi probatur eorum opinio, qui Periclymenum rectum, Plinianam Chamæcerasum esse existimant: cùm eius fructus nulla saporis gratia commendetur, nullámque habeat tota stirps cum Ceraso affinitatem. Sed magis verisimile iudico, ipsius Chamæcerasum non esse diuersam ab ea quæ plurimis Panno niæ, & vicinarum quarundam Prouinciarũ locis sponte prouenit. Nam lib. 15. cap. 25. postquam aliquot Cerasi genera enumerauit, addit: Sunt & Macedonica paruæ arboris, raròque tria cubita excedentis: & minore etiamnum frutice Chamæcerasi.* Periclymenũ rectum non esse Chamæceras Plinij.

VARIÆ *porro altitudinis inuenitur hic frutex: nam interdum in cubitalem, bicubitalem, aut ampliorem etiam longitudinẽ attollitur, locis nempè vmbrosis* Chamæcerasi historia.



& tenui solo; nonnunquam verò pedalem haud superat magnitudinem, sicciorībus videlicet locis, & iuxta semitas. Tenues autem & lentos habet ramulos, seu virgas, nigricante & cinereo cortice obductas, quæ ex interuallis tubercula quædam, & veluti gemmas proferunt, vnde veluti ex amento, aliquot exigua foliola, Myrti tarentinæ foliis æqualia prodeunt, simulque flores bini, terni, aut quaterni sese explicant, candidi, quinque foliolis constantes, cum multis in medio staminulis, Cerasi vulgaris floribus persimiles, minores tamen: infra hos flores, atque etiam in extremis virgis, ex aliis tuberculis exeunt sine floribus folia superioribus maiora, Cerasi vulgaris fructû acerbo foliis formã imitantia, per ambitum similiter crenata, sed longè minora, & atro virore splendentia, gustu amaricante: floribus succedit exiguus fructus, rotundus, carnosus, per maturitatem ruber, sapore exsiccante, minúsque grato quàm sint acida cerasa, osseo intus nucleo: radix crassa, longa, & lignosa, paucísque admodum fibris prædita, sed profundum petens, & quæ difficulter erui possit.

Crescit passim in Pannonia, Austria inferiore, & Morauia, editioribus siccísque locis, ad vinetorũ etiam in collibus sitorum margines, & iuxta publicas vias. In Bohemia videre non memini.

Floret Aprili cùm primùm folia germinare incipiũt, & fructus Iunio, interdum etiam Iulio solummodò maturus est.

VOCATVR χαμαικέρασος Græcis, Chamæcerasus Latinis, Germanis Erdt Weichsel / Vngaris Vadmegy, id est, siluestris merasus (merasum autem vocant serius maturescentem illam cerasum fructu austero & nigro) Gallis apud quos sponte non nascitur, Cerisier nain nuncupari poterit. Merasus.

CÆTE-



CETERVM *Macedonica cerasus per Pannonias et Austriam in agrorum et vinetorum marginibus frequentissima est, rarò ad trium cubitorum altitudinem accedens, nihil in reliquis à vulgari, quæ acerbum & rubrum fert fructum differens, cùm & flores, fructum, atque folia similia habeat.* Cerasus macedonica.

INVENIVNTVR *porro in his regionibus aliæ frutices qui ad Cerasi genera referendi videntur: quemadmodum is qui à nonnullis Mahaleb vocatur, flore odorato, in scopulis & saxosis locis nascens Pannoniæ & collium vrbi Viennensi vicinorum radicibus, à rusticis eam ob causam* Stein Weyrel *appellatus. Cerasus item auium aut Cerasus racemosa vulgo herbariorum nuncupata in harum prouinciarum siluis frequens: Germani* Elexen oder Elxen *dicunt, Vngari* Zelnicefa. Mahaleb. Cerasus auiũ.

De Pruno vulgo Myrobalano nuncupata.

CAP. XXV.

FACILE *adolescit hæc arbor, & in vastam excrescit amplitudinem, maioresque eius rami subinde in alios diuisi, opacam admodum præbent vmbram: caudex multo læuiore latioreque cortice præditus est, quàm reliqua prunorum genera: & tenuiores rami graciles admodum sunt, tenerrimoq; cortice vestiuntur: folia media quodammodo inter Prunum & Cerasum, tenera, per ambitum serrata: flos candidus, tenuior quàm in vulgari: fructus, cuius alternis præsertim annis feracissima est, rotundus, oblongo, tenuique pediculo inter folia propendens, aspectu iucundus, per initia viret, cùm maturescere incipit rubet; maturitatem adeptus, purpura nigro intermixta nitet, carne succulenta, & palato grata, nucleus non admodum magnus.* Prunus cognominata Myrobalanus.

Floret cum aliis eius generis nouo vere: sub finem

Iulij & Augusto suam maturitatẽ fructus adipiscitur.

NONDVM *adhuc vulgaris est admodum; sed qui habent, ex Cæsarei Palatij horto habent, vbi omnium primas conspexi eius arbores tres ingẽtes, vnde primùm eò delatas, incertum: nõnulli ex Constantinopoli, alij ex Gallia genus duxisse arbitrantur.*

DE EVONYMO.

CAP. XXVI.

NON *minus familiaris est vniuersa Pannonia Euonymus vulgo dictus, quàm reliquis prouinciis: alit tamen etiam quædam alia eius genera nusquam alibi mihi obseruata.*

Euonymus latifolius.

1. VIRGAS *habet Primum cubitales, virides, fractu contumaces, rotundas, quas magna ambiunt folia, bina semper ex aduerso nascentia, leuiter per oras serrata, Euonymi vulgaris foliis forma haud absimilia, sed longè ampliora, Citrıa mali foliis magnitudine non cedentia, minus tamen longa, viridia, gustu ingrato & amaro: nec flores, nec fructum obseruare licuit: radix digitalis crassitudinis summa tellure in bicubitalem lõgitudinem excurrit, multisque flauescentibus fibris donata est, summo capite, interdum etiam è media sui parte virgas singulis annis proferens, quas hieme corrumpi & interire existimabamus: etenim non nisi nouellas virgas deprehendimus Maio mense 1579. in silua illa quæ ex Grebén Ill^ris Dn. Balthasaris de Batthyan arce descensus est versus Warasdinum in ea Pannoniæ parte, quæ olim Interamnis appellabatur, nunc autem Slauoniæ nomen obtinet, Germani* Windischeland *vocant, vltra Drauum flumen, quo solum loco obseruauimus.* Postea *tamen comperi eas virgas hieme non interire, sed exiguum admodum incrementum capessere, folia sub finem*

autumni



autumni cum reliquis eius generis abiicientes, & oblongam gemmam extrema cuspide (spem proximæ nouo vere germinationis) proferentes: duas enim quas tum tēporis mecum detuli adhuc alit in cultissimo suo horto C.V.D. *Ioan. Aicholzius Viennensis medicus, veteri amicitia mihi coniunctus.*

II. Euonymus alter. RAMIS *Alterum assurgit bicubitalibus aut maioribus, digitali vel etiam pollicari crassitie, lentis & obsequiosis, denso cortice obductis, viridi primùm, deinde multis nigricantibus tuberculis aspero, qui in summo diuiduntur in plures ramulos ordine & serie quadam inter se oppositos, foliis similiter ex aduerso sitis exornatos, Myrti latifoliæ paribus, sed tenerioribus, leuitérq. in ambitu crenatis, gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo & calido: ex quorum sinu in oblongis gracilibúsque pedunculis flosculus vnus, bini, aut ad summum terni dependent splendentes, & purpurascentes, quatuor foliolis constantes, vmbilico quadrato, & staminulis luteis quatuor angulos occupantibus, Cotini vulgo crediti flori haud multum forma absimiles, licet maiores: fructus succedit in siliquis quadrangulis, alterius Euonymi similibus, spongiosus, aurei coloris, iis dehiscentibus tenui filo propendens, in quo grana non rubra, vti in alio, sed nigra, Fraxinellæ granorum æmula, & splendentia, bina interdum & terna eodem loculo & pulpa comprehensa.*

Copiosè nascitur in siluosis vtriusque Pannoniæ montibus: sed qui Alpes attingunt, id alere desinunt. Inuenitur & in Morauia: nusquam verò abundantius quàm in silua arci Greytzenstein Ill[rs] *Comitis Nicolai de Salmis vicina, secundo à Vienna miliari ad læuam Danubij ripam. Floret Maio: fructus Augusto & Septembri maturescit.*

Εὐώνυμος

Εὐώνυμον Græcis, Euonymus etiam Latinis dicitur hic frutex: qui si in eam proceritatem assurgeret, quam illi tribuit Theophrastus, non minus fortè descriptioni conueniret quàm vulgaris.

PORRO *vulgarem Euonymum in Pannonia à capris maximè appeti, & eius foliis auidè sine noxa vesci didici, eamque ob causam ab Vngaris* kechke rago fa, *id est, capraria arbor nuncupatur: licet id Theophrasti opinioni repugnet, qui Euonymi folia capris præcipuè mortifera esse scribit.* Euonymus vulgaris.

CETERVM *quoniam in Cotini mentionem incidimus, non abs re erit de eo nonnihil hoc loco differere: quandoquidem mõtibus quibusdam non procul Vienna dissitis familiaris est, eoque ad densanda coria, Rhois loco indigenæ vtantur: quinetiam Rhois vulgare nomen indiderunt.* Cotinus.

Meminit breuiter Cotini Plinius lib. 16. cap. 18. his verbis: Est & in Apẽnino frutex qui vocatur Cotinus, ad lineamenta modo, conchylij colore insignis. Ex quibus sanè nemo facilè colligat, an ei stirpi quæ apud Herbariorum vulgus tale nomen obtinuit, Cotini appellatio rectè applicata sit.

Libro autem 13. cap. 23. Coggygriam describit in hunc modum: Similis & Coggygria folio [vnedoni videlicet] magnitudine minor. Proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant) quod nulli alij arborum generi euenit. Quæ sanè plurimas notas habet nostræ huic stirpi conuenientes. Coggygria Plinij.

Plinius autē eo loco ad verbum ferè exprimit Theophrasti κοκκυμηλέαν *lib. 3. cap. 16. descriptā.* ὅμοιον δ' ἐστὶ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυμηλέας. τὸ δὲ δένδρον μικρόν. ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαππoῦσθαι τὸν καρπόν. τοῦτο γὰρ οὐδ' ἐφ' ἑνὸς κοκκυμηλέα.



ἀνηκόαμεν ἄλλȣ δένδρȣ, ut vulgata habent exemplaria: at κοκκυγρίας legisse videtur, non κοκκυμηλέας, quam Gaza prunum interpretatus est, cùm tamen animaduertere potuisset eundem Theophrastũ aliam κοκκυμηλέαν, hoc est prunum ab hac planè diuersam lib. 4. cap. 3. describere.

Itaque libenter assentior doctissimo Ruellio, qui κοκκυμηλέας vocem priore loco corruptam esse censet, & κοκκοινηλείας legendum esse suspicatur: etenim κνηλεία apud Theophrastum etiam significat Unedonem, cuius folijs, folia fruticis quem describit comparat. Aptius igitur meo indicio hanc stirpem Cocconeleam cum Ruellio, aut Coggygriam (si quis vulgatam Plinij lectionem sequi malit) appellabimus, quàm Cotinum: cùm κότινος & Theophrasto & Dioscoridi oleaster sit. κοκκοινηλεία.

B I C V B I T A L I B V S *verò aut tricubitalib. constat virgis digitalis crassitudinis, nigricantibus, in numerosos subrubentes ramos diuisis: folia firma densa, neruosa, terebinthinis folijs propemodum paria, latiora tamen & mucrone ferme orbiculato, oblongis subrubentibúsque pediculis nitentia tenuiores ramulos ambiunt, odore quodammodo lentiscino, gustúque adstringente, non iniucundo tamen: ea sub finem æstatis rubescunt, elegãtissimóque nitore oculos oblectant: emicat è summis ramulis quædam veluti vua multorum flosculorum ex herbido pallescentium, exilibus, longísque, & punicantis coloris pedicellis inhærentium: paulatim deinde sese explicant illi pedicelli in latam longámque plumaceam cæsariem, semináque plana lenticulæ modo, sed longè minora sustinent: radix dura, lignosa, raris fibris donata, vt in Terebintho.* κοκκοινηλείας historia.

Crescit sponte in monte Badensibus thermis imminenti, paulo supra vineta, vicinísque quibusdam mon-

tanis locis, vbi interdum adeò pumilam erui, vt vix cubitalem amplitudinem attingeret. Olim etiam legere meminidum Auenione per Arausioru agrum & Boulline ad Montelimar proficiscerer, Valentiam Allobrogum & Gratianopolim petiturus. Floret hîc Maio. Fructus maturescit Iulio & Augusto.

DE SALICE ANGVSTIFOLIA PANNONICA. CAP. XXVII.

NON *minus ferax est superior Pannonia in Salicum, quàm variarum aliarum arborum generibus alendis: etenim omnes eæ Salices in ipsa inueniūtur, quas in reliquis prouinciis videre memini.*

Salix angustifolia. HABET *verò peculiare quoddam genus, iuxta torrentes & vdis locis nascens crasso caudice, & ramis in multo tenuiores frequentioresque ramulos diuisis præditum quàm vulgaris ea salix quæ foliis alioqui angustis prona parte incanis est: eius præterea folia licet subtus canentia, supernè cum virore alba quadam lanugine pubescunt, angustiora sunt, in longiorem mucronem desinunt, frequentioráque in ramulis nascuntur: flores aliis generibus similes, pallidi, seménque minutissimum, nigrum, candida mollique lanugine exceptum, leuis auræ arbitrio huc illuc fertur. Solet etiam hæc Salix alia quadam nota à ceteris distingui, quòd plerunque tuberculis quibusdam subrubentibus baphico cocco ferè similibus, folia onerata habere conspiciatur. Vienna torrens, qui sub Vienna vrbe in Danubium influit, ea maximè abundat.*

Viscum saligneum. PORRO *in insula Danubij quæ è regione Posonij est, altissimas & crassissimas salices videre memini maxima prægrandiū Visci fruticum copia onustas. Audio etiam circa eandem vrbem & in Castaneis arboribus, & co-*



& coryli rosarúmque fruticibus viscum nasci, referente ornatiss. viro Andrea Hemal eius urbis pharmacopœo.

Vngari salicem latifoliam aquaticam Reköttye fa, *vulgarem luteam siue pallidam* Saâr fiz, *rubram* fiz fa, *amerinam ex qua corbes fiunt*, kötö fiz.

De Salice pvmila.

CAP. XXVIII.

Montivm *herbosa & aperta iuga pumilas alũt, quæ tribus generibus discernuntur. Nam*


I. Salix pumila latifolia prior. Primvm *virgas habet minimi digiti crassitie, humi fusas, pedales, interdum etiam maiores, frequentibus ramulis præditas, qui sursum attolluntur, & inter gramina emergunt vncialibus fere foliis obsiti, supernè viridibus, & splendẽtibus, infernè subcinereis & quodammodo canescẽtibus, nõ multũ absimilibus Vitis idææ* II. *foliis: ea in tenellis ramulis flosculorũ molles spicas fert, quibus succedunt capitula vti in maiore salice, quæ matura dehiscunt Augusto, mollémque lanuginem fundunt, quæ pusilla nigra grana excipiuntur: radix admodum crassa, pro plantæ tenuitate, crassisque fibris obliquè sparsis firmata est.*

II. Salix pumila altera latifolia. Altervm *similes fundit virgas, humi etiam fusas, nonnunquam paulo longiores, magis scabro cortice tectas, & in frequentiores ramulos diuisas, quas similia cum superiore ambiunt folia, paulo tamen magis mucronata, supernè viridia, infernè splendentia, licet tenui lanugine pubescant. Huius florum spica, siue iulus, crassior est, illi fere similis qui in eo salicis genere nascitur, quod Eleagnum Theophrasti censent: radix cum superiore conuenit, imò crassior quodammodo videtur, non minus quàm illa dispersa, virgis etiam, secundum radicis caput, interdum fibras agentibus.*

Ter-



 Salix pumila angustifolia altera.



Tertio generi graciliores ſunt virgæ, pedales, nonnunquam dodrantales duntaxat, rectæ, lentæ, ſubflauo cortice tectæ: uncialia folia, ſed ſatiui lini foliorum modo anguſta, ſupina parte virentia, prona verò cinerea, & cùm adhuc nouella ſunt omnino cana: flos vt in vulgari flaueſcens, exigua & breui molliquе ſpica ante folia naſcens, qui deinde in candidam lanuginem reſoluitur: radix digitali craſſitie, obliqua, nigra, & tenuibus fibris donata. III. Salix pumila anguſtifolia prior.

Invenitvr porro in Pannoniæ & Auſtriæ quibuſdã depreſſis cæduis ſiluis et vliginoſis pratis, Quartum quoddam genus, gracilibus & cubitalibus interdum virgis aſſurgens, non minus quàm in ſuperiore lentis, quæ à medio ad ſummum ramulorum, multas ferunt exiguas florum ſpicas, molles & incanas, maturitate in papposãm lanuginem abeuntes: folia ſuperiore breuiora & anguſtiora, supernè virentia, infernè cana lanugine pubeſcentia, & ſplendentia: radix ſuperiore non minus craſſa, & tenuibus fibris prædita: ſed & virgulta ſecundum ſummum radicis caput, qua telluri cohærent, tenues & capillatas fibras agunt. IIII. Salix pumila anguſtifolia altera.

De Spina infectoria pvmila.

CAP. XXIX.

Spina *infectoria, quæ & Rhamnus ſolutiuus à Recentioribus nuncupatur, multis Pannoniæ locis vulgatiſſima eſt, vbi interdum arboream amplitudinem adipiſcitur. De ea nobis non eſt ſermo: ſed de aliis duobus fruticibus, qui admodum illi adfines eſſe videntur.* Rhamnus ſolutiuus.

Prior *bicubitalibus aſſurgit ramis, in multas alas diuiſus, cortice leui, Spinæq. infectoriæ vulgari tum colore, tum ſubſtantia ſimili tectis, qui membrana ſuperiore demta, ex viridi palleſcit, et ſapore eſt amariuſ-* I. Spina infect. prior.



culo: ramuli paucis spinis horrent, sed ipsi in spinas plerumque desinere solent: folia illi vulgari fere similia, sed minora & angustiora, ad Pruni silvestris folia plurimum accedentia, gustu linguam exsiccante: flos congestus ut in vulgari, eiusdémque coloris & formæ, hoc est ex pallido herbaceus, & quatuor foliolis constans, minor tamen: radix ut in aliis fruticibus lignosa.

Exit *frequens cum vulgari in Leytenberg: floret Maio.*

CVBITALES *habet alter ramos, minimi interdum digiti crassitudine, plerumque minores, nigro rugosóque cortice obductos, superiore parte in ramulos divisos, qui tenuiore leviorẽque cortice tecti, plerumque in acutam spinam desinunt: folia Myrti, aut Pruni silvestris potius, breviora tamen & minora, viridia, per ambitum nonnihil serrata, gustu primùm adstringente, deinde non nihil amaricante: flores inter folia herbacei, quatuor foliolis constantes ut in priore: fructus deinde Spinæ infectoriæ vulgari haud absimilis, binis, nonnunquam etiam ternis veluti commissuris distinctus, initio viridis, deinde per maturitatem niger: radix crassa, lignosa, dura, raras fibras in latera spargẽs.* II. Spina infectera.

Nascitur copiosè in monte Badensibus thermis imminente, & vicinis iugis loco petroso & salebroso.

Floret Maio: fructus Iulio maturescit.

SPINAM *infectoriam pumilam hos frutices appellaui, quòd vulgari plurimum respondeant, licet minores sint. Si quis tamen Lycij generibus citius annumerandas censeat, non refragabor. Vulgare nomen nullum intellexi. Et haud scio an aliquo in usu sint apud eorum locorum, in quibus nascuntur, accolas.* Lycium.

DE RO-



De Rosa.

CAP. XXX.

Æque varia conſpiciuntur Roſarum genera in Auſtriæ hortis, ac in pleriſque aliis Prouinciis. Duo tamen iſtic aluntur quæ aliâs videre non memini. Sunt & ſilueſtria quoque genera, antèa mihi non conſpecta: de quibus omnibus ſuo ordine.

MVLTIS *ſtatim à radice aſſurgit Prima virgis, humanam altitudinē plerumq. æquātibus, læuibus, & ſine ſpinis, viridibus, in varios ramos diductis: folia in alas diuiſa, terna aut quina vni coſtæ (quæ nonnihil aſpera eſt) inhærentia, bina ſemper inter ſe oppoſita, poſtremo impari, ſatis ampla, atro virore ſupernè nitentia, infernè caneſcentia: extremis ramis inſident flores in oblongis hirſutiſq. pediculis, multiplici foliorū textura cōſtantes, Præneſtinis maiores, medij inter illas & rubras coloris, odoríſque iucundi: fructus breuis, craſſus, orbicularis fere, maturitate rubens, inæqualia grana lanugine inuoluta continens: radix dura, lignoſa vti aliarum, & plerumque ſub terra propagines ad latera fundens.* I. Roſa ſine ſpinis.

Hanc acceptam ferant ſtudioſi C.V.D. *Ioanni Schrotero Ienenſis Academiæ in Thuringia Primati & Ill^morum^ Ducum Saxoniæ, Landgrauiorum Thuringiæ, & Principum Coburgenſium Medico, qui ab Illmo Principe Comite de Mansfeld eam nactus, liberaliter mihi Viennam vſque miſit 1576. Floret Iunio.*

2. *Aliud genus inuenitur virgis non admodum diſſimilibus, quæ minores & rariore foliorum textura conſtantes flores profert, colore fere fecum vini rubri.* Roſa ſine ſpinis altera.

PARI *propemodum Altera eſt magnitudine: rarò tamen duorum cubitorum altitudinē ſuperat, frequentibus verò breuibúſque ramis donata eſt purpuraſcentibus, qui* II. Roſa cinamomea pleno flore.

Roſa cinamomea pleno flore.





tibus, qui raris & breuibus ſpinis armati ſunt: foliorum alæ ſimiles illis quæ in Roſa vulgo Canellæ cognominata, hoc eſt ex quinis aut ſeptenis foliis æquali inter ſe ſpatio diſtantibus conſtantes, vno hinc altero inde geniculatim coniugatimque ſemper adhærente, vnóque in cacumen exeunte, colore ſuperna parte viridi, inferna verò candicante: flores vulgari Cinamomeæ Roſæ ſimiles, ſed maiores, & multiplici foliorum glomeratione conſtantes, vti alba & praneſtina, minores tamen, odore qualis in alba roſa fere eſt: fructum nondum videre licuit, tametſi multis annis iam alamus: huius radix latè admodum ſerpit, viuaxque eſt, & ſubinde nouas virgas producit.

Vnde primùm Viennam allata ſit, pleriq. dubitant: nonnulli tamen ex Tyrolenſi Comitatu originem ducere exiſtimant. Nunc in omnibus Cæſareis hortis, quorundámque Principum virorum, Nobiliorúmque matronarum, & aliorum nonnullorum qui herbariæ rei ſtudio oblectantur, alitur. Frequentiorē tamen nuſquam vidi quàm Caſſellis in amœniſſimo cultiſſimóque horto Ill^mi Principis Wilhelmi Landgrauij Haſſiæ &c. & apud Generoſos Dominos Adolphum Hermannum & Georgium Rideſel zu Eyſenpach.

III. Rosa campeſtris odora. TERTIA *aliquot virgis aſſurgit cubitalibus, aut ad ſummum, rariſſimè tamen, bicubitalibus, firmis, duris, lignoſis, colore rubeſcente, denſiſſimo ſpinarum vallo munitis, ex quibus frequentes confuſo ordine oriuntur ſpinoſi ramuli, virides, ſinguli ſuum florem ſuſtinentes, album, odoratum, quinque foliorum ſimplici textura conſtantem, luteæ aut canellæ roſæ vulgaris æqualem, capillaceis quibuſdam ſtaminibus cum ſuis apicibus luteis medium floris vmbilicum occupantibus: fructus rotundus, breuis, primùm viridis, per maturitatem verò niger,*

niger, crassa, angulosa, candida, dura semina continet: folia sunt inter lutea, & eius quæ ab aggeribus in quibus sponte prouenit, siue à Pimpinellæ foliorum similitudine nomen apud Belgas accepit, folia, fere media, per ambitum serrata, & minimè splendentia: radix lignosa, dura, in diuersa tendens.

Inuenitur multis circa Viennã locis, præsertim editioribus & montosis. Floret Maio, quo tempore rusticæ mulieres plurimos eius fasciculos venales in forum deferunt, ob odoris gratiam. Fructus Augusto maturescit.

PEDALES *atque etiam aliquando cubitales ex eadem radice profert Quarta virgas, virides, lentas, infernè paucis, supernè multis spinis rigentes: foliorum alas rubræ rosæ similimas, septem aut quinque foliis supernè viridibus, prona parte candicantibus constantes: summis virgis & ramulis innascũtur calyces satis magni, hirsuti barbatique vti rosarum rubrarum simplici foliorum ordine constantium, ex quibus deinde sese explicant magnæ, non omnino odoris expertes rosæ, quinque foliis prædita, initio rubræ, deinde paulatim remittente & euanescente quasi rubore, coloris fere carnei, multis staminibus luteis, floris vmbilicum, quemadmodum in aliis rosis, occupantibus: fructus ruber, rotundus, omnium maximus & pyriformis, pulpa fuluescente, inæqualia semina alba continet.* IIII. χαμαιῥόδον.

Nascitur passim in siluis cæduis, aliarum siluarum marginibus, agrisq. sublimioribus, & desertis per Austriam inferiorem & vniuersam Pannoniam. Floret Iunio; fructus Augusto maturescit, & plerumque tota hieme ipsi plantæ inhæret.

Non ineptè meo quidem iudicio, χαμαιῥόδον græcè vocabitur quartum genus, Latinis rosa pumila: Au-

Rosa campestris cum suo fructu.



striaci Erdt rosen vnd Peydrosen/ *Ungari verò* Partagi rosa *appellant.*

De Rvbo saxatili alpino.
Cap. XXXI.

Pedalem *non superat altitudinem, teretibus viticulis subrubentibúsque & hirsutis, in quibus bina aut terna folia, Rubi quem vulgo Idæum vocant fere similia, hoc est, terna simul ex eodē pediculo nascētia, attamen minimè hirsuta, licet rugosa, nullísque spinis horrentia, sapore admodum exsiccante & adstringente, deinde amariusculo: in summis viticulis, et supremis earum alis flores fert, deinde fructus rubi, minores, hoc est, minore acinorum numero constantes: etenim binos tantùm, ternos, quaternos, aut ad summum quinos acinos habent, sed longè maiores quàm in vllo alio ruborum genere, omnino rubentes, & adeo succi plenos, vt quodammodo transpareant, sapore acido & palato gratissimo: continent isti acini singuli singula grana, alba, rugosa, inæqualia, gustu adstringente: radix longè lateq́; serpit, & interdum longas viticulas humi sparsas, & procumbentes producit, quæ subinde radices agunt.* Rubi saxatilis historia.

Abunde prouenit in saxosis collibus Neuberg monasterio imminentibus. Crescit & in aliis scopulis: sed non in summis iugis, verùm montium decliuibus duntaxat. Augusto fructu suo maturo onustum collegi.

Rvbvm *saxatilem appellaui, quòd aptius nomen non succurreret, & in solis saxosis locis inuenerim. Rustici* Steinber/*id est, petræas baccas nuncupant.* χαμαιβάτος *Theophrasti non ineptè meo iudicio dici posset, quem Gaza Humirubum interpretatur. Quanquam proximè ad Chamæbaton etiam accedat humilis ille rubus, qui plerisque Belgicæ locis siluosis & agrorum in-* χαμαιβάτος, Humirubus.

 terdum



terdum marginibus naſcitur, baccis ſiue moris ſucculentis paucis, exiguis acinis conſtantibus, modò nigris, modò cæruleis, palato admodum gratis. Occupat etiam ille multos Auſtriæ & Pannoniæ agros, & Vngaris dicitur Zedöry.

Notus autem Geſnero etiam fuit quem hoc capite deſcripſi Rubus, eúmq. Idæum appellat in deſcriptione Montis fracti. Rubus idæus, inquit, fructu rubi fere, abſque ullis ſpinis, humilis planta, lignoſa radice, foliis rubi vel fragi, acinis binis, ternis, aut ſingulis in vno fructu, acido ſapore, in ſaxo. Meminit & in epiſtolis: & Simlerus in Commentario de Alpibus ad calcem. Rubus Idæus Geſneri.

SIMILEM *planè ſuis baccis onuſtum, eodémque nomine apud montanos paſtores inſignitum ex Sileſiæ vſque montanis ſcopulis erutum ad me miſit Achilles Cromerus anno 1580. quem copioſè ad metallicas fodinas Zuckmantel naſci poſtea ſcripſit.*

CETERVM *alius eſt Rubus, quem Germani* Hinbeer/ *Galli* Framboiſier *appellant, baccis ſiue moris rubris, non modò ſaporis, ſed etiam odoris gratia commendatis: eum omnes peritiores Idæum eſſe exiſtimant, de quo Dioſcorides lib. 4: & Plinius lib. 16. cap. 27. & lib. 24. cap. 14. Naſcitur etiam is ſponte plurimis Pannoniæ locis.* Rubus idæus Dioſc.

DE CHAMÆMORO.

CAP. XXXII.

INTER *mites Rubos etiam recenſenda eſt hæc elegans plãta, cuius iconem & deſcriptionem nobis communicauit* C.V. *Thomas Pennæus ſuprà memoratus, eique Chamæmorum appellare placuit.*

DODRANTALIBVS *autem prædita eſt viticulis, in quibus alternatim tria, quatuor, rariùs quinque* Chamæmori hiſtoria.



nascuntur folia scabra, malua, vel potius mori [nouellæ videlicet & primùm semine natæ] *foliis non valde dissimilia* [malim cum Ribes vulgaris foliis cõferre] *in quinque præcipuas partes diuisa & per ambitum serrata, lõgis pediculis innixa, qui ex binis alis siue apophysibus cauliculum amplectentibus exeunt. Summum caulem exornat flos vnicus quinque foliolis ex nigro purpurascentibus constans. Fructus mori fructui* [rubi vulgaris potius] *simillimus (vnde nomen) sed paulo minor, primùm albicans & acerbus, postea ruber, ex acerbo dulcis: radix vtcunque nodosa, ex singulis nodis paucas fibras spargens, mirè se propagans, & quam longissimè serpens, adeò vt breui tempore maximum spatium occupet. Floret Iunio & Iulij initio: fructus Augusto maturus est.*

Niuosa & aperta loca amat, summósque montes, & magna copia inter Ericas prouenit monte Ingleborrow totius Angliæ celsissimo, duodecim miliaribus à Lancastria.


ANGLI Knotberries *appellant, hoc est, nodosam baccam, à fructu nodis simili. Gustu adstringit, exsiccat, & refrigerat.*

QVONIAM *verò in Ribes mentionẽ incidimus, aiunt Austriacæ & Styriacæ alpes eius quoddã genus nihil, vel quam minimum à vulgari differens, fructu tamen non acido, sed dulci. Est præterea secundum genus amplioribus foliis & maiore fructu quàm sit vulgaris, licet eiusdem saporis, cuius flos etiam variat: nã qui in vulgari herbaceus est, in hoc eleganter rubet, & punicat. An huic similis sit quam C. V. Ioannes Boisot alit in horto Bruxellis, ignoro. Vulgarem Vngari* apro tengöri zölö, *id est, minorem vuam marinam vocant.*

Ribes fructu dulci

Ribes rubro flore.





FREQVENTISSIMVS *& per has prouincias est frutex ille spinosus vulgo Berberis dictus: Ungaris* Iröm barbara, *hoc est Vinum barbarum. floret Maio.* Berberis.

DE AVELLANA PVMILA BYZANTINA.


CAP. XXXIII.

ACCEPIT *Constantinopoli hoc anno 1582. mense Octobri vnà cum varij generis bulbaceis stirpibus Mag^cus ac Generosus Dn. Dauid Ungnad, Baro in Zonneck, & Consilij bellici in Austria Præses, Auellanæ quoddam genus rarum admodum & peregrinum, quod Turcarum Imperatori eiúsque Proceribus in deliciis esse asserit.*

Eius porro fruticem supra cubitalem altitudinem rarò excrescere, sed pumilū semper persistere refert: crassos verò admodum, magnósque fert in tenuibus pediculis calyces, extrema parte in multas crassas longásque lacinias diuisos, sede etiam multis laciniatis appendicibus obsita: sunt autem ij calyces foris valde dura asperáque lanugine hirsuti, interiore parte læues, continentque fructum Auellanæ siluestri & sponte nascenti fere similem, breuiorem tamen, duróque putamine, vt illæ, constantem: qualis verò sit qui in eo continetur nucleus, indicare nequeo, cùm vnicum duntaxat fructum (de paucis quos ad serendum retinuit) mihi dederit, eamque ob causam cōfringere noluerim, sed vt suis coloribus depingi curarem, & illius qualemcumque historiam describere possem, seruauerim. Quam ad huius libri calcem reieci, quòd suo loco minimè inseri potuerit. Hunc verò fructum, vnà cum suo calyce serendum esse cùm mihi eum daret, admonuit. Auellanæ elegans & rarum genus.

CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM PER PANNONIAS obseruatarum Historiæ

LIBER SECVNDVS.



Bvlbosis secundum nostræ Pannonicarum stirpium historiæ librũ auspicari volui, vt eum ordinem, quem in Hispanicis obseruationibus tenui, sequerer. Verùm perpaucæ admodum sese obtulerunt, quas alibi antè non viderim: omnes tamen percurram, earum quæ ab aliis obseruatæ non sunt, paulo exactiorem descriptionem daturus: iisque nonnullas alias selectissimas adiiciam, quæ aut bulbis aliunde missis, aut semine ab amicis accepto prognatæ, mihi Viennæ Austriæ floruerunt.

Primum autem locum obtinebunt Liliacei generis plantæ, ob magnitudinem, & florum elegantiam.

De Tvsai sive Lilio persico.
CAP. I.

Tusai historia.

Cavle *assurgit interdum bicubitali, aut ampliore, firmo, crasso, intus fungosô, viridi, rotundo quidem, sed ad cubiti altitudinem striato, multisque liliaceis ferè foliis, nunc æqualiter, nunc confusô ordine eum ambientibus exornato, eleganti virore splendentibus, odore fœtido, & quasi hircino nares procul etiam ferientibus: idem ille deinde caulis, pedali, nonnũquam etiam cubitali, supra folia emicat amplitudine, nudus, & sine foliis, neque striatus & viridis, sed læuis & colore quasi*

Tusai siue Lilium Persicum 1.



re quasi purpurascente, qui tamen in summo totidem fere in angulos desinit, quot flores sustinebit, nempe binos, ternos, quaternos, quinos, senos, aut plures, omnes verò quasi æqualiter, sed contrario situ nascentes, singulósque inter bina folia, inferioribus longè minora & angustiora, æquali propemodum longitudine propēdentes elegantissimo spectaculo: supra flores caulis denuo attollitur dodrantali aut maiore amplitudine, foliis exilibus & angustis onustus. Habui autem anno 1580. plantam quæ vndecim flores tulit, cuius caulis supra septenos æqualiter propendentes, denuo nudus quasi dodrantali longitudine, reliquos flores singulos inter bina folia nascentes protulit, longa densa & multifida alia foliorum coma supra eos fusa. Habuit & Matrona quædam Patricia Viennensis, cuius caulis supra terram planus pedali lōgitudine extabat, deinde in binos findebatur ramos æquali longitudine excrescentes, singulos vndenis floribus onustos, magna etiam supra eos fusa foliorum coma. At quæ eodem anno Illmo Principi Wilhelmo Hassiæ Landgrauio floruit, reliquas florum numero superauit, quos supra quadragenos in plano caule tulit, latissima supra eos luxuriante coma. Sed & intelligo ab his qui aliquot annis Constantinopoli hæserūt, caulem nonnunquam supra priores illos flores æqualiter propendentes dodrantali longitudine extare, aliúmque florum ordinem gestare, & interdum etiam tertium, ac tum demum foliorum comam supereminentem. Porro cùm flores primùm erumpunt, inter folia latent, candicantésque sunt, deinde paulatim augescunt, vna etiam succrescente ea caulis, quæ eos sustinet, nuda parte: in augmento verò florum pediculi deorsum inflectuntur, et ipsi flores pallescere incipiunt, venis tamen purpureis secundum foliorū (quæ sex sunt, lata, & per extremum

Tusai polyanthos.

mucrona-

mucronata) longitudinem & latera excurrentibus, vngue autem singulorum foliorum nõnihil eminente & ex nigro purpurascente. Flos maturitatem aut perfectionem iam adeptus, expanditur, tintinnabuli modo propendens, colore fere aurei mali, sed pallidiore, venis illis purpureis summam venustatem adferentibus: singula florum folia interiore parte in ipsis vnguibus, singularibus tuberculis candidis prædita sunt, quæ sole etiam meridiano limpidissimam dulcémque aquam exstillant lacrymarum modo, vt vniones propendentes videantur, sed abundantius pluuio tempore: ea deinde tubercula marcescentibus floribus in lacunas abeunt albas. Ex medio flore sex candida stamina cum apicibus pallescentibus prominent, breuiore trifido stilo inter ea latitante. Flori succedunt magna trigonáque, interdum etiam tetragona capita, vti in Lilio rubro, à nonnullis Martagon appellato, quorum singuli anguli vtrinque pinnati sunt, & alati: statim verò excusso flore sursum eriguntur ea quæ fœcunda futura sunt capita, magna Dei omnium rerum Conditoris prouidentia, ne dehiscentibus illis semina ante maturitatẽ excidant: sunt verò ea plana, liliacea, oblongiora paulo, cartilaginea, subrufa, duplici serie in singulis angulis digesta, quẽadmodum in Tulipis, Lilij generibus, congeneribúsque plantis. Radix bulbosa est, crassa, ex squammis orbiculatis fere, magnis & succulentis compacta, colore interdum albo, nonnunquam etiam purpurascente, plerumque verò pallido, odore admodum fœtido, hircum, vti folia, olente.

2 *Aliud genus est, quod nec caule, nec foliis, nec florum forma ab eo differt: nam & illos in extrema læuis & nudi caulis parte sustinet æqualiter fere in ambitu nascentes, singulósque inter bina angusta folia, vti superius.* Tusai II. differentia.



perius. sed color variat: nam qui in alio luteus est, siue auri æmulus, huic potius rubet, aut sandaracæ sandicisve colorem refert. foliis etiam sex constat latis & mucronatis, vnguibúsque ex purpura nigricantibus cum suis interiore parte candidis tuberculis limpidum rorem exstillantibus, stilóque & sex staminibus, quæ tamen æquali longitudine prependent.

3 *Variat item in nonnullis plantis color floris: nam aut medius est inter vtrumq. genus, aut ad prioris secundiue colorem proximius accedit.* Tusai III. differentia.

Floret Aprili, interdum etiam Martio, si aëris temperies paulo calidior fuerit, vnà cum præcocibus Tulipis, atque etiam maturius.

Nusquam verò sponte nascentem hanc plantam conspexi: sed Constantinopoli delatam, primus Belgicæ hortis communicaui: & in Viennensibus reposita feliciter prouenit. Ante meum tamen ex Belgica discessum, iconem eius, (qualem D. Dodonæus in Purgantium historiæ appendice exhibuit) Dn. Ioanni Brancioni miserat D. Alphonsus Pancius Ferrariensis medicus vtrique nostrûm amicissimus.

HACTENVS *nullam plantam obseruare memini, quæ exactius Hemerocallidē Dioscoridi descriptam referat, quàm hæc, meo quidē iudicio. Studiosi cōferant & sententiā ferant. Pancius iconē misit coronæ Imperialis nomine. Cōstātinopoli verò bulbi aut missi aut delati sunt à Cæsareis oratoribus, nunc Tuyschiachi, nunc Tusai, nunc Tousai (ita enim pronunciādum est veluti u germanicum, & eleuatione vocis in vltima) appellatione, interdum etiam Tursani & Tursanda: sed postrema illa duo vocabula à Turcis duntaxat adiici solent nominibus, ad magnitudinem rei, cui adiecta sunt, exprimendam: exempli gratia,* Cauala lalé turfanda, *id est, Tulipa*

Hemerocallis Diosc.
Corona Imperialis.
Tuyschiachi.
Tursani.



Tulipa [serotina videlicet] *magno & amplo flore: ita Turfani aut Turfanda simplicitèr, quasi de magnis & amplis.*

Ex Persia verò Constantinopolim primùm delatos illius bulbos omnino mihi persuadeo, quoniam cùm eos accepi, vna inter reliquas fuit inscriptio, Tulai, fior Persiano rosso ò discolorito con la testa a basso, *hoc est, Tusai, flos Persicus ruber aut decolor, capite propendente.* Tusai fior Persiano.

CETERVM *an apud eos aliquem medicum vsum obtineat, non intelléxi: arbitror tamen magis venustatis & elegantiæ causa eos hanc plantam in suis hortis alere, quàm ob vllas eius facultates. Sunt etenim Turcæ omnium elegantium florum, etiam nullo odore præditorum, studiosissimi: nec vllis sumtibus parcunt, vt eos vndiquaque conquirant.*

DIOSCORIDES *verò suæ Hemerocallidi has facultates tribuit: radix pota, aut cum melle & lana in pesso apposita aquam educit & sanguinem. folia trita mammarum inflammationes à partu contractas, oculorúmque collectiones mitigant: radix et folia igni ambustis utilissimè illinuntur.*

DE LILIO SVSIANO.

CAP. II.

EODEM *cum superiore nomine, imò inter ipsius bulbos Constantinopoli missa fuit huius plantæ bulbosa radix, altero postquam Viènam venissem anno, quam tamen, quoniam ceteris esset candidior, & nullo virulento odore prædita, seorsim terræ commisi, diuersam à Tusai esse ratus: nec mea opinione falsus sum.*

Etenim primo subsequente vere, maturè admodum germinare cœpit, tandémque caulem protulit cubitalem, ro- Lilij susiani historia.





lem, rotundum, multis circumſeptum foliis digitalis longitudinis & latitudinis, longè quàm Tuſai modò deſcripti anguſtioribus, illis fere ſimilibus quæ in ſummo ipſius capite naſcuntur, vireſcentis ex cinereo coloris, ſiue quodammodo æruginoſi, qualis color in Tulipæ foliis conſpicitur: contorquentur verò ea, buxeique ſunt odoris. Florem mihi non protulit: ſed paulatim planta contabuit, adeóque eſt exinanita radix, vt vnico folio ſubſequentibus aliquot annis mihi duntaxat prodierit, tandémque omnino perierit. Radix magna eſt, Tuſai æmula, è paucis magniſque orbiculatis fere ſquammis contexta, ſed candidior, oblongior aliquantulum, nulloque (vt iam dixi) tetro aut graui odore nares feriens.

Porro *paulo ante meum è Belgica diſceſſum, munere Magnifici Domini Jacobi Contareni Patritij Veneti, miſerat ex Italia Dn. Iacobus de Caudenhoue conſanguineo ſuo Dn. Ioanni de Brancion ſimilem om-* Pennacio perſiano. *nino bulbum, Pennacio Perſiano nomine, qui eo defuncto ad Generoſum Dn. Ioannem vander Dilft pari cognationis vinculo iunctum ex ipſius legato, cum multis aliis rariſſimis plantis peruenit. Is anno 1576. bicubitalem aut ampliorẽ tulit caulẽm, quinquagenis floribus onuſtum, ſenis foliis conſtantibus, è longis pediculis, qui ſummum caulem ambiebant propendentibus nolarum ritu, colore purpuræ obſoletæ, & ingrato odore, vt Raphaël de Coxia Regius pictor, qui eodem anno eius iconem ſumma induſtria, & artificio à ſe depictam miſit, ad me perſcripſit: nullum vero ſemen tulit: imò ne germinauit quidem ſubſequẽte anno, quemadmodum ipſemet Dilfus mihi ſignificauit.*

Illius etiam iconem habeo, non tamen adeo artificioſè depictam, & ſine bulbo, cum Lilij rubri, ſiue Martagonis Chalcedonici delineatione, munere doctiſſimi viri, ſummique

ſummíque omnium Naturæ miraculorum ſcrutatoris & admiratoris, Nicolai Raſſij Chirurgi regij p.m. qui eam Hyacinthi maioris nomine mihi communicauit anno 1571. dum apud illum Lutetiæ eſſem.

De hac etiam planta ad nos in Belgicam perſcripſit Alphonſus Pancius, quando Tuſâi ſiue Coronæ Imperialis picturam miſit. Pẽnacio Perſiano è pianta belliſſima & è ſpecie di Giglio ò Martagon, diuerſo della Corona Imperiàle: *hoc eſt, Pennació Perſiano elegantiſſima eſt planta è Lilij aut Martagonis generibus, differens à Corona Imperiali.*

*Illius pauci bulbi inter Tuſâi bulbos qui Conſtantinopoli allati fuere anno 1580. inuenti ſunt, è quibus vnum liberalitate Mag*ci *at Generóſi Domini de Entzeſtorf adeptus ſum, qui eius iconem præcedente anno miſerat. Tuſâi ſchedæ inſcriptum erat* Tuſâi fior Perſiàno ſi domanda Pennacio perſiano. *Illius bulbi florem nondum tulerunt: at meus planè periit. Generoſa porro Domina de Heyſenſtain duos etiam bulbos anno 1581. accepit cum hac appellatione* Suſamgiule, *qui nunc illi egregiè prodeunt. Veriſimile eſt è Suſa vrbe Suſianæ regionis Perſidi vicinæ primum delatam fuiſſe Conſtantinopolim hanc ſtirpem.*

De Lilio rubro, ſiue miniato Chalcedonico. CAP. III.

Lilij miniati hiſtoria.

VENVSTA *admodum raráq. eſt etiam hæc planta, cuius folia Lilij foliis ſimilia ſunt, breuiora tamen latioráque & in lateribus ſubhirſuta, confuſó ordine caulem amplectentia, qui cubitalis aut maior eſt, ex viridi purpuraſcẽs, digitali craſſitie: flores in ſummo profert languido collo deorſum propendentes, ſex foliis conuolutis & reflexis vt in Lilio ſilueſtri, ſiue Martagone*



Matthioli constantes, elegantissimo minij, aut ceræ rubentis colore: è medio flore exeunt sex stamina candicantia, apicibus croceis insignita, stilo inter ea prominente: nullum semen obseruaui, sed in trigonis capitibus nasci arbitror, quemadmodum in Lilio & Martagone, planum, nigricans: radix vt plurimum non est adeò magna vt quidam existimant, sed Lilij siluestris radicem haud multum superat, coloréque dùm recens eruta est, adeò illi persimilis (etenim si diutius extra terram adseruetur purpurea fere tota est, & subinde quibusdam natis saturè rubentibus inspergitur) vt etiã in stirpium cognitione admodũ exercitati, nisi eas inter se conferant, difficilè discernere possint: huius tamen radix è tenuioribus squamis contexta est, nec minus fibris supra & infra, quàm illa donata.

Floret Iunio cum Liliis, aut paulo serius.

Constantinopoli etiam Viennam delata fuerat hæc planta ante meum in eam vrbem aduentum, & aliquot nobilibus Matronis communicata. Vnicum postea bulbum inter aliquot alios Sultan Zambach nomine missos, à Magnifico & Generoso Dn. Dauide Vngnad, Cæsaris tum apud Turcarum Imperatorem Oratore accepi, qui mihi iam biennio floruit: semen verò nullum, imò ne angulosa quidem capita protulit, quẽadmodum nec nobilibus illis Matronis. paucula autem semina Constantinopoli accepi sine inscriptione, plana, Martagonis aut Lilij siluestris semini fere similia, sed nigriora, minora, neque adeò spongiosa, quæ terræ commissa, anno 1579. prodierunt, planáque foliola tulerunt vti Tusai primum è semine natum.

Vnicum autem florem mihi hactenus protulerat: sed anno 1579. quaternos, & subsequente senos, eósque omnes ex summo extimóque caule simul prodeuntes, quem-

admodum & ea planta Dominæ de Thaw patritiæ Viennensis, quæ in extimo caule duas vncias lato flores natos habuit. Illis autem Matronis plerumque vnus, interdum alter & tertius, non plures flores in singulis nati sunt. Ill^mus Dn. de Brancion vnum bulbum à D. Alphonsô Pancio acceperat paulo ante meum ab vrbe

Martagó constantinopolitanum.

Machlinia discessum, sub Martagonis Constantinopolitani appellatione. Eum de Dn. Dilfo intellexi vnicum duntaxat florem singulis annis tulisse. Sed ipse aliam plãtam semine natam habuit, quæ illi primo quo floruit anno flores octo, subsequente verò, qui fuit 1578. quadraginta protulit.

Liliũ miniatũ polyanthon.

Videtur autem duorum generum esse; vnum πολυανθὸν, alterum pauciorum florum: quandoquidem quod vnico ab initio constat flore, rarò plures deinde proferre obseruatum sit.

HANC *Matthiolus Hemerocallidis alterius nomine appellare videtur, & in Iapidiæ mõtibus eruisse ait: sed illius descriptionem frigidè admodum adumbrat. Eruti autem anno 1579. & subsequentibus, in hortis vltra Bosphorum in Asia sitis bulbi, allati sunt Mag^co & Generosô Dn. Wolfgango Christophoro ab Entzestorf, & aliis aliquot Zusiniare nomine, cùm à Dn. Vlrico de Khunigsperg ipsius affine Constãtinopoli redeunte, tum ab aliis qui proximis subsequentibus annis Constantinopolim honorarij conducendi gratia missi, inde redierunt: tametsi in schedis interdum additum esset à*

Zusiniare.

Corona regia.

nonnullis appellari Corona di Re, *hoc est, coronam Regiam.*

Memini & Zusiniare appellatione inscriptum semen, quale ante descripsi, accipere, cùm primùm Viennam appulissem anno Domini 1573. sed terræ commissum nequaquam prodiit.

PORRO *Lilium hoc miniatum nouo vere cum Martagone primum solet emergere: Sultan verò Zambach, de quo proximo capite, etiam ante hiemem cum Lilio.*

DE SVLTAN ZAMBACH.

CAP. IIII.

QVONIAM *superiore capite* Sultan *Zambach meminimus: non abs re erit, si quænam planta sit, hic declarauerimus.*

Nam aliquoties eo nomine missæ sunt Constantinopoli radices Lilio similes, quas quoniã extremæ squammæ flauescebant, Martagonis alicuius, consimilis Lilio, superiore capite descripto, genus esse existimabam: ideóque quibusdam amicis in Belgicam misi pro Martagone Constantinopolitano. Sed postquam terræ commissas, folia Lilio vulgari planè similia producere animaduerti: negligentius postmodum eas habui, vulgare lilium esse existimãs, præsertim cùm in quodam catalogo comperissem Sultan Zambach fa fiori grandi bianchi, *hoc est Sultanæ Lilium magnos albos flores habet: & in altero,* a odore di Giglio, *id est, odorem habet Lilij. Inde factum est, vt apud Belgas modò Sultan Zambach appellata sit ea planta, modò Martagon Constantinopolitanum flore albo: cùm tamen vnica eadémque sit planta, non duæ diuersæ.* Sultan Zambach. Sultanæ Lilium. Martagõ constant: flore albo.

Biennio pòst, cùm omnes, quas seruaueram, plantæ mihi egregiè florerent, certissimè comperi nihil aliud esse quàm Lilium, adeò cum vulgari conueniebant. Huius tamen caules, tametsi vulgari non sint breuiores, si quis diligentius contulerit, graciliores esse deprehendentur, rarioribúsque & minoribus foliis septi, atq. etiam ipsius flores aliquanto minores, æquè tamen ac vulgares odo-

rati. Nonnullæ verò radices in tantam molē excreuerant, vt vix vtraque manu comprehendi possent. Vna Sultan Zambach polyanthon. *etiam illarū plures quàm sexagenos flores anno 1577. protulerit: caulis autem planus fuit, & tres ferè vncias latus: anno verò subsequente ad ingenium rediit. Sic interdum Natura in plantis ludere solet.*

Memini cùm Vlyssipone essem anno 1564. Liliaceam radicem in foro emere, quam Petro Coudebergo Pharmacopœo doctissimo Antuerpiam cum Draconis arboris ramo, Colocasia, variisque aliis rarissimis plantis misi. Ea illi postea flores huic omnino (nisi memoria fallit) similes tulit: sed quoniam plerumque in extremo caule confertim nascebantur, & interdum vitium faciebant, ipse Lilium fatuū. *Lilium fatuum cognominare solebat.*

Zambach idē eū Iasmino. ZAMBACH *porro vocem, testis est Amatus Lusitanus commentariis in Dioscoridem capite de Iasmino vnguento, idem Arabibus significare, quod nobis Iasminum, topiariis operibus nobile & accommodum, cuius florum odor suauissimus quidem est, sed caput etiam ferit. Verisimile autem est Turcas hanc Arabicam vocem omnibus plantis quarum odor ferè Iasmini florum (quos etiam rubri coloris in Asiaticis hortis vltra Bosphorum inueniri intelligo) suaueolentiæ similis est, tribuere: sunt etenim Turcæ admodū negligentes & imperiti in rebus propriè nuncupandis. Sic illi* Con Zambach Con Zābach. *appellāt eum bulbum qui Mompellianis Pancratium flore Lilij, Valentinis Hemerocallis dicitur, quòd eius flos non modò Lilij quodammodo formam, sed etiam odorem referat: sic vocem* Gul, *quæ illis rosam significat, omnibus floribus rosaceis accommodant, addito* Gul Catamer. catamer *vocabulo, si pleni sint, vt* Gul catamer *illis est & Rosa plena, & Anemone flore multiplici foliorum textura constante, & Papauer, & Malua hortensis, & similes,*

ſimiles, omnes etenim hæ eo nomine nobis miſſæ fuêre. Vt cornicem exprimant, propriam vocem non habent, ſed circumlocutione vtuntur, gallinam nigram appellãtes.

De LILIACEIS quibuſdam aliis ſtirpibus CAP. V.

LILII *purpurei ſiue rubri bulbiferi tres differentiæ apud eos qui rem herbariam excolunt, obſeruantur.*

VNVM *bicubitali interdum aſſurgit caule, firmo, craſſo, foliis ſepto liliaceis, ſubatris, in ſummis alis bulbos craſſiores geſtans, & flores magnos, rubros, Lilio rubro minori non bulbifero concolores. Teneriores huius plantæ, anteq̃uam flores ferre incipiant, non minus donatæ ſunt bulbis ſecundũ caulem inter folia naſcentibus, quàm reliquæ duæ ſpecies: ſed quando vetuſtæ ſunt, & flores aliquot annis protulerunt, vix ſolent niſi in ſummo diuiſo caule & ſecundum flores generare maiores bulbos. Huius radix omnium maxima eſt.* I. Martagõ bulbiferum maius.

ALTERVM *vix cubitalem excedit altitudinem, caule etiam firmo, ſtriato, & ex virore nigricantibus foliis prædito: quæ tamen cum ſummo caule incana lanugine pubeſcunt: eius flores igneo rubore non rutilant vt in ſuperiore, ſed magis palleſcunt, & Lilij purpurei ſiue rubri maioris non bulbiferi colorem quodammodo referunt. Eius caules adulti paucos bulbos niſi in ſummis alis etiam geſtare ſolent.* II. Martagõ bulbiferum incanum.

TERTIVM *inter vtrumque media eſt magnitudine, nonnunquã etiam primum æquat: ſed caules ſunt infirmiores, graciliorés que, ipſiq́ue cum foliis dilutiore virore præditi: flores ſecundo generi ſimiles. Hoc perpetuo fœcũda bulborum inter folia naſcentium ſobole onuſtum eſt: eiúſque radix priore minor è lateribus propagines ſpargere plerumque ſolet, quæ ad ſingula genicula* III. Martagõ bulbiferum minus.

in candi-





in candidos bulbos excrescentes, subinde nouas in circuitu plantas producunt, Lilij rubri minoris non bulbiferi modo: eius bulbi in alis nati, secundæ speciei pares, priori tamen magnitudine inferiores: omnésque terræ commissi sui generis plantam procreant, & secundo anno in caulem bulbillis onustum excrescunt. Ferunt tamen omnes hæ plantæ in capitibus triangulis semen latum cartilagineum subfuscum, quemadmodũ lilium vulgare, quod non sterile est, sed sui generis etiam plantas profert. verùm quæ ex bulbillis in alis natis crescunt plantæ longè citius adolescunt.

Florent omnes hæ plantæ Iunio, seménque perficiunt Augusto: bulbuli verò in alis nati hærere solent, donec vento, aut contactu excutiantur, imò interdum plantæ adhuc inhærẽtes fibras deorsum spectantes agere solent, quasi ad communem matrem terram aspirantes, & illæ se condi cupientes.

Prior nusquam sponte nascens à me obseruata est, sed eam primùm Liræ conspexi in cultissimo horto Generosæ Dn. Mariæ de Brimeu Mag[ci]* Dn. Conradi Scheti vxoris, quæ deinde bulbis in terram depactis reliquis Belgicis breui tempore communis facta est: atq. etiam nunc Viennensibus ac aliis vicinis mea opera, missis ab ipsa à Belgica aliquot ad me maioribus bulbis. Reliquæ duæ in montanis pratis Austriæ & Styriæ sponte crescunt: sed secunda rarior inuentu.*

Solent verò cum hæ, tum aliæ duæ non bulbiferæ, cùm primùm florum gemmas ostendere incipiunt, à formicis admodum infestari, sic vt eo tempore nunquam immunes ab ipsis conspicere queas, non secus ac Pæoniæ flores ante quàm explicentur, qui mirum in modum etiam à formicis appetuntur, præsertim quæ pleno est flore.

LILII *silvestris, siue Martagonis Matthioli duæ etiam differentiæ deprehenduntur.* Lilium silue-stre.

NAM *vnum maiore excrescit altitudine, foliáque ampliora & nigriora obtinet: multo etiam pluribus floribus saturatius purpurascentibus præditum est, qui modò multis nigricantibus maculis, modò paucioribus distincti sunt.* I.

ALTERVM *humilius est, eius folia dilutius virent, rarioré sque flores producit, & eos plerumque dilutiores, ac multis maculis nigricantibus insignitos. Vtriusque autem deorsum spectant, foliisque ad pediculum reflexis constant: semen etiam in trigonis capitibus duplici serie in singulis angulis continetur, fuscum, planum, cartilagineum: radix in vtroque genere luteo ochræ colore infecta est, quam ob causam à Germanis* Gold wurtz, *id est aurea radix appellatur.* II.

Passim ambo proueniunt in siluis & vmbrosis pratis Leytenberg, eorumque montium qui à Calenberg vsq. ad Alpes excurrunt, & in plerisque siluis Styriæ & Vngariæ. Memini etiam minus olim obseruare in multis Germaniæ siluis, nō modò editiore loco sitis, sed etiam in plano, vti apud Witebergam.

PORRO *Liliasphodelus ille luteo flore odorato, quem* C. V. *Dodonæus Hemerocallidem esse censet, maxima copia sponte nasci in multis vliginosis pratis, non procul ab oppido & arce munitissima Nemethwywar Ill. Dn. de Batthyan arce, quæ occidentem spectat, annis 1579. & 1580. deprehendi, vbi florentem sub finem mensis Maij, & initio Junij erui. Vngari* Zeöd liliom, *appellant: Croatæ autem, apud quos etiam flore albo inueniri asserunt,* Illyan zwet. Liliasphodelus luteus.

DE TV-



De Tulipa sive Lilio narcisso. Cap. VI.

Post *Liliaceas stirpes non incommodè reponemus peregrinam illam, et ob insignem in flore colorum varietate in omnib. herbariæ rei studiosis merito gratissimam plantam, quam vulgus Tulipam, doctiores Lilionarcissum appellant, licet in appendice ad Hispanicas obseruationes peculiari capite de ea egerimus.* Lilionarcissus.

Illius autem duo tantùm primaria genera hactenus obseruaui, præcocius vnum, serotinum alterum: tametsi inueniantur quædam veluti dubia, quæ medio inter vtrumque genus tempore florere soleant.

Præcocior *Tulipa vnicum fert caulem, pedalem maxima ex parte, aut interdum paulo ampliorem, rotundum, virentem, & breui quadam incanáq. lanugine aspersum, non concauum, sed firma medulla plenum: hunc plerumq. terna amplectuntur folia, nonnunquam quaterna & quina, inferiora lata admodum & liliacea, longiora tamen & crassiora, carinata, supra terram sese pandentia & contorquentia, superiora autem minora & angustiora, eáque vel propendentia, aut sursum erecta interdum, omnia autem colore ex cæruleo virente, aut ærugineo, velutíque farina asperso. Summo cauli insidet magnus flos, vnicus (geminos etiam vidi) sursum spectans, sex foliis vt plurimum constans (tametsi & septenis & octonis conspexerim) eiusdem initio cum caule coloris, & interdum ad terram sese inflectens, in ipsáq. recumbens, vt colubri aut serpentis caput in terra decumbentis ementiatur, deinde paulatim sese subleuans, & colorem mutans atque tandem sese explicans & calathi aut cyathi modo in fundo pandens, ex quo sena, aut totidē quot foliis constat stamina* Tulipæ præcocis historia.

K *prodeunt,*

prodeunt, modò lutea, modò pallida, modò nigricantia, pediculis etiam quæ stamina sustinēt, mirum in modum variantibus. Excusso flore, succedit mēbraneum triangulare caput, satis magnum, quandoque oblongius, interdum breuius, ventréq. magis prominulo: quo in tres partes à summo dehiscente, conspiciuntur sex ordines seminis plani, cartilaginei, liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis, licet interdum altera parte qua capitis centrum & interiora pertingit, oblongiusculum inueniatur, pallidi, fului, aut rubescentis, & si imbres frequentiores fuerint, etiam fusci. Radix bulbacea interdum breuior est, interdum oblongior, crassa, inferiore sede nonnihil prominente, vti ferè in Colchico, fibris aliquot tenuibus donata, & foris nonnunquā fuluescente, magna verò ex parte nigricante membrana obducta, quæ interiore parte lanuginosa est, quemadmodum castanearum cortex, quandoque autem adeò denso tomento plena, vt mollissimè recubet radix, quæ solida est, firma, & velut albumen oui coctum candida, gustantique dulcis, nec ingrata.

T.p. insignis varietas. SVMMA *autem in Præcoce est coloris varietas: nec maiorem in vllo alio flore videre memini, nisi fortè in papauere. Etenim aut omnino luteus est, aut ruber, aut albus, aut purpureus: interdum etiam bini vel plures ex his in eodem flore permixti conspiciuntur colores. Non desunt qui cærulei omnino coloris se vidisse afferant, mihi certè hactenus videre non contigit.*

I. T.p. lutea. Lutea *Tulipa vel ad auri fulgorem accedit, aut pallet, foliorum autem vngues plerumque aurei sunt: odor quasi ceræ recentis, siue etiam croci, interdum nullus, vel admodum imbecillus.*

II. T.p. rubra. Rubræ *color nunc saturatior est, nunc dilutior & aspectu incundissimo, modò etiam inelegans, & obsoletus: fo-*









tus: foliorum vngues vel lutei omnino, aut veluti leui quadam fuligine in luteo aspersi: in quibusdam nigra macula medium vnguem luteum tantummodo inficit, in aliis verò magna, vt nihil nisi lutea quædam linea nigrum vnguem ambiens conspiciatur: interdū adeò magni sunt isti vngues, vt dimidiam folij partem occupent. Huius verò odor aliâs gratus est, instar mali aurei, magna verò ex parte obscurus admodum, vel papaueris virus quodammodo referens.

Albæ *omnino candidus est, nisi tria exteriora folia dorso quidpiam cinerei vel interdum etiam cærulei coloris admistum habere viderentur: vngues lutei, pediculi & stamina pallent.* III. T.p.alba.

Purpurea *aliâs saturatior est, & violaceum, siue amethystinum colorem habet, aliâs, Pæoniæ floris æmula, nōnunquam dilutior, & Damascenam siue Prouincialem (quam eruditiores Prænestinam vocant) rosam colore referens, interdum verò adeò diluta, vt albescere videatur: omnium autem vngues cum staminibus aut pallent, aut lutei sunt coloris, tametsi nigra etiam stamina nonnullæ habeant, & pediculos ea sustinentes quadam veluti fuligine infectos. Inuenitur & odora & inodora,* IIII. T.p. purpur.

Varia *adeò multiplex est, vt difficile sit omnes eius differentias verbis exprimere. Nam cùm cuiuscumque tandem præcocis Tulipæ semina excussa, & tellure sepulta germinent: perpauca admodum natiuum matris colorem retinent, sed in varios colores transformant flores, sæpe etiam in luteum degenerant. Albæ autem semine prognatas plantas insignem colorum varietatem præ reliquis nancisci experientia & diligenti obseruatione didici. Semina enim in eodem capite nata, à memetipso collecta, eodemque fere momento terræ commissa* V. T.p.varia.

 autumno,



autumno, aliquot plantulas proximo ſubſequente vere produxerunt, quæ poſt quintum, ſextum, ſeptimum, imò etiam octauum (vt aliis alia facilius adoleſcunt) nonum, & decimum demum annum flores protulerunt, eóſque aut omnino albos & matrem referentes, atque albos varios, vel luteos & luteos varios, aut rubros ac rubros varios, vel purpureos & purpureos varios. Omnes porro has colorum differentias, quam aptiſſimè poterimus verbis exprimere conabimur.

Lutea igitur variæ flos (vt eundem ordinem ſequamur quem inprimis coloribus deſcribendis tenuimus) explicatus, nonnunquam primis diebus totus luteus apparet, quarto deinde aut quinto demum die, illius folia rubris virgulis extrinſecus leuiter per oras diſtinguntur: interiore parte omnino lutea remanent, præſertim tria exteriora, & vnguem habent veluti fuligine tinctum, ſtamina interdum lutea, & pediculos ea ſuſtinentes fuſcos. 1. T. p. L-V. differentiæ.
Interdum exteriora floris folia circa medium raris virgulis rubris deſcripta ſunt, interiora autem frequentioribus, & ad extremum vſque folium ferè excurrentibus, atque aureum vnguem, pallida ſtamina habent. 2.
Nonnunquam exteriorum foliorum oræ, foris omnino rubent, interius à medio ad extremas oras rubris virgulis diſtinguntur: interiora folia exteriore parte omnino rubent, interiore autem à medio ad ſummum rubrum neruum protenſum habẽt, latera autem rubentibus radiis illuſtrata. 3.
Inuenitur etiam cuius exteriora folia dorſo omnino luteo ſunt, per oras verò dilutioris cinnabaris colore virgatim diſtincta, interiore parte ad vnguem vſque cinnabaris color tota occupat: interiora verò folia cinnabaris etiam colore omnino ferè infecta conſpiciuntur, niſi duplex neruus luteus ſecundum longitudinem, & luteæ virgulæ in extremas oras 4.

 excurre-

excurrerent, illius stamina nigricant, pediculi ea sustinentes lutei nonnulla tamen fuligine infecti sunt, & vn-
5. *gues aurei magni stamina quodammodo superant. Alius praeterea cuius exteriora tria folia mucronata lutea sunt, praeter oras quae purpura rubescente radiatim intercursante insigniuntur, deinde extremae orae luteae sunt, interiore parte circiter medium folium rubri coloris radij frequentes sunt: folia interiora orbiculato mucrone, ab infima ad summum oblongis rubris lineis distinguuntur, praeter extremas oras quae luteae sunt, interior pars minus radiata est quàm exterior, vngues magni, lutei, quemadmodum stamina cum suis pedicellis: odoratus*
6. *est. Est & cuius folia extrema cuspide orbiculata sunt, foris omnino aurea, oris luteis: intus autem omnino lutea sunt, aurei coloris siue potius rubri flauo permixti linea radiatim medium folium transuersímque secante, pediculi lutei sunt, stamina cinerea: odoratus est ali-*
7. *quantulum. Item cuius folia mucrone omnino sunt orbiculato, dorso in exterioribus ad extremum vsque mucronem luteo, oris latis, ex aureo rubris, vnguibus luteis, dimidium folium occupantibus, pediculis & stami-*
8. *nibus luteis: nonnihil etiam odoris. Alij similiter huic pares, sed dilutiore colore praediti, pediculis & staminibus duntaxat variantibus: sed nec hi odore carent.*

1. *Rubrae variae flos exteriora folia magna ex parte mu-*
T. p. r. v. differentiae. *cronata habet, interiora orbiculata. Aliquando autem vtraque magnis oris auri fulgore splendentibus sunt praedita, magnis vnguibus luteis, staminibus vel nigris, vel obsoleta purpura tinctis, & pediculis ea sustinentibus plerumque velut fuligine infectis; huius flos satis odora-*
2. *tus est. Interdum exteriora folia luteas oras foris habent, interius autem dilutius rubent, & quasi radiatim in luteas oras satis latas desinunt: interiora verò similiter rubent,*



rubent, sed latiores oras luteas habent, rubro colore radiatim vt in exterioribus desinente, vngues luteos, stamina cinerei coloris: & istius flos nonnihil odoratus.
3. *Nonnunquam dilutiore minij colore rubent vtraque folia, mediocres oras luteas habentia, foris minij colore interiora folia fere tota occupante, virgatim tamen in oras luteas desinente, magnis vnguibus luteis, staminibus cinereis, pediculis ea sustinentibus luteis: flos etiam*
4. *vtcumque odoratus. Aliorum exteriora folia, medio dorso luteo sanguineis virgulis distincta sunt, reliqua parte rubra, oris tamen luteis: interiora omnino fere rubra, sed rubro colore radiatim in aureas oras desinente, interiore parte tota propemodum lutea, nisi circa medium folium rubris radiis distingueretur, vngues cum*
5. *pediculis lutei, stamina nigra. Aliorum folia omnia mucronata externè dorso lutei coloris, reliqua parte sanguinei, præter oras quæ luteæ sunt, internè sanguineis radiis tota resperſa, extremis tamen oris luteis: interiora foris sanguinis modo omnino rubent, luteæ oræ sunt, coloribus tamen sese in inuicem commiscentibus, interna parte omnino lutea sunt, nisi circa medium crebrioribus sanguineis radiis instar orbis quodammodo insignita essent: vngues, pediculi & stamina cum superiore conue-*
6. *niunt. Nonnullorum omnia etiam folia mucronata, oris aureis reliqua parte rubris, præter exteriorum foliorum dorsa quæ aureis quibusdam virgulis aspersa sunt, omnium vngues lutei radiatim in rubro commixti, pe-*
7. *diculi lutei, stamina nigra. Quorundam externa folia mucronata, interna orbiculata, tota rubra, oris exceptis quæ aurei coloris sunt, radiatim in rubro desinentis: exteriora verò folia saturatiora sunt, omnia tamen interiore parte magis aurea sunt, vngues, stamina, pediculi cum præcedente conueniunt: omnium istorum flores satis odorati*

odorati sunt. Inuenitur etiam cuius folia paruas oras aureas habent elegantissimo rubro colore reliqua occupante, vngues luteos, pediculos veluti fuligine tinctos, stamina obsoletè purpurea. 8.

Alba varia aut omnia folia habet extrema parte mucronata, aut etia duntaxat exteriora mucronata, interiora orbiculata. In nonnullis externa folia, ad extremum vsque mucronē omnino fere alba sunt, exceptis oris quæ elegātis & dilutè admodum purpurei siue carnei coloris sunt: interiora verò magis purpurascunt, vngues lutei deinde exalbidi, stamina cum suis pediculis lutea. In quibusdā folia exteriora exalbido sunt dorso, purpureis virgulis asperso, reliqua parte purpurascente aut incarnata: interiora folia omnino purpurea sunt, vngues stellatim lutei, deinde albi, stamina lutea, pediculi ea sustinentes veluti fuligine aspersi. In aliis externa folia dorso etiam sunt albo, pluribus purpureis punctis asperso, interiore parte dilutiore purpura nitent: tria interna folia saturatioris sunt purpuræ quàm superior, vngues lutei radiati stellæ modo, stamina nigra, pediculi fusci. Interdum externa folia magnas oras carneo colore præditas habent, reliqua parte alba sunt: interiora verò quasi tota carnei sunt coloris. Nonnunquam externa folia dorso sunt pallescente, alioqui omnino alba, præter oras quæ foris breuibus & raris purpurascentibus virgulis exornantur: interiora tota alba sunt, oras tamen longioribus & frequentioribus purpureis lineis insignitas foris habent, interiore parte omnino fere alba sunt. Aliquando folia exteriora dorso & extremo mucrone pallent, alioqui omnino candida, interiore parte oræ paucis radiis purpurascentibus distinguuntur: interiora folia à medio fere ad extremas oras foris purpurascentibus radiis aspersa sunt, intus verò omnino alba, præ-

T.p.A-V differentiæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6.



alba, præter oras quæ rarioribus lineis distinctæ sunt. In quibusdam omnino alba sunt externa tria folia: interiora autem oras modò multis modò paucis virgulis purpurascentibus siue carnei coloris distinctas habent: omnium vngues lutei sunt, stamina & pediculi pallent. 7.
Inuenitur etiam cuius omnia folia coloribus quidē carneo & albo permixtis prædita sunt, sed qui cinereū carneo colori ferè temerè perfusum referant, vel similis planè coloris cum tenuiore illo byssino panno carnei coloris, cuius subtegmen album est, Germani Silberfarb / *hoc est, argenteum colorem vocant: huius vngues exalbidi, stamina obsoletè purpurascentia, pediculi albi sunt.* 8.

T.p.P.v. differentiæ.
Purpureæ variæ flos magna ex parte omnia folia mucronata habet, interdum tamen externa solummodo mucronata, interiora verò orbiculato & obtuso mucrone sunt prædita: est etiam cuius omnia folia orbiculatum habent mucronem, vt ex singulorum descriptione videre licebit. Nonnunquam igitur omnia folia mucronata Pæoniæ polyphyllo & pleno flore, purpureum colorem imitantur, orásque habent ex albo purpurascentes, vngues ex luteo viridíque coloribus simul quodammodo permixtis subobscuros, ex albido orbe radiatim eos ambiente, pediculos luteos veluti fuligine infectos, stamina nigra: illius flores magni sunt & admodum patuli. 1.
Aliquando omnia etiam folia mucronata, foris magna ex parte purpurea sunt, interius media parte carnei coloris, oris ex albo pallescentibus, vnguibus, staminibus & pediculis luteis. 2.
Interdum etiam omnia folia mucronata foris & intus purpurea sunt omnino, extremásque foliorum oras albas habent, vngues luteos albo orbe circundatos, stamina obsoletè purpurascentia initio, deinde vbi obuersa sunt (solent enim omnia florum stamina explicante se flore aperiri & reflecti) luteo puluere aspersa, 3.



aſperſa, pediculos luteos. Aliorum etiam omnia folia 4.
ſunt mucronata, & ſaturatiore purpureo colore prædita, omnium ora exalbidæ, vngues albi, in imo tamen lutei, pediculi & ſtamina pallida. In quibuſdam omnia 5.
etiam folia mucronata, ſed color purpureus dilutior & magis floridus, oræ exalbidæ, vngues ex viridi pallent, pediculi nigreſcunt, ſtamina pallida ſunt: odoratus plerumque eſt iſtarum flos, reliqui inodori, vt & ſubſequentes. In aliis omnia etiam folia mucronata obſcu- 6.
rioris purpuræ, & quaſi amethyſtinæ colore prædita ſunt, magnis oris albis, vnguibus, ſtaminibus, & pediculis luteis. Quorundam contrà florum omnia folia or- 7.
biculatis ſunt oris, iiſque magnis & albis, reliqua parte ſaturatiore nitentéque purpureo colore prædita, vngues lutei quos ambit alba corona, ſtamina cinerea, pediculi lutei. Nonnullorum interiora folia aliquantulum orbi- 8.
culata ſunt, & dilutiore purpureo colore ſplendent: interiore parte omnino ferè alba ſunt, omnium oræ magnæ, & albæ, vngues, pediculi, & ſtamina lutei ſunt coloris. Reperitur etiam cuius externa folia mucronata ſunt & 9.
reflexa, exteriore parte obſcurioris purpuræ colore prædita: interiora verò orbiculata & dilutius purpuraſcētia, vtraque autem in magnas oras albas deſinentia, & interiore parte veluti purpureum orbem totum florem per medium ambientem habentia, vngues luteos orbe albo incluſos, ſtamina obſoletè purpuraſcentia, pediculos luteos. Eſt præterea cuius omnia folia mucrona- 10.
ta ſunt extrema parte, & tria externa foris purpurea: omnia autē magnis oris albis prædita, & interiore parte omnino alba, niſi mediam folij partem veluti purpureus orbis ſecaret & varium faceret, vngues lutei ſunt albo eos ambiente circulo, ſtamina cum pediculis pallēt.

HÆC ſunt quæ de præcocium Tuliparum varietate

nunc commentari libuit: non me fugit, quin plures differentiæ tradi potuissent, sed eiusmodi quas ad iam enumeratas tanquam primarias reduci, atque sub illis comprehendi posse existimo. Nunc ad Serotinā trāseamus.

T. serotinæ historia.

SEROTINA *longè maiorem adquirit amplitudinem, cubitalem enim & tripedalem interdum habet caulem, firmiorem & crassiorem, rotundum, medulla plenum, & breui etiam quadam incanaque veluti lanugine siue efflorescentia aspersum, quem alternatim amplectuntur quaterna plerumque folia, nonnunquam quina, carinata, firmiora quàm in præcoce, & sæpenumero erecta, atque oris interdum adeo reflexis, vt sinuosa videantur, interdum minimè. Summo cauli qui pedali vel maiore plerumque, imò cubitali etiam nonnunquam longitudine nudus supra folia eminet, vnicus insidet flos magnus & oblongus, cyathi modo concauus, sex foliis cōstans, extremo apice omnino mucronato vel orbiculato, aut tribus exterioribus duntaxat mucronatis, interioribus tribus orbiculatis, quemadmodum in præcoce, & è contra: caput vt in eadem triangulare, membraneum crassius magna ex parte, et prominulo ventre, quo à summo dehiscente, sex ordines seminis plani, cartilaginei, fului, aut rubescentis, maiorísque quàm in præcoce conspiciuntur: radix præcoci similis, sed longiore maioréque bulbo plerumque constat, in reliquis cum illa conueniens.*

Tulipa πολύκλωνος.

Tametsi autem hæc Tulipa non secus ac præcox vnico vt plurimum constet caule, interdum tamen eum etiam πολύκλωνον & ramosum habet: nam natæ mihi sunt rubro flore præditæ, quibus ex infimi folij ala alter nudus & pedalis ramus gracilior tamen, & ad summi folij exortum secundus crassitie cum primario caule

propemo-



Maior, *florem non minorem habet quàm serotina, eumque vel dilutius rubentem & cinnabaris ferme colore, omnium foliorum extremis oris mucronatis, vel saturum & quodammodo nigricantem, exterioribus foliis mucronatis, interioribus orbiculatis: vngues luteos magnos vel paruos, nonnunquam veluti fuligine aspersos, vel in omnibus foliis, vel in exterioribus duntaxat: stamina modo lutea & leui nigredine infecta, modò omnino nigra, pediculos etiam luteos media ex parte nigricantes. Inuenitur etiam cuius omnia folia extremas oras orbiculatas habent, exterius & interius omnino lutea sunt, nisi extremæ oræ ad præmaturi aurei mali colorem accederent: stamina cum pediculis lutea sunt: Illius flos odoratus est. Alia item cuius color initio omnino aureus est, deinde externa folia, quæ luteo sunt dorso, oras colore dilutioris cinnabaris radiatim distinctas adquirũt: interiora verò folia cinnabaris etiam colorem, atque insuper binos luteos neruos secundum longitudinem, & radiolos luteos in latera excurrentes: vngues magni, lutei staminum altitudinem superant, stamina nigra sunt, & pediculi lutei fuligine infecti.*

I. T. mediæ maioris differentiæ.

I.

2.

3.

Humilior *pedalem altitudinem non superat, imò maxima ex parte infra eam consistit, foliis & flore ad præcocem proximè accedens: floris autem folia omnia mucronata, sed exteriora multo longiora, foris obscurè rubra, extremis tamẽ oris virentibus: interiora omnia folia intensè rubent, & splendent: vngues lutei radiati, sed quos nigerrima macula sic inficit, vt circulus aureus & radiatus eam duntaxat ambire videatur, & oculum quodammodo ementiatur, stamina & pediculi nigricant: huius radix bulbacea interdum eriophora est, nam exterior illa membrana bulbi substantiam amplectens & tegens, plurimo denso, candido, mol-*

II. T. m. humilis.

 liqne

lique tomento adeo suffulta est, vt mollissimè bulbum recubare necesse sit.

T. flores alij aliis magis caduci.

NON *omnes porrò flores diu in sua coloris elegãtia & venustate perdurant, verùm nonnullarum magis caduci sunt, & breui marcescunt, aliarũ firmiores sunt & coloris gratiam diutius retinent, præsertim serotinæ: omnes certè nubilo cælo sese contrahunt, & pluuio facilè corrumpuntur, etiam ante quàm expandi possint: contrà, temperato sole illustrati sese explicãt & diutius conseruantur: at vehemens etiam ardor eos nimium excoquit, sic vt absumto humore facilè defluant.*

T. seritur variis modis.

CETERVM *tametsi seminibus terræ mandatis, huius plantæ genus conseruari soleat: interdum tamen & nucleis maiori bulbo adnatis propagatur, sed nullum inter præcocia fertilius rubro & albo, omnium autem maximè serotino rubro, quod adeò fœcundum est, vt etiam semine natum & vix bimum alias proles generet biennio aut triennio ante quàm florere incipiat, dũ singulis annis bulbus recta & quasi ad perpendiculum in dodrantalem & palmarum altitudinem descendens (solent enim omnes Tulipæ nõdum adultæ & ante floris prolationem maxima ex parte quotannis altius descendere, Bononicas, siue Apẽnineas excipio, & Narbonenses, & Hispanicas illis congeneres, quæ non in altũ sed in latus & obliquum ante quàm floriferæ sint, proles è longis venis dependẽtes spargunt) in veteris bulbi exuuio aliquid substantiæ relinquit quæ in alium bulbum efformatur, atque is etiam similiter, vt si quis dextrè & cum industria trimos vel quadrimos ex terra eruat, exuuiorum vestigia sequendo, nonnunquam velut catenam aliquot bulborũ cohærentium et ex primo exuuio ortũ ducẽtium inueniat: memini & bulbos in infima ala*

T. bulbifera.

summa tellure natos, in serotinorum genere præsertim, (licet hoc



(licet hoc anno 1582. etiã in Albæ variæ, Purpureæ variæ, & quarundã aliarũ præcociũ alis bulbi mihi nati sunt) qui terræ cõmissi eiusdẽ coloris cum matre florem subsequente anno produxerint, quẽadmodum etiã bulbi matri adnati. Ex seminibus verò quæ fit propagatio, planè (vti dixi) incerta est, in præcocibus nimirũ: nam serotinæ suum genus conseruare videtur: aut si aliquam mutationem adquirunt, in vnguium & flammum varietate duntaxat consistit.

Solet caulis è medio bulbo erumpere: sed ipso cum foliis iam marcido, & siccato, si bulbum eruas, ad latus ipsius bulbi enatum cõspicies (quod etiam euenit in Iride bulbosa, Colchico, & aliis congeneribus) nouo bulbo paulatim succrescente, & totius plantæ succum ad se recipiente, quo tempore commodissimè erui potest, & in alia loca sine noxa transferri.

Interdum accidit vt rubra serotina iam grandior, nondum tamen planè adulta instar Tulipæ Apenninea T. Bononiensis. *siue Bononiensis (cuius flos admodũ odoratus est & leucoij flore luteo suaueolentiam refert) proles in latus spargat, vt in meo hortulo, in quo varij generis bulbosas stirpes florum elegantia & varietate commendabiles alo et excolo, non semel obseruaui.*

Omnes autem cuiuscumq. generis Tulipæ, (vt etiam hoc breuiter annotem) quemadmodum longa experientia hactenus didici, quamdiu florem non ferunt, ἄκαυλοι planè sunt, & vnicum singulis annis proferre solent folium: at si dum sese explicare incipit, secundum etiam eo inclusum appareat, illo ipso anno florem prolaturum spes est, nisi pruina, aut aliud ab insectorum erosione incommodum eam intercipiat.

QVO *nomine veteribus dicta sit hæc plãta, multi dubitant. Sunt tamẽ peritiores nonnulli, qui ad Satyrium*

Dioscoridis,

Dioscoridis, quibusdam τρίφυλλον *cognominatum, referendam censeant: ad cuius sanè descriptionem multis notis accedit. An verò iisdem facultatibus cum Satyrio prædita sit, neminem periculum fecisse intellexi.* σατύριον τρίφυλλον.

Potuisset fortè ante aliquot annos Antuerpianus quidam mercator certi quidpiam de ea re statuere. Is enim cùm horum bulborum non exiguum numerum ab amico vnà cum byssinis pannis Cōstātinopoli sibi missum accepisset, cepas esse existimans, aliquot ex illis assari iussit, & vulgarium ceparum modo ex oleo & aceto in cœnam sibi parari: reliquos in horto, inter brassicas & alia olera defodit, vbi neglecti, omnes breui perierūt, præter paucos quos Georgius Rye mercator Machliniēsis, rei herbariæ perquam studiosus, ad se recepit: cuius sanè diligentiæ & industriæ acceptum referre debemus, quòd eorum postea flores gratissima varietate spectabiles videre nobis licuerit.

Hactenus autem Tuliparum bulbi nobis Byzantio missi sunt, præcocis quidē Café lalé, *serotinæ verò* Caualá lalé *nomine: à locis nimirum vnde primùm Constantinopolim illati fuerunt appellatione indita.* lalé *enim Turcis florem significat: Caffa sanè vrbs est in peninsula* Gazaria *dicta, quæ inter Propōtidem & Euxinum pontum sita est.* Café lalé. Caua.ála lalé.

De Fritillaria.

CAP. VII.

VENVSTISSIMA *hæc planta rotundo est caule, pedali, interdum etiam maiore, tenui, foris ex viridi purpurascente, & obsoletioris coloris, intus verò, vt in Tulipis fungoso: quina plerumque habet folia, interdum etiam plura, temerè per caulem sparsa, angusta, carinata, digitali longitudine (superiora tamē breuiora* Fritillariæ historia.

 sunt)



sunt) caule viridiora, & Narbonensi siue Hispanicæ Tulipæ foliis forma coloréq. proxima: flos in summo caule sæpissimè vnicus, nonnunquã et alter, raro tertius, interdũ etiam gemellus (omnes autem, si plures fert, eodem tẽpore aperiuntur) inodorus, propẽdens & deorsum spectans tintinabuli aut nolæ modo, sex foliis constans, quæ areolis quibusdã nunc quadratis, nũc oblongis, partim candidi, partim purpurei, siue saturatioris, vt ita dicã, carnei coloris, elegantissimo ordine, pulcherrimaq; serie distincta sunt, quadris tamen ad latera minoribus: folia interiore parte sunt vegetiore & elegantiore colore prædita, candicantésq. sessili parte (vti in Rosis) vngues habẽt, à quorũ infima sede virescens quadã & herbidi coloris linea, ad mediũ vsq. foliũ ducta videtur: stamina, sex medium florem occupant, primùm pallida, deinde, vbi obuersa sunt, lutea, & quasi puluere quodam conspersa (quali sunt omnium fere florum stamina seu apices) quæ stilum trisulcum, vt in plerísque aliis floribus ambiunt: siliqua deinde succedit triangularis, vncialis plerumque, superna parte crassior & sine corona, alioqui Mompellianæ Tulipæ capiti similis, in qua semen exiguum, planum Mompellianæ tulipæ semen quasi referens, margine membraneo latiore, in quo nullum, contra quàm in Tulipis, germen conspicitur: radix bulbosa, candida, solida, nullis tunicis septa, sed veluti in binas eásque plerumque æquales partes secta, è cuius medio protuberat quasi puluinus quidam vnde caulis emergit, sessili parte multis tenuibus fibris donata est.

Flos interdum variat: nam modò dilutiores quadras, modò saturatius purpurascentes habet.

Sponte quibusdam pratis ad Ligerim flumen non procul Aurelia vrbe Galliæ celebri nascitur, vnde primùm ad me missa fuit Machliniam, & Belgicæ communicata

municata 1572. Deinde Viēnæ Austriæ aliquo bulbos accepi anno 1575. munere Ill. viri Dn. Ioannis de Vulcob, Regis Galliæ apud Cæs. Mtem tum Legati. Anno verò 1579. etiam in quibusdam pratis quatriduano itinere infra Budam Pannoniæ, ab iis qui Constantinopoli redibāt, mense Martio, cum floribus obseruata est.

Floret etiam in hortis Martio, nōnunquam Aprili.

Fritillaria secunda.

2. *D. Ioannes Boisot, veteri amicitia mihi coniunctus, eius genus habet magis serotinum, quod videlicet toto bimestri post primum illi floruit anno 1577. Habuit id binos flores parte interiore ex luteo virentes sine vlla colorum distinctione: foris verò neruus extuberans & eminens ex obscuro viret, & foliorum ora (quæ nonnihil reflexa sunt) versicolores sunt, ex luteo, virenti, & purpureo: ex Aquitania originem ducere id intellexi.*

Qui *ad me primum genus mittebat pharmacopœus Aurelianensis, Noel Capperon vocatus, ac paulo pòst in cōmuni illa laniena per vniuersam Galliā grassante sublatus,* Fritillariæ *nomen indidit, quòd eius areolæ versicolores fritillum quodammodo æmulentur: vulgo*

Lilium variegatum. Meleagris.

Lilium variegatum antè appellata fuit. Sunt qui Meleagridem vocare malint, quoniam eius foliola variis coloribus picta sint, vti plumæ Meleagridis auis (quæ vulgo Gallina siue Perdix Barbarica siue Guineæ dicitur) diuersis tamen. Secunda autē species, neque Meleagridis, neq. Fritillariæ nomen mereri videtur, quandoquidem nulla colorum varietate præterquam extremis foliorum oris distincta est.

An *apud Recentiores medicum in vsum veniat hæc planta, me fugit. Sed ob florum elegantiam & amœnitatem in hortis maximè coli existimo.*

De Nar-





De Narcisso pleno flore.

CAP. VIII.

NARCISSI *pleno & multiplici flore historiam & iconem in Hispanicis obseruationibus dedimus. Sed postea aliud genus sese obtulit, quod prætermittendum non duxi.*

ALTER *ergo* πολύανθος *Narcissus, similia priori folia habet, & reliqua omnia præter florem, qui senis quidem vt prior constat albis foliis, coronam verò mediam totam luteam & multiplicem obtinet, emicantibus è medio foliolis oblongis & angustis stellatim quasi decussatis, colore quidem albo, sed cui & viridis foris, & pallidus interiore parte permixti sint: odor fere qualis in priore, sed nescio quid magis aromaticum spirans, medius quasi inter Narcissum & Muscari.* Narcissus multiplex.II.

Allatus fuit hic Narcissus Constantinopoli à Dn. Philiberto de Bruxellis p.m. sub initium anni 1575. & mihi cum plerísque aliis bulbis donatus: eodem anno & subsequentibus emersit, & folia protulit, at nullum florem. toto anno 1579. latuit, eam ob rem omnino periisse existimaui, donec anno 1580. mense Martio iterum prodiret eodem quo repositus fuerat loco, Aprili tandem in eodem caule ternos flores, quales modò descripsi, tulit. Sed & anno 1581. dum abessem & in Anglia peregrinarer, floruisse denuo, mihi relatum est. Ante hiemem verò folia emergere non solent, sed nouo vere duntaxat, eo anno quo florem daturus est. Nam si ante hiemem illi prodeunt, proximo vere nullos dabit, eadem ratione quo reliqui præcociores Narcissi, qui cùm steriles futuri sunt, folia ante hiemem producunt.

DE NARCISSO SEROTINO MONTANO.

CAP. IX.

Narcissi serotini historia.

QVATERNA *aut quina Martio mense profert folia, oblonga, angusta, Narcissinis similia, inter quæ medio Aprili pedalem caulem, rotundum, nudum, intus fungosum, in cuius summo è tenui membrana vnicus, deinde alter interdum flos nascitur, sex niueis foliis expansis et stellæ modo decussatis constans, calyculo plano, pallido (cuius oræ rubra fimbria exornatæ sunt) medium florem occupante, et sex intus staminulis subluteis inæqualibus prædito, totus odoratus, & Narcissi medio purpurei floribus persimilis: capitula succedūt trigona, crassiuscula, in quibus semen nigrum, inæquale, continetur: radix bulbacea est, multisque candidis tunicis constat, extima quæ reliquas ambit, fusca, è cuius sessili parte plurimæ subfuscæ fibræ dependent.*

Prouenit magno miliari supra Gamingam Chartusianorum monasterium Diuæ virgini ad Thronū nuncupatum, pratis quibusdam altissimo lacui vicinis, ad prædium Zechof *dictum, in quo curantibus Chartusiæ moderatoribus, perhumaniter & luculenter excepti semper fuimus, dum in summa Herrenalben & Durrenstein iuga tenderemus, aut ex iis iugis Gamingam rediremus. Floret Maio.*

In Belgicis hortis similem planè cùm istic viuerem, ali memini.

DE NARCISSO PERSICO.

CAP. X.

Narcissi Persici historia.

Ἄκαυλος planè est hac planta, & floris tantummodo caulem sortita, veluti Crocum, siue Lirium alterum in Hispanicis nostris obseruationibus descriptum, cui insidet



M

sidet flos è membraneo cucullo veluti ex vasculo exiliẽs, Lirio quidem alteri similis, verùm paùlo oblongior, sex foliis itidem constans; quorum tria interiora, nonnihil angustiora sunt, externa verò latiora, et sub extremum aliquantulum incurua, siue ἀπόφυσιν quandam habentia qua interiora amplectuntur & comprehendunt, colore melino, ingrato odore & papaueris virus redolente: stamina in medio totidem quot folia, sed qua ad internorum foliorum sedem enascuntur, reliquis tribus longiora sunt, è medio stilus exilit oblõgior, gracilis, & sine capite. Folia illi ab alterius Lirij foliorum forma haud multum absimilia, sed Hemerocallidis Valentina in Hispanicis obseruationibus etiam descripta foliis viciniora, lata, plana, eiusdémque cum illis coloris, hoc est, aruginosi, qua interdum sese circumagũt: radix crassa, bulbosa, à basi (qua multis fibris donata est) statim extuberans, intus candida, foris pallida quidem, sed nonnihil etiam nigricans.

Constantinopoli semel duntaxat allatus est hic bulbus, mihique communicatus à Philiberto de Bruxellis iam dicto, anni 1575. initio, quem postea variis amicis cum in Belgicã, tum in Germaniam misi. Atque principio Narcissum autumnalem ex bulbi forma esse coniiciebam, in qua opinione admodum me confirmauit flos sub finẽ Septẽbris emergẽs. Sed postquã folia nõ subsequi animaduerti, & ineunte demum vere prodire obseruaui, eaque ab illius foliis colore differentia: tum exactius vtramque plantam inter se contuli, & manifestè deprehendi dispares esse: fert autem siliquam crassitudine pollicari breui pediculo inharentem, & è summa tellure vix emergentem, qua cùm inanis esset, nullum semen obseruare licuit; etenim ab eo tẽpore nullas siliquas protulerunt quas seruaueram planta.

NOMI-

NOMINE Zaremcada persiano, *quod latinè Nar-cissum persicũ sonat, allata fuit hæc planta. Non minus autem conuenire videtur cum Lirio altero Theophrasti, quàm autumnalis suprà memoratus, & forsitan etiam aliquanto melius.* Zaremcada persiano. Lirium alterum Theophrasti.

OMNEM *porro Narcissum Turcæ propriè appellant* Serin cade, *hoc est, Regium calicem, quòd flauum illud floris meditullium calicis formam quodammodo referat: qui verò huc ad nos mittunt eius bulbos, vario corruptóque vt plurimum inscribunt nomine, nunc* Zarem cada, *modò* Zerem cade, *interdum etiam ineptiore* Zaremcatta. *At qui pleno est flore, nonnunquam* Giul catamer lalé *(quemadmodum Anemonem polyphyllo flore, & alias nonnullas stirpes) appellatione accepimus, quæ voces Rosæ plenæ florem significant.* Serin cade. Giul catamer lalé.

Sed & Narcissum illum qui medium calycem exiguum & planum, fimbriáque rubente insignitum habet, vnicum duntaxat ferè semper, aut rarò binos flores eodem caule ferentem, non Serin cade, *vt qui medio luteus, aut totus flauus, totúsve candidus est: sed* Devė bohini *vel* boini, *id est, Cameli collum siue caput nuncupãt, quoniam floris collum longius quàm ceteri Narcissi protensum habet.* Deue bohini.

DE LEVCOIO BVLBOSO PANNONICO.

CAP. XI.

TRIA *Leucoij bulbosa radice apud Pannonias inueniuntur genera: quorum duo præcocia sunt, tertium serotinum.*

PRIMVM *Narcissi autũnalis vulgò vocati foliis simillima habet folia, admodũ viridia, & nitida, sed nõ adeò atro virore splendentia, vt illius: caulicultũ è medio foliorũ exeuntẽ, palmarem, nudũ, striatum, infirmũ, intus* I. Leucoiũ bulbosum præcox maius.

 vacuum,




vacuum, membraneum folliculum aut vaginulam extrema parte firentẽ, è qua vnus, interdũ bini flores, raro terni erumpunt, sex foliis æqualibus cãdidis, sed extima & angustiore parte veluti macula è viridi flauescente infectis cõstantes, nutantes & deorsum spectantes, exigui cymbali modo, mediũ florẽ occupantibus sex luteis staminulis cum candicante stilo, odore floris oxyacanthæ, nec ingrato: flori succedunt membranea capitula pyri modo turbinata, semen ex candido flauescens continentia, oblongiusculum, & durum: radix bulbosa est, multis candidis tunicis (extima tamen fusca) constans, & densa candicantium fibrarum coma firmata.

II. Leucoium bulbosum præcox minus.

ALTERIVS *folia à superioris quidem foliis non multũ discrepant, verùm angustiora & firmiora sunt, ad Pseudonarcissi flore luteo foliorũ formã magis accedentia, quorũ colorem æruginosum & cinereũ æmulantur: cauliculi graciliores, etiam palmares, nudi & concaui, è vaginula vnicũ semper florẽ (plures obseruare non memini) promentes, superiore minorem, nutantẽ etiam & pendulum, sexq́; candidissimis foliis constantẽ, quorum tria externa omnino niuea, aliis duplo longiora latioráque sunt, radiisque solaribus illustrata, aut sudo cælo, alarum modo sese explicãt, tria interna breuiora sunt, & cordis, vt vulgo pingitur, formã referunt, virescente limbo extremitatis ambiente: medium florem sex etiam staminula crocea, stilúsque exilis candidus occupant, odor nullus: similia superioribus fere capita succedunt, sed minora sunt, & oliuæ virentis formam propemodum exprimunt, in quibus semen alteri simile sed candidius: radix superiore minor, multis etiam tunicis albis constans, externa nonnihil nigricante; & sessili parte multis tenuibus fibris prædita.*


Prodit vtrumque maturè admodum, statimque inter



bina folia florem ostendit vix liquefactis interdum niuibus, quas secundum genus nonnunquam etiam penetrat: Maio mense semen maturescit & folia marcescũt.

Alia porro Secundi generis species Constantinopoli superiore Autumno allata est, cuius unicũ bulbũ Narcissi bulbis permixtũ Generosa Dn. de Heysenstein accepit, atq. cũ illis terræ mandauit. Huius anni 1583 ineunte Martio binis foliis prodiit, eiusdẽ cum iã descripti foliorũ coloris, nempe æruginosi, sed latioribus, floris gemmã vt in superiore cõplectentibus: crassiusculus cauliculus tandẽ succrescẽs unicum florẽ in vaginula inclusum sustinuit, qui postquã explicatus fuit, forma superiori similis apparuit, duplo tamen maior, tribus externis foliis alarũ modo expansis, omnino niueis, interiorib. vero breuibus, bisulcis vt in superiore, simul coniunctis, et veluti tubulũ efformantibus, magna ex parte virẽtibus, deinde circa oras albis, quas tamẽ extremas, virides maculæ inficiunt: inodorus verò non est hic flos, at illius, quẽ in Primo genere descripsi, fragrantiam æmulatur, imò iucundius quidpiam mihi etiam spirare videtur. 2. Leucoium bulbos. Byzantinum.

TERTIO *quinq. aut sex sunt folia Narcissinis similia & virentia: è quorum medio caulis pedalis aut amplior assurgit, nudus, concauus, aliquantulũ planus, & binis acutis angulis præditus, viridis, è membranea vaginula quinos aut senos flores proferens, pendulos tintinnabuli modo, sex æqualibus & niueis foliis constantes, quorum extimam partẽ virides maculæ inficiunt, senis intus staminibus luteis & medio lacteo stilo cuspide viridi insignito: floribus succedunt magna & trigona fere capita, in pyri modũ turbinata, quæ semen continent nigrũ orobi magnitudine, aut quale Liliasphodelus flore luteo fere habet: radix crassa & bulbacea multis succulentis tunicis constat, & plurimis fibris donata est.* III. Leucoiũ bulbosum maius serotinum.



Serius quàm superiora plerumque germinare solet, atque Maio demum mense flores proferre.

Uno duntaxat loco hoc postremum genus obseruaui, in Pannonia interamni vliginosis pratis supra Warasdinum anno 1579. Praecocium item primum solummodo in silua non procul Zolonock Ill. Dn. de Batthyan oppido vdis locis: Alterum verò non modò in Viennensi & Leytano saltubus, sed etiam plerisque Pannoniae pratis: vmbra tamen magis delectari videtur.

PRIMVM *à rhizotomis mulierculis* Mosz vepl/ *quasi, palustris viola, dicitur; in Germania verò vbi plerisque locis nascitur,* Weysz hornungsblumē/ *id est, candidus Februarij flos, ad differentiam Pseudonarcissi oblongo & luteo flore, quē* gelb hornungs blumē/ *hoc est, luteū Februarij florem appellant, quòd eo mēse et ineunte vere plerumque floreant. Alterum ab iisdem rhizotomis mulierculis* Weysse vepl/ & Snettropfen/ *id est, alba viola, & niuea gutta ab insigni candore nuncupatur. Serotini nullum vulgare nomen intellexi. Cui planè simile ante triginta annos colligere memini in pratis ad Latera oppidulum Mompelliani agri, non procul à Volcarum stagno. Eius etiam genus alitur in Germanicis & Belgicis hortis, huic per omnia simile, nisi folia pallidiora quodammodo essent, & minus mucronata, sed veluti bifida: flores item maculis ex viridi pallentioribus infecti sunt.*

DE ORNITHOGALO ARABICO.

CAP. XII.

OBLONGA *habet folia, viridia, carinata, Hyacinthi orientalis foliis adeò similia, vt ab iis vix discerni possint, minimè autem Narcissi foliorum aemula: inter qua cubitalis emergit caulis, laeuis, nudus, gracilis, vi-* Ornithogali arabici historia.

 rescens,



rescens, quem aliquot in summo nascentes confuso ordine ambiunt pediculi, flores sustinẽtes magnos, Narcissinis pares, sed Ornithogali forma præditos, illorúmque modo sub vesperam se claudentes, sex foliis omnino albis constantes, medicato odore, triangulari capitulo nigro, splendente, medium florem occupante, ipsum verò capitulũ staminibus sex albis apice luteo coronatis ambientibus: semina nondum obseruare mihi licuit: radix bulbosa, Hyacinthi æmula, candicans plerumque, è multis tunicis conflata, lata admodum sede, & in circuitu fibras spargente.

Primùm communicata Belgis hæc planta fuit, missis eius radicibus Ill. Dn. Brancioni à C. V. Alphonso Pantio, & ampliss. Iac. Ant. Cortuso, deinde etiã Constantinopoli cum aliis raris stirpibus missa. Semel eam in Belgica florentẽ vidi, deinde vnica Viennæ mihi floruit mense Iunio 1575: neutra tamẽ semẽ tulit, sed caules cum foliis emarcuerũt. Et licet sæpius postea acceperimus, illius flores videre non contigit, nedum semen.

At quæ anno 1580. Constantinopoli mense Martio allatæ fuerunt, magna ex parte flores tulerunt, sed nullum semen.

Mira verò est istius bulbi natura: nam plerumque experti sumus vix vlla folia producere, nisi singulis eximatur annis, & aliquanto tempore adseruetur, deinde denuo antę hiemem terræ mandetur, tum enim demum germinare: nullius autem florere mihi conspectus est, nisi recens Constantinopoli allatus. Cùm verò frigoris admodum impatiens sit, neque in Belgica, neque Viennæ hortum ferre potest: sed in fictilibus alendus est, vbi adnatis sese feliciter propagat.

PORRO *ex Italia missus fuit Lilij Alexandrini nomine: Constantinopoli verò semper* Zunbul arabi, *quod* Lilium alexandrinum. Zunbul arabi.

Hyacin-

Hyacinthum arabicum sonat. Sed quoniam ad Ornithogali genera potius referẽdus videtur, quàm ad Hyacinthos, Ornithogali arabici nomẽ indidi: licet Matthiolus Narcissis adnumeret. Viennenses matronæ **Weyss Jacinthe/** *hoc est, candidum Hyacinthum appellant.*


DE ORNITHOGALO PANNONICO.
CAP. XIII.

DVO *Ornithogali genera per Pannonias obseruaui, quæ nunquam antea videre memini.*

I. Ornithogalũ Pannon. minus flore albo. PRIORI *quinque aut sex ante hiemem germinant folia humi expansa, angusta, digitali longitudine, ex viridi canentia, & Caryophylleorum altilium foliis forma & colore propemodum similia, aliquantulum hirsuta sapore herbaceo: subsequente Aprili dum iam flaccescere incipiunt folia, ex eorum medio exilit dodrantalis cauliculus senos aut plures flores spicatim cohærẽtes sustinens, qui è senis foliolis compositi Maio mense sese explicant, intúsque niuei omnino, foris neruum viridem vt vulgare ornithogalum, maiúsque Mompellianum, habere conspiciuntur: siliquæ deinde triangulares semen nigrum, rotundum continent: radix subest bulbosa, oblongiuscula, candida, intus viscosa, gustu primùm insipido, deinde acri, foris cinerea membrana tenui obducta, & sessili parte multis candidis fibris capillata Illud peculiare habet hæc planta, vt magna ex parte dum floribus onusta est, sine foliis conspiciatur, aut fere iam euanidis, & flaccidis. At in hortos sata diutius plerũq. folia retinere solet, & in maiorẽ amplitudinẽ excrescit, spicã vicenorũ aut plurium florũ nonnunquã proferens.*

Largissimè prouenit aperto illo campo secundum siluulam pago Lachn imminentem; et in pratis siccioribus secundum Danubium, in mõte Badensibus thermis imminenti, totaq. illa montium serie, inde vsque ad Calenberg

Ornithogalum Pannon. albo flore.





lenberg excurrēte locis apertis & gramineis, tum etiam in Hamburgensi monte.

VNICO *alterum prodit foliolo, duorū aut trium digitorū transuersorū longitudine, angusto, colore exalbido, subacido gustu: iuxta quē tenuis cauliculus vncialis, vnū aut alterū foliolū sustinens, è quorū medio bini aut terni exiliunt flosculi stellati, intus lutei, foris ex viridi purpurascentes, sex radiolis & totidē staminibus intus praediti: iis succedunt exigua triangula capita, semine ruffo, exili, & inaequali plena: radix candida rotunda, cinereo putamine amicta, pisi exigui magnitudine. Sed & hoc cultura maius aliquantulum euadere solet.* II. Ornithogalū pannon. minus luteo flore.

Inuenitur eodē quo superior loco apud silnulā Lachn pago vicinam: sed aprico magis delectari videtur: nam abundantius crescit in margine illius aperti agri Meridiei opposito. Obseruaui etiam in agris inter Nemethwywar & Zolonock oppida saepius memorata.

Vtrumq. hoc genus D. Brancioni aliisq́; amicis Belgis misi iā ab anno 1574. altero postquā Viennā appulissē.

CETERVM *in Alpiū pratis vbi silua desinere incipiunt, inuenitur etiam id Ornithogalum luteum, quod Fuchsius & Tragus Bulbum siluestrem appellarunt; Vngari,* tik tara: *tametsi alpinum maiore folio constare mihi videatur, floribúsque non adeò luteis, sed ex herbaceo quodammodo pallentibus esse praeditum.* Bulbus sil. Fuchsij.

Frequens est & vltra Drauum, et Warasdinum in agris Ornithogalum vulgare flore albo. Ornithogalū vulgare.

Apud Nemethwywar verò in segetib. nascitur maius illud ornithogali genus, quod apud C.V. Remb. Dodonaeum Asphodeli bulbosi Galeni nomine insignitur. Ornithogalū mai⁹ Asphod. bulbos. Galeni.

Hic etiam mihi natum est Ornithogalum maius Mompelliano simile, semine Moly nomine, à Rassio mihi Lutetia misso. Ornithogal. maius Mompelian.

DE HYA-



DE HYACINTHO OBSOLETIORE Hispanico. CAP. XIIII.

CONSTAT *quinis aut senis foliis oblongis, carinatis, succi plenis, colore ex cinereo virescente, Muscari foliorum æmulis fere, sed angustioribus, flexilibus, per extremũ rotundis & mucronatis, candida linea interius per lõgitudinem excurrente, ingrati saporis: caulis è mediis foliis prodit pedali longitudine, gracilis, nudus, denos, duodenos aut plures flores per interualla ferẽs deorsum spectantes, Hyacintho Belgico, siue nõ scripto Dodonæi propemodũ similes, senis foliis constantes, quorum terna exteriora valdè reflexa sunt, interiora minus, sed veluti tubulũ quendam efficiũt: color in his admodũ obsoletus, ex purpureo, pallido & virescente permixtus, nullus odor: semen fert in capitulis planũ, nigrũ, cartilagineum, circinatæ fere rotunditatis, Scillæ semini non multũ absimile: radix globosa et rotunda multis candidis tunicis constat, & numerosis fibris sessili parte prædita est.* Hyacinthi obsoletioris Hispanici historia.

Sponte nascitur quibusdam Hispaniæ locis, vnde primùm in Belgicam delatus, nonnullis amicis floruit, à quibus semine cõmunicato natæ mihi sunt aliquot plantæ: earum vna duodenos flores anno 1578. protulit, altera biennio pòst plures, sed nullum semen.

Serò germinat, & folia in Autumnum seruat: Iunio autem floret cum Liliis.

CVM *in Belgicam amicis mitteret hunc bulbum Franciscus de Hollebeque Regis Hispaniæ hortulanus in Aranjoes, adscriptum erat Hyacinthus flore coloris cerei & terreni. Et sine dubio inter Hyacinthos censendus est.*

Misit præterea & aliquot alios bulbos, quorũ maxi- Bulbi varij à Francisco de Holbeque in Belgicã missi.

mam partem (vt Hiſpania bulbacearum & variarum aliarum ſtirpium exoticarum maximè ferax eſt) in
1. *Hiſpanica mea peregrinatione non obſeruaui: quales ſunt: Bulbus quatuor aut quinque flores geſtans, in mo-*
2. *dum albæ campanulæ efformatos: Bulbus flore campanulæ ſatis magno terram ſpectante, colore intus luteo. fo-*
3. *ris purpureo: Bulbus flore luteo ſuperiore parte aperto:*
4. *Bulbus alius flore luteo humili, cui ſemen ſimile* amores
5. mios *(eo nomine Hiſpanis dicitur Hemerocallis Valẽ-*
6. *tina) Narciſſus iuncifolius flore albo: Narciſſus flore*
7. *cæruleo: Pſeudonarciſſi genus admodum exile: Bulbus*
8. *montanus ignotus ſimilis Croco ſilueſtri: Tulipa Hiſpa-*
9. *nica monte quodam naſcens non procul Aranjoes: &*
10. *Hyacinthus orientalis Hiſpanicus.*

Tulipa hiſpanica.

Tulipæ quidem iſtius Hiſpanicæ aliquot bulbos aliquando habui: ſed vnicum omnes folium duntaxat protulerunt, imò adeò ſingulis annis imminuti ſunt, vt tandem perierint: bulbus non erat abſimilis Mompellianæ tulipæ, ſed paulo minor, folium etiam æquale: florem autem illi forma ſimilem eſſe retulerunt, ſed qui cum luteo purpuraſcentem colorem admixtum haberet.

DE HYACINTHO COMOSO BYZANTINO.

CAP. XV.

Hyacinthi comoſi byzantini hiſtoria.

QVATERNA, *quina, aut ſena habet folia, humi interdum fuſa & expanſa, nonnunquam ſolummodo procumbentia, oblonga, Hyacinthi primi Matthioli foliis ferè ſimilia, ſed latiore cuſpide, & in lateribus tenui veluti lanugine obſita, præſertim circa folij exortũ, guſtu ingrato: è quorum medio pedalis aut amplior interdum naſcitur caulis, teres & rotundus, nudus & ſine foliis, intus fungoſus, foris viridis, læuiſque, quem à medio ad ſummum ſexageni aut plures ambiunt flores oblongiuſculi,*



longiusculi, extrema parte in sex laciniolas divisi, sexque intus staminulis purpureis praediti, inodori, initio candidi, deinde cùm marcescere incipiunt, fusci & inelegantis coloris: pediculi quibus flores nituntur, initio breuissimi sunt, deinde paulatim marcescentibus floribus excrescentes, quatuor unciarum aut ampliorem interdum longitudinem adquirunt, sic vt totus caulis suis floribus ita expansis onustus, aspergillum non minus referre videatur, quàm Hippuris quoddam genus: caulis suprema pars cum florum pediculis purpurascit: incipit autē florere ab imis vt eiusmodi genera: capitula deinde trigona exigua pro plantæ magnitudine fert, in quibus semen rotundum, nigrum, vulgaris Hyacinthi comosi femine minus continetur: radix rotunda, bulbosa, multis candidis tunicis constat, exteriore subfusca, & basi multis fibris candicantibus fulta.

Ante paucos primùm annos Cōstantinopoli cum aliis varij generis bulbis allatus est Mag^co ac Generoso Dn. Paulo à Trautzon Cæsarea aulæ Marischalco, et eiusdem Ma^tis Consiliario, qui eius paucos bulbos in suburbano suo alit, vbi mihi primùm conspectus est anno 1580. Maij initio florens.

Hyacinthus primus Matthioli.

CETERVM *Hyacinthi illius primi Matthioli, siue comosi maioris à quibusdā cognominati, qui in multis orbis Christiani prouinciis sponte nascitur, duo per*
1. *Pannonias genera obseruare memini. Alterum præcocius latiore folio, crassiore coma, ineleganti tamen, ma-*
2. *ioréque bulbo. Alterum angustiore folio, tenuiore comà, laxiore tamen & elegantiore, minoréque bulbo, cuius flores comæ proximi, ex cæruleo purpurei eiusdémq. cum coma coloris sunt, quæ nota in priore desideratur: præcocius Maio, alterum Iunio floret.*

SIMI-

SEMINE porro ex Hispanis anno 1575. Hyacinthi orientalis hispanici nomine misso (cuius tamen duo genera esse deprehendi, cùm vnum minutius esset Hyacinthi comosi maioris æmulum, alterum crassius, Muscari semini perquam simile, quæ adeò caussa fuit vt separatim sererem) Viennæ Austriæ natæ sunt plantæ bulbaceæ, quæ nobis tandem duo Hyacinthi comosi maioris genera dederũt, à vulgaribus florum coma non differentia, nec etiam foliis, nisi quòd alterius folia latiora Muscari foliis proxima sunt, & ineunte vere primùm emergere solent, alterius verò angustiora, oblongióráque, etiam ante hiemem. Hyacinthus comosus inaior Hispan semine natus.

MEMINI & nos in Belgica alere Hyacinthum comosum flore albo obsoletiore, qui nulla aut perpusilla coma præditus esset. Hyac. comos. flore albo.

Illud autem peculiare in nonnullis, vt flores præmaturi nigrum seu fuliginosum pollinem excussi spargant vstilagini ferè similem. Semen in omnibus rotundum, nigrum, Muscari seminis propemodum æmulum.

QVO nomine prior à Turcis missus sit, me latet: cum Muscari bulbis permixtũ fuisse arbitror, propter comæ & florum cum comoso similitudinem, comosum Byzantinum cognominaui: vulgarem vtrumque appellant Vngari Kygio hägma, id est, serpentinam cepam.

DE BVLBO ERIOPHORO.

CAP. XVI.

HIC est ille bulbus, cuius florem tam diu Belgica videre desiderauit. Nam eum primùm nacti munere amplissimi viri Iacobi Antony Cortusij patricij Patauini, plurimis annis summa diligentia istic excoluimus, vt in maximam amplitudinẽ excresceret, & se mirum



in modum adnatis propagaret, adhibita etiam omni cura (subinde mutatis terræ generibus) vt ad florum generationem perduceremus, sed operam lusimus.

Et postquam accessit illustrium quorundam Venetorum qui ad nos perscripserunt testimonium, eius florem (tametsi plus decennio hunc bulbum in suis hortis coluerint) nunquam conspexisse, factum est, vt sterilem esse mutatis natalibus, neque florem aut semen proferre arbitraremur, præsertim quando id vitium numerosa muscleorum sobole abunde compensaret. Verùm aliter rem se habere, anno 1575. mense Maio deprehendi. Bulbus eriophorus rarissimè florens.

Nam cùm præcedente eum anno à bruma aliquot eius bulbos Muscari *maioris nomine cum plerisque aliis rarissimis plantis, Constantinopoli rediens attulisset Dn. Philebertus de Bruxella S. C. M^tis dapifer p. m. & ex illis nonnullos pro nostra amicitia mihi dedisset, partem ipse terræ concredidi, partem in pensili horto C. V. D. Joannes Aicholzius medicus & professor Viennensis: mihi omnes perierunt, ille verò duos conseruauit, quorum alter etiam floruit non sine ingenti mea lætitia, quam omnibus rei herbariæ studiosis istius bulbi ad viuum expressa delineatione à peritissimo artifice Martino Rota S. C. M^tis sculptore, atque descriptione in Appendice ad Hispanicas obseruationes illo ipso anno testatam esse volui, quam nos hic denuo repetemus, quoniam ab eo tempore illius florem nunquam videre nobis contigit, licet ipsum bulbum adhuc alamus mira fœcunditate plurimas soboles procreantem.*

SVNT *ergo Bulbo eriophoro multa oblonga folia, Hyacinthinis ferè similia, minus carnosa & succulenta, duriora tamen, viridia, mucronata, sapore ingrato, quibus minutissimè etiam confractis, tenuia quædam fila instar telæ aranearum diduci possunt. Ex horum* Bulbi eriophori historia.

medio caulis exit cubitalis aut amplior, rectus, Scillini caulis æmulus, læuis, nudus, virescens, superiore verò parte ad cæruleum colorem tendens: in summo veluti oblōgam ac densam fert spicam in denos vel plures versus, ante quam explicetur, distinctam, primū viridem, sed paulatim (dum sese explicat in flores) cæruleum colorem contrahentem: flores senis foliolis stellatim expansis constant, triangulo vmbone in medio protuberante, Hyacinthi autumnalis floribus propemodum similes, inodori, colore cum suis pediculis cæruleo & internis staminibus, quorum apices initio purpurei sunt; &, vbi sese explicarunt, veluti pallescente quadā farina aspersi. Incipit florere ab imo, vti Scilla solet, & reliqui magna ex parte bulbi, qui flores racemī aut spicæ in modum confertos habent. Semē etiam obseruare voluimus: sed flores admodum caduci, statim marcescere cœperūt, & relictis in caule tantum pediculis deciderunt. Radix crassa & bulbosa est, ex plurimis tunicis contexta, alba, tomentosa, & veluti aranearum telis obsita, multos circa latera natos bulbos habens, & crassis oblongísque fibris nitens.

ἐριόφορος. Ἐριοφόρου, *Laniferi nomen huic bulbo inditum, ob tomenti copiam, quod lanæ modo in stamina diduci potest.*

Solus Theophrastus inter Veteres lib. 7. Histor. plant. cap. 13. eriophori meminit bulbi, eum in littoribus nasci, lanámque sub primis tunicis habere, ex qua togæ & aliæ vestes conficiantur.

Eius testimonium adfert Plin. lib. 21. Naturalis hist. cap. 2. Addit Theophrastus, quod internum est in eo bulbo, mandi: cuius nullum fecimus periculum.

De Mvs-



De Mvscari.

CAP. XVII.

Ex *Constantinopoli vicinis hortis vltra Bosphorum in Asia sitis primum nostræ Europæ communicata est hæc planta, quæ ob suauissimum odorem silentio premenda minimè fuit.*

Muscari historia. Habet *autem quina aut sena oblonga folia, per terram diffusa, & hac illac siue obliquè inflexa, canicu-lata, satis crassa & succulenta, Hyacinthi comosi maioris, siue primi Matthioli foliis perquam similia, quæ cùm primùm germinant, purpurascunt nonnunquam, interdum albescunt, & aliquando pulcherrimo rubro colore nitent. Ex horum medio caulis verno tempore erumpit satis crassus, rotundus & nudus, sed admodum infirmus pro sua crassitie: hunc à medio ad summum ferè racematim cohærentes ambiunt flores, vrceolis propemodum similes, initiò interdum purpurascentes aut virides, deinde ex purpura virentes, aut ex virore albicantes, nonnunquam subcærulei, aliquando nigricantes initio, deinde pallidi, qui marcescere incipientes gratissimum moschi ferè aut aromatum odorem referunt, licet qui flauo colore est, grauius quidpiam, & narcissinum quodammodò spiret: intelligo & niueo omnino flore, atque etiam egregiè rubente inueniri, quos sanè mihi videre nondum contigit. Omnibus succedunt prægrandia, triquetra, & veluti pinnata capitula, in quibus semen continetur nigrum, rotundum, magnitudine orobi, aut illi Hyacintho primo iam memorato ferme omnino simile, qui veluti comã ex cæruleo purpurascentibus staminibus constantem summo caule gerit. Radix subest magna, albicans, multis tunicisceparum more contexta, & frequentibus crassis fibris ex ima sede prodeuntibus*



deuntibus firmata, perennibus, nec ſingulis annis marceſcentibus et pereuntibus vti Hyac.nthorũ, Narciſſorum, Tuliparum & Liliorum fibræ. Ab imo flores explicare incipit, quemadmodum præcedens.

A D *Hyacinthi genera proculdubio referri debere hanc plantam, nemo eſt mediocriter in* Βοτανικῷ *ſtudio verſatus, qui non agnoſcat. Eius primam notitiam ampliſſimo viro Iacobo Antonio Cortuſo etiam acceptam referimus, qui eam Illri viro Dn. Joanni de Brancion p. m. ſummo meo amico, ante multos annos in Belgicam miſit* Tibcadi *nomine.*

Tibcadi.

Bulbus vomitorius.

Clariſſ. Matthiolus eius iconem omnium opinione exhibet (Comment. in Dioſcorid. cap. de Bulbo vomitorio, nulla tamen addita deſcriptione.

Conſtantinopoli verò (vnde primùm eò perlata fuerit adhuc ignoramus) ſemper miſſa fuit nunc Muſcari, *nunc* Muſchoromi, *nunc* Muſcurimi *appellatione, ob inſignem videlicet odoris ſuauitatem, qui ad eorum paſtillorum fragrantiam, qui ex benjuin aliiſque odoratis fieri ſolent, quodammodo accedere videtur.*

Muſchoromi. Muſcurimi.

De Hyacintho botryode.

CAP. XVIII.

S P O N T E *paſſim pleriſque Pannoniæ locis naſcitur Hyacinthus ille Hiſpaniis & Galliæ Narbonenſi vulgaris, quem ego à floribus in racemi modum extremo caule congeſtis* Βοτρυώδην *cognomino, nonnulli comoſum minorem appellare malunt: Germani* Hunds knoblauch/ *id eſt caninum allium vocant.*

Hyacinthus botryodes Hyacinthus comoſus minor.

1. E I V S *duo inueniuntur genera: vnum craſſioribus longioribúſque foliis, florumq; racemo oblongiore, den-*
2. *ſiore, & odoratiore: alterum minora omnia habet, & vulgarius eſt. Iſtorum autem flores ſaturum admodum colo-*





dum colorem habent, & quaſi nigrum.

EST *verò & tertium genus breuioribus latioribúſque foliis & firmioribus, quæ humi vti ſuperiorum diffundi nō ſolent, ſed erecta ſunt: huius flores licet ſuperioribus forma ſimiles, longè aſpectu elegantiores, dilutioris purpuræ, atque in cæruleum tendentis colore præditi ſunt. Id genus ſponte hîc non naſcitur, ſed ex Tyrolenſi comitatu delatum eſſe fertur.* 3.

Similes porrò omnino plantæ non modò Viennæ, ſed etiam antè in Belgica è ſemine Hyacinthi botryodis flore lacteo, & è niueo purpuraſcente (etenim binæ eius inueniuntur differentiæ) natæ ſunt: & inter illas vna quæ ramoſam protulit vuam, hoc eſt, quæ vna in modū plures congeſtos habuerit racemos, alios aliis minores & graciliores.

Hyacinthus cæruleus e lacteo.
Hyacinthus botryod. ramoſus.

VERVM *Hyacinthus* βοτρυώδης *flore lacteo, à ſuperioribus florum forma minimè differt, ſunt enim concaui et tumentes, at vel nulla, vel perquam exigua odoris gratia commendabilis. Is etiam in duas ſpecies diſtingui poteſt.*

Hyacinth. botryod. flo. lacteo.

1. *Vna enim lacteum omnino florē habet, caulem exalbidum foliáque dilutius virentia & quaſi palleſcentia.*

2. *Alterius flos niueum quidem colorem habet, ſed cui leuiter perfuſa videatur tenuis quædam & dilutiſſima purpura, quæ vetuſtate & marceſcente flore intenſior redditur: caulis è viridi purpuraſcit, folia viridiora ſunt, & infima parte quodammodo purpuraſcentia. Omnium ſemina in triangulis quibuſdam vaſculis continentur, rotunda, nigra, exigua; & omnium radix ſeu bulbus plurimos exiguos nucleos in ambitu deponere ſolet, nulla tamen abundantius quàm duorum priorum. Omnes florent Aprili, interdum etiam Maio.*

Lactei prior ſpecies olim nobis communicata à C. V. Alphonſo



Alphonso Pantio: altera ab Ampliss. Cortuso Dipcadi albi nomine. Dipcadi alb.

CETERVM *in proximis Viennæ siluis atq. etiam in Pannonia supra Nemethwywar qua iter Gratzium est ad villam Kerthwelyes, vulgaris est is Hyacinthus, qui à floribus radiatim expansis, & in stellæ formam decussatis, stellaris cognomen, apud rei herbariæ studiosos inuenit: sed is duntaxat qui cæruleo flore est, albo enim nondum videre contigit. Maturius reliquis floret, & in triangulis vasculis semen fert, non atrum vt cætera genera, sed fuscum duntaxat & veluti fuligine infectum. Matronæ Viennẽses* Blaw Baldzian *nuncupant, quasi cæruleum Lilium conuallium.* Hyacinthus stellaris.

De Scorodopraso.

Cap. XIX.

SCORODOPRASI *duo genera inter se differentia in his Prouinciis obseruasse videor.*

MVLTA *oblonga & lata fert Primum folia, porraceis maiora, carinata, caulem verò sesquicubitalem, aut bicubitalem interdum, digiti crassitudine, superiore partè nudum, ferentem in summo caput membrana inuolutum vt cepa, quod explicatum multos flores simul cõgestos ostẽdit cepaceis similes, sex foliis exalbidis constantes: quibus succedunt trigona capitula, in quibus semen nigrum cepæ semini par: radix subest crassa, exigua cepæ magnitudine, multis albis tunicis cõstans, quæ sessili parte copiosis candidis fibris prædita est, & vetustate in alios maiores bulbos sese diuidit, atque alios minores in lateribus adiunctos habet, medij inter allium et porrum, grauisque odoris. Floret Iunio & Iulio.* I. Scorodoprasum I.

BICVBITALEM *habet alterum caulem, multis ab infima parte ad medium vsq. porraceis foliis priore* II. Scorodoprasum II.



angustioribus circundatum, odore inter porrum & alium medio: reliquam caulis partem nudam, viridem, leuem, sustinentem in summo caput ex multis bulbis, vti in Moly indico, congestum, & candicante membrana oblongamque viridem cuspidem habente tectum, quæ deinde bulbis excrescentibus rumpitur, nudósque bulbos initio purpurascentes, deinde exalbidos detegit, inter quos flosculi quidam enascuntur: ea caulis extima pars, cui caput innititur, initio sese cum suo capite conuoluere solet, vt serpentis obtorto collo similitudinẽ quodammodo referat, deinde paulatim sensimque sese explicare incipit, donec tãdem caput erigat & sursum attollat: radix ex multis nucleis simplici aut duplici tenui membrana inuolutis constat, multisque exalbidis fibris sessili parte donata est.

Iunij initio suum caput contorquet, Iulij verò erigit, eodémque mense bulbos ad maturitatem perducit, qui terræ crediti plantas sui generis procreant.

Primi generis pauci bulbi Ornithogali arabici bulbis admixti Byzantio primùm allati sunt paulo post quàm Viennam appulissem, quorum vnum aut alterum Ill. Dn. Joanni de Brancion misi, cum alterius generis aliquot bulbulis, vnico quem seruauerã mirum in modum sese hîc propagante, vt multis successu temporis communicare potuerim. Eum apud Turcas esse in deliciis, mihi aliquando retulit Ill. Dn. Augerius de Bousbeque.

SVNT *qui secundũ genus* ὀφιοσκόροδον *appellent, quòd caput cum suprema caulis parte serpentis modo contorqueat.* ὀφιοσκόροδον.

DE ALLIO SEV MOLY MONTANO.
CAP. XX.

VARIA *in huius Prouinciæ montibus inueniuntur Allij siue Moly genera, vel foliis, vel floribus, vel capi-*



tibus inter se discrepantia: quorum maximam partem ab aliis hactenus minimè obseruatam fuisse existimo.

PRIMVM *caulem habet duorum cubitorum altitudine excrescentem, quem ad medium vsque ambiunt folia, multo quàm Allij generibus latiora, oblonga, porraceis proxima: summo cauli, qui læuis & iunceus est, insidet caput è multis bulbis ex atro purpureis simul congestis satisque crassis conflatum, inter quos in oblongis pediculis nascuntur flores dilutè purpurascẽtes quibus succedunt trigona vascula in quibus semen: radix crassa bulbosaque ex multis nucleis constans, numerosis albis fibris prædita est: sed et bulbuli rotundi radici adhærent iis fere similes qui in capite nascuntur. Toti plantæ Allij grauis odor inest. Iunio & Iulio floret & bulbos fert.* I. Moly montanum latifolium.

CVBITALI *assurgit Alterum caule, læui, rotundo, viridi, in quo terna plerumque folia, superioris folio angustiora, & veluti graminea: summus caulis sustinet caput duabus laxis mẽbraneis tunicis oblonga cauda insignitis obuolutum, quibus sese aperientibus, multi exigui bulbi simul congesti apparent, inter quos flores, sex purpurascentibus foliolis præditi, & oblongis pediculis inhærentes dependent: radicem habet rotundam candidam, oblongis albicantibusque fibris capillatam.* II. Moly mõtan. gramineo fol.

EADEM *excrescit Tertium altitudine, totidémq. folia habet, iuncea, viridia, caulem supra folia læuem, rotundum, viridem, sustinẽtem inter duas etiam membraneas tunicas oblonga cauda insignitas, caput è multis exiguis bulbis è colore viridi punicantibus, & in oblongam herbaceam cuspidem plerumque desinentibus, confertimque nascentibus compactum, inter quæ dependent in oblongis tenuibúsque pediculis flores superiori forma & magnitudine símiles, ex albido tamen colore,* III. Moly mont. iunceo folio.

quorum





quorum media foliola secundum longitudinem et vtrasque oras vena obsolete purpurascens notat: radix etiam rotunda est, candicans, & oblongis albicantibúsque fibris prædita est.

IIII. Moly mont. flo. pallido odoro. HABET & *hoc terna folia iuncea, caulē etiam cubitalem, rotundum, cui insidet caput duabus membraneis tunicis caudatis conclusum, quo vtrimq. dehiscente, magna explicatur coma florum ex oblongis pediculis dependentium, qui sex pallidis foliolis constant, totidémque staminula cum medio stilo obtinēt, qui cum suo caule resecti & in cubiculum illati, suauissimi odoris (qualis in floribus Cyclamini percipitur) esse deprehenduntur: iis succedunt trigona capitula, in quibus semen nigrum, planum, Caryophylleorum semini non multum absimile: radix globosa est, superiori similis, & similiter capillata, nucleos interdum in lateribus deponens.*

2. Moly mont. obsoletiore flore. *Alia inuenitur eius species, pari propemodum altitudine excrescens, similibúsque propemodum foliis prædita, cuius coma inter laxas membraneásque & oblonga cuspide præditas tunicas late sese explicat, plena floribus coloris admodum obsoleti: radix superiori similis, nucleos etiam in lateribus proferens.*

Trium istorum radix allium subolet, at folia minimè, sed herbaceum quendam potius odorem referunt.


Duo priora, hoc est alterum & tertium, in serie montiū qui ab Alpibus ad Danubium supra Viennā excurrunt, sponte nascuntur: id verò quod odorato est flore, circa Posonium, & locis Niclaspurg in Morauia vicinis. Florent autem omnia Iulio.

V. Moly mont. purp. elegantiss. flore. PARI *altitudine assurgit Quintum, caule nudo, viridi, paucis oblongis tenuibúsque foliis obsito, viridibus, cui insidet caput orbiculare, è multis floribus breui pediculo præditis congestum, qui sex foliola nunquam*

sese expli-







sese explicantia habent, cum aliquot staminibus stiloque medio, colore purpureo eleganti: radix bulbosa, nucleos interdum in lateribus, tenui membrana tectis proximè caulem deponens, & sessili parte multas albicantes fibras habens. Caput ferit allij modo eius odor.

Circa Posonium id duntaxat obseruaui, ad vinetorum in collibus sitorum margines secundum Danubium. Floret Iunio, interdum etiam Maio.

DE ALLIO SEV MOLY NARCISSINIS foliis. CAP. XXI.


ALLII *odor facit, vt binæ hæ stirpes ad Allij siue Moly classem non ineptè meo iudicio referri possint.*

I. PRIOR *quina aut sena ex radice promit oblonga*
Moly Narcissin. maius. *folia, plana, succulenta, Narcissi serotini foliis similia, viridia admodum & splendentia, inter quæ cubitalis plerumque nascitur caulis, nudus, firmus, viridis, striatus, ferens in summo multos flores sex foliolis purpurascentibus constantes, totidémque intus staminulis præditos, simul cogestos, & veluti globosum caput constituentes quemadmodum in cepa; quibus succedunt trigona capitula, quæ maturitate dehiscentia, semen rotundum, nigrum, continere deprehenduntur: radix bulbosa & candida est, multis tunicis circumuoluta, multísq. albis fibris prædita, nodosa, & adnatis sese feliciter propagãs.*

Aliud eius est genus ferè simile, foliis mollioribus, et magis cinereis, floribus etiam dilutioribus.

Floret vtrumque sub finem Iunij & Iulio.

II. HABET & *Secunda folia quina aut sena superio-*
Moly Narcissin. minus. *ribus non minus lata, sed breuiora, nonnihil sese contorquentia, viridia & splendentia, inter quæ pedalem caulem promit superiore graciliorem, sed nõ minus firmum, & striatum, qui in summo ex mẽbranea tunica promit*



Allium siue Moly Narcissinis foliis II.



multos flosculos in orbicularæ fere caput simul congestos, prioribus similes, sed elegantiore purpura nitentes: capitulis & semine superiori respondet: similiter & radice, quæ nodosa est, & adnatis in circuitu non infelicius priore sese propagat.

Illius etiam genus inuenitur longioribus & angustioribus foliis neque adeo conuolutis, cauliculis paulo infirmioribus, floribúsque multo dilutioribus, in reliquis satis conueniunt. 2.

Vtraque hæc species serius priore genere floret, nempe Iulio & Augusto. In omnium radicibus illud peculiare, vt ramosæ tandem & obliquæ fiant, vestigia caulis præcedentibus annis nati impressa habentes, vti Polygonati radices, sed non adeò laxæ.

Nascuntur omnes hæ plantæ in Leytenberg supra Manderstorf, & aliis montibus vrbi Viennæ vicinis.

SECVNDO *generi similes Viennæ mihi natæ sunt semine Lutetia misso anno 1576. à doctissimo viro Nicolao Rassio p. m. Galliarum regis cheirurgo, Bulbi vomitorij nomine, quoniam facilè vomitum ciet eius radix præmansa. Eodem etiam nomine in cultissimo & amplissimo suo horto Cassellis alit Illustrissimus Princeps Wilhelmus Landgrauius Hassiæ &c. Non desunt tamen, qui Plinij Alum, quod Natural. Histor. lib. 19. cap. 6. in aruis sponte nasci scribit, esse velint: sed cùm eius formam non describat, & Allij genus duntaxat esse dicat, certi quidpiam statuere difficile est.* Bulbus vomitorius. Alum Plinij.

DE VICTORIALI LONGA VVLGO nuncupata. CAP. XXII.

AD *Allij etiam genera haud dubiè referenda est hæc planta, vt odor ipsius indicat,*

CVIVS *caulis cubitalis est digitali crassitudine, fungosus,* Victorialis longæ historia.



fungosus, infima parte purpurascens, supernè viridis & striatus, numerosos in summo ferens flosculos, oblongis pediculis inhærentes, senis candidis foliolis stellatis constantes, ceparum floribus similes, senis intus staminulis stilóque præditos: deinde trigona capitula in quibus semen, per maturitatem nigrum, rotundum: folia bina aut terna caulem circa mediam partem amplectuntur, & quasi vestiunt, neruosa, oblonga & lata, Gentianæ maioris foliis ferè similia: radix oblonga, extrema parte bulbosa, multisque validis & perennibus fibris donata, multiplici cortice variis fibris transuersim coeuntibus constante, & quodammodo reticulato inuoluta, quæ feliciter adnatis singulis annis se propagat, fibris adeò implicatis, vt difficile sit bulbos coniunctim natos & cohærentes ab inuicem seiungere.

Nascitur copiose in scopulis Durrestein, duobus supra Gamingam miliaribus, & montanis pastoribus Lanlauch *dicitur, quibus magno in vsu est aduersus corrupti aëris & nebularum exhalationes. Inuenitur & in montibus qui Bohemiam à Silesia disterminant, vbi* Siegwurtz *à Germanis appellatur, quoniam qui effodiendis metallis operam dant, magnas certásque illius facultates se experiri prædicant, ad muniendum sese aduersus impurorum spirituum insultus, à quibus frequentissimè impetuntur: vnde etiam Victorialis nomen ab effectu inditum cōtendunt. Matthiolus Allium anguinum vocauit.* Allium anguinum.

Iosias Simlerus Allium alpinū nuncupat, Sigwurtz *&* Sibenhamkorn/ *ab inuolucris quibus tanquam reticulo radix inuoluitur.* Alliū alpinū.

Vulgus herbariorum Victorialis longæ aut maioris cognomen dedit, ad Gladioli differentiam, cuius radicem, ob corticis, quo integitur, cum superiore similitudinem, Vi-

P

Victorialis rotunda Allium vrsinum. *nem, Victorialem rotundam & paruam appellant.*

Cvm *Victorialis longæ foliis magnam similitudinem habent Allij vrsini folia, licet molliora & teneriora.*

Lilium conuallium. *Frequentissimum id est in omnibus Pannoniæ & Austriæ vmbrosis siluis, coniunctim plerumque cum lilio conuallium nascens, quod Austriaci* Weysse baldzian/ *Vngari* zent györgy veraga, *hoc est S. Georgij florē &* Gyewngy wyrag *nuncupant.*

Xyphion minus. Qvoniam *porro Xyphij, siue Gladioli mentionem fecimus, multis Pannoniæ & Austriæ pratis, & nonnunquam ad siluarum decliui loco sitarum margines frequens est Xyphion minus flore rubro, quale in Hispaniis & Narbonensi Gallia inter segetes nascitur.*

De Croco verno Mæsiaco

cap. XXIII.

Sæpivs *miratus sum, nec in vicinis huic vrbi Viennæ montibus, nec in Pannonicis, vllum Croci verno tempore florentis genus inuenisse, tametsi diligenter perlustrarim: cùm Heluetica Alpes aliquot eius genera sponte alant.*

Tandem successu temporis, diligentia Stephani von Hausen, nunc in familia Generosi Dn. Friderici Brainer, Cæsarei ad Turcarum Imperatorem Legati, Constantinopoli agentis, qui anni 1579. initio Generosum Dn. Vlrichum à Khunigsperg, honorarium eò ferentem comitatus fuerat, vnum videre contigit, non hic repertum, sed in Seruia siue Mæsia superiore sub Belgrado cum suo flore erutum mense Martio, dum Byzantio Viennam rediret, quo itinere etiam sub Buda Fritillariam, cuius suprà memini, florentem obseruauit.

Croc. vern. flauo flore. Ex *his porrò quos ille Viennam retulit bulbis, binos habeo, qui huius anni 1583. mense Martio eleganter floruerunt,*



floruerunt, diuerso tamen ab iis planè colore, quos in Hispanicis obseruationibus descripsi: nam qui in illis vel niueus omnino, vel purpureus, aut versicolor est, in his flauus conspicitur. Vnum autem Generosus Dn. Wolfgangus Christophorus ab EntZestorf superiore Autumno mihi donauit: Alterum ipsius Stephani munere accepi, sed cuius nunc duntaxat florẽ conspexerim.

I. PRIOR *inter folia primùm terra emergentia, quæ proximè ad Croci satiui, seu potius montani Theophrasti, cuius historiam in Hispanicis obseruationibus & iconem dedi, folia accedunt, paulo tamen breuiora sunt, albo neruo secundum longitudinem media secãte, vnum aut alterum, nonnunquam tertium & quartum florem promit sex foliis, interdum etiam pluribus constantem, orbiculato propemodum mucrone, coloris planè aurei, vtcunque odoratum, tria oblongiuscula latiusculáque stamina dilutius flauescentia intus continentem: cui succedit, vt in alio Croco verno membraneum oblongiusculum & triangulare capitulum, rotundo rufóque semine plenum: radix cum alterius Croci verni radicibus conuenit, quæ quodammodo plana, solida, aliquot tunicis obuoluta, atque candicantibus fibris sessili parte donata est.*

II. INTER *Alterius etiam folia primùm terra pullulantia, quæ superioribus paulo latiora videntur, exit flos sex etiam foliis constans, minus tamen orbiculatis, sed quodammodo mucronatis, colore autem non aureo, at omnino pallido, viridibus venulis exteriorũ foliorum vngues foris distinguentibus: ceteræ notæ conueniunt.*

DE DENTALI. CAP. XXIIII.

Dentalis historia.

HVIC *plantæ prodeunt initio bina plerumque folia, raro terna, mutuo se amplectentia & florem occulentia*

(quandiu





(quamdiu enim florem non est prolatura, vnico duntaxat, Tuliparum more, prædita est folio) liliaceis proxima, breuiora tamen, & magna ex parte latiora, ad Allij vrsini foliorum formam valde accedētia, at crassiora & magis carnosa, multis magnis maculis ex atro purpurascentibus aspersa, basi angusta, paulatímque in latum extensa, deinde sensim in mucronem desinentia: explicatis foliis, flos sese conspiciendum præbet, dodrantali pediculo enodi & vacuo purpurascentéq. innitens, sex foliis oblongiusculis constans, eleganti dilutioris purpuræ colore, deorsum inflexus & spectans, qui tepore aëris Solis radiis excalefacti sese explicat, foliáque sursum reflectit floris Cyclamini modo, senis intus staminibus purpureis, stilóque candido trisulco, nulla odoris gratia placens, sed sola elegantia commendabilis: flori succedit capitulum trigonum, continens aliquot semina Leucoij bulbosi præcocis alterius seminibus fere respondentia, sed oblongiora graciliorá que, & colore flauescente: radix oblonga, infima sede crassior, multísque candidis fibris stipata, paulatim superiore parte gracilescens (vnde caulis emergit summa tellure, vt dictum est, bina folia proferens) & appendice quadam plana vnica aut pluribus donata, quæ veluti radicum superioris anni & præcedentium aliquot vestigia sunt. Vnicū etiam duntaxat producit folium hæc planta, quamdiu nullum florem prolatura est.

Nascitur copiosè ad quorundam montium radices solo herbido & vdo in Styria non procul Grätzio, eius prouinciæ metropoli & Ser[mi] Archiducis Austriæ Caroli regia.

Adfertur etiam ex Apennino Italiæ, solo floris colore ab hac differens, qui totus lacteus est, aut mixtis ex purpurascente albóque coloribus constat, qualem cùm à

C. V. Vlysse Aldrouando totius Naturæ miraculorum scrutatore diligentissimo, & Medico excellentissimo, tum ab ampliss. Viro Iaccbo Ant. Cortuso Patritio Patauino in Belgicam nobis missam memini, ut et similis planè cum hac coloris in Allobrogū montibus erutam à Walerando Donrez.

Floret Aprili, interdum etiam maturius, præsertim in hortis reposita, frigoris admodum patiens.

V V L G O *à Styriæ medicis & pharmacopœis Dentali appellatur, à nonnullis rusticis* Schoßwurtz. *Ex Italia Pseudohermodactyli & Dentis canini nomine missa fuit; ex Allobrogibus verò Satyrij erythronij, qua etiam appellatione noster Lobelius in Aduersariis & Obseruationibus vsus est.*

Pseudohermodactylus Dens caninus. Satyrium erythron.

Styriacas mulierculas radicis exiccatæ pollinem pultibus puerorum inspergere solere ad enecandas eiiciendásque ventris tineas, mihi relatum est. Ex vino autem haustum, mirificè coli dolores mitigare expertus est doctissimus vir Thomas Haustain Ser^mi Archiducis Caroli primarius medicus, qui plures eius bulbos nō semel Viennam vsque mihi misit: insuper corporis vires reficere & nutrire; ex aqua verò pueros epilepticos iuuare.

De Cyclamino odorato.

CAP. XXV.

V T *Superior non nisi nouo Vere folia promit, & flores simul explicat: sic contrà Cyclaminus non nisi Autumni initio flores suos producit, & statim folia, quæ postquam tota hieme perstiterunt, sub Aprilis finem, aut Maio euanescere solent. Eius autem in his prouinciis duæ obseruantur differentiæ.*

Cyclamini flore odorato historia.

1. *Vna etenim ex globulari radice, tenuibus nigricantibúsque*

búsque fibris prædita, multa circinatæ propemodum rotunditatis profert folia, Asari foliis fere respondentia, non adeò tamen crassa, superne virentia, infernè purpurascentia, humi iacentia & expansa, flores in oblongis pediculis vnico folio sed in quinq. profundas lacinias diuiso, sic vt plura videantur, constãtes, quæ sursum, cùm sese explicare incipiunt, reflectuntur, nũc dilutius, modò saturatius purpurascentes, odoris suauissimi, qui cùm euanescere incipiunt, integri decidunt, capitulúmque subsequitur se, cum pediculo cui insidet, in multas spiras conuoluens, donec terram attigerit, cui incumbens paulatim augescit, donec violæ martiæ seminariũ vasculum magnitudine æquet, quod maturitate ab extremo mucrone aperitur, semenque ostendit inæquale ex fusco purpurascens, quod terræ commissum non in germen abit, sed in tuberculum aut radiculam conuertitur, præter reliquorum seminum naturam, vnde postea foliola promit.

Altera illi planè similis est; pauciora tamen semper proferre folia conspicitur, eáque non purpurascentia subtus, at ex viridi quodammodo albicantia & pallentia, vti asarina. 2.

Nulli sunt harum prouinciarum montes siluosi, nulli saltus, aut interdum etiam in montium accliuibus vda prata, quæ iis non abundent, vbi variæ magnitudinis radices eruuntur, tantæ interdum vt manum implere queant, quæ plerumque magis scabro sunt cortice, quàm iuniores aut quæ intra mediocritatem consistunt, habéntque nonnunquam varios quasi cauliculos vnde folia & flores singulis annis emergunt, qui etiam confracti & terra reconditi, in globularem radicem efformantur & trãseunt, singulis etiam annis folia & flores producentes. In montibus autem saxosis aut rupibus

quæ Pinastrorũ siluas alunt, non sine difficultate eruere memini quæ digitalem crassitiem non superarent, sed in cubitalem nonunquam longitudinem excreuissent, subinde in nodos (vbi scilicet paulo laxiores petrarum fissuras nactæ erant) extuberantes.

Rhizotomæ mulierculæ, quæ multas cyclamini radices cum variis aliis plantis Viennam in forum venales adferre solent, Saiwbrot *appellant, hoc est, porcinum panem, quidam etiam rustici* Erdt apfel / *id est terræ malum, Vngari autem* dizno repa, *quod porcinum rapum significat.*

Cyclaminus constátinop.

CETERVM *superiore Autumno, Generosæ Dominæ de Heysenstein Cõstantinopoli missæ sunt cum varij generis bulbis aliquot Cyclamini radices orbiculares, castaneæ magnitudinem non superantes, cortice admodum tersõ & expolito, quæ statim ante hiemem (nimirum quod diutius extra terram conseruatæ fuissent) folia produxerunt Cyclamini nouo vere primum emergentis et florentis foliis fere similia, prona parte pulcherrimè purpurascentia, & supina maculis candicantibus insignita, sed non adeò frequentibus angulis prædita. Cuius generis sint, proximum ver, vt spero, nos docebit. Ei qui illas emit, tametsi Cyclamini esse agnosceret, pro Viola martia flore rubro à Turca qui vendebat libenter obtrusæ fuissent. Hic mense Martio 1582. dum mearum obseruationum descriptionem absoluo, floruit, sed subsequens gelu flores corrupit: itaque vernum esse non dubito.*

Cyclaminus verno tépore florens.

II. HABEO *autem Cyclamini verno tempore florentis pauculas plantas semine ex Belgica mihi misso natas, quæ iam ante biennium protulerunt flores odoratissimos sanè, & saturatiores vulgari, atque paulo graciliores, folia in ambitu quodammodo crispa, & foliorum hederæ forma*

forma propemodum, minora tamen, supina parte candicantibus maculis aspersa, angulorum mucronibus albicantibus, prona omnino purpurascentibus. Primus inter Belgas eam plantam habuit Dn. de Brancion munere Alfonsi Pancij, ex cuius deinde semine in aliorum etiam potestatem peruenit. Sed C. V. Ioannes Boisot aliud genus alit oblongiore folio, vt mihi, cùm ante aliquot annos ipsius semen mitteret, per literas significauit. 2.

HABEO *& alium semine natum flore dilutiore, inodoro, foliis hederaceis minimè subtus purpurascentibus & supernè per interualla candicantibus, quorum nonnulla ad vmbilicum macula alba sunt insignita, alia minimè. Id genus Ioannes Moutonus Pharmacopœus doctissimus & diligentissimus, primus in Belgica quadam silua non procul vrbe Tornaco obseruauit, cuius radices librales dum Machliniæ viuerem, & magno rapo æquales, ab ipso nobis missas memini: Illius etiam flos planè interdum albicat & verè carnei est coloris.* Cyclaminus fol. hederæ.

AT *quem noster Lobelius apud Insubres flore luteo obseruasse scribit, mihi videre nondum contigit. Quemadmodum nec eum de quo mihi aliquando relatum est, parua radice auellanæ magnitudine, æstate florem vulgari maiorem proferētem, & nascentem in decliui montis qua faciendum est iter iis qui Roma Florētiam proficiscuntur, vltra pontem Miluium secundum riuum Aquæ trauersæ dictum.* Cyclaminus flore luteo.

DE ORCHIDE.

CAP. XXVI.

VIENNENSI *agro & vicinis Prouinciis admodum frequentia sunt Orchidum varia genera, quæ in Belgica etiam videre memini, quarum historiam, cùm ab aliis descripta sint, minimè repetēdam esse ducimus:* Orchidū magna varietas.

sed quæ

Orchis Pannonica IIII.



ſed quæ nunquam aliâs mihi conſpectæ fuerunt, quáſq. à nemine obſeruatas ſuſpicor, earum porrò hiſtoriam hoc capite conſcribemus, initium ab omnium, quas vnquam viderim, maxima facientes.

BINA *habet hæc Orchis folia, Hellebori albi foliis amplitudine non cedentia, venis aliquot à pediculo ad extremum vſq. folium productis ſimiliter inſignita, ſupernè virentia, infernè haudquaquam, omnino tamen ſplendentia: caulem cubitalem, paucis foliolis ſiue inuolucris præditum, pentagonum: flores in ſummo ſpicatim cohærentes, quo autem colore, quáue forma præditi ſint, ignoro, cùm ante quàm explicarentur, plantam duntaxat obſeruauerim: radices binas, craſſas, & parui napi modo oblongas, ſupra quas infimo cauli inhærent aliquot fibræ ſatis craſſæ.* I. Orchis latifol. max.

Solũ mihi conſpecta eſt hæc orchis Maio menſe 1579: in decliui montis in quo extructa eſt arx Ill^{ris} Dn. Balthaſaris de Batthyan nũcupata Grebén, intra Drauum & Sauum, binis vltra Waraſdinum miliaribus.

Illius genus haud dubiè erit, quod non modò in ſiluis Nemethwywar oppidi eiuſdem Ill. Dn. de Batthyan vicinis, ſed etiam in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf obſeruaui, foliis quidem magnis & latis, ſed infra ſuperiorum amplitudinem, caule propemodum cubitali, floribus magnis, aliarum orchidum forma purpureis maculis aſperſis, galea exalbida florem tegente radicibus geminis, craſſis, minus tamen ſuperiore oblongis. 2. Orchis latifolia altera.

ALTERI *plura ſunt folia, anguſtiora, caulis gracilior, pedalis, flores rubri pulcherrimi, quales ferè in Belgico illo Orchidis genere videre memini, quod è pratis Louanio vicinis eruebatur.* II. Orchis flore rubro elegantiſſimo.

Creſcit in eodem iugo Grebén non procul ab arce, & pleriſque gramineis locis, inter flumina, Muram &

Drauum

Drauum, & apud Sackturnya Ill. Comitis de Zrinio arcem.

III. Orchis obscurè purpurea. TERTIVM *genus elegãtissimum, binis crassis bulbis, altero succi pleno, altero flaccidiore, quod in Orchidibus vulgare est: foliis longis angustis: caule interdum pedali, spica florum elegante, odorata, quorum galeola obscura purpura nitet, hiatus cum labro candicant, purpureisque maculis insigniti sunt.*

Inuenitur in pratis Nemethwywar vicinis, supra Rabam, intráque Muram & Drauum flumina.

IIII. Orchis galea purp. QVARTÆ *quina aut sena sunt folia, caulis palmaris aut amplior, aliquot minoribus foliis inuolutus: spica elegantium minutorum florum purpurascente galea tectorum, labro prominulo, in quatuor barbulas diuiso, candido, purpureisque punctis asperso, paruo calcari à tergo prominente, tenui odore: sub quo, vt in reliquis orchidibus torosum & cõtortum est capitulum exiguum semen scobis instar continens: geminas radices habet paruorum testiculorum modo, alteram plenam, alteram flaccidam, supra quas ex imo caule ortæ fibræ expanduntur.*

Nascitur ad radices montis Clesenfeld imminentis, binis supra Neapolim miliaribus, at copiosè admodum in montium tenui gramine tectorum accliuibus, supra Radaun, Medeling, Baden, & plerísque aliis locis editioribus & siccioribus Viennæ vicinis.

2. *Ei similem erui montibus Grebén proximis, sed longè ampliorem, crassioreq́; & longiore spica.*

V. Orchis colore vario. QVINTA *quatuor aut plura folia habet summa tellure diffusa, Belgicæ orchidis foliis, quæ vulgo in pratis maturè florẽ purpureum fert, similia, sed nullis maculis distincta: caulem palmarem, aliquot minoribus foliis septum, cuius summum multi flores, exigua galea*

duobus

duobus foliolis constante, tribúsque aliis foliolis galeam ambientibus, latioréque barba propendente, & calcari obtusiore præditi, spicatímque nascentes exornant, colore modò purpureo saturatiore, modò dilutiore, modò carneo, modò omnino lacteo, barba tamen plerumq. nunc exiguis, nunc maioribus saturatè purpurascẽtibus maculis aspersa, interdum etiam nullis omnino, præsertim in lacteis floribus: semen vt in reliquis orchidum generibus vasculis contortis continetur: radices geminas alteram flaccidiorem superioris anni, alteram succulentam recentiorem tegunt multæ candidæ crassiusculæ fibræ.

Inuenitur passim in pratis Viennæ vicinis: similem etiam obseruare memini superiore anno 1581. in pratis vrbi Londinensi in Anglia proximis: vbi & aliam erui grandiore paulo florum purpureorum spica teterrimo odore fœtidam.

Omnes autem, præter primam, mense Maio florere solent. Orchis fœtidissima.

VI. Orchis pusilla pallida odorata.

TRIA *plerumque habet Sextum genus angusta folia, alioqui reliquis orchidibus similia, viridia, cauliculum dodrantalem, spica flosculorum ex herbido pallentium, tribus apiculis constantium, odore moschi exornatum: radicem vnicam, rotundam, pisi magnitudine, supra quam longæ propagines exporriguntur, quæ nouas subinde plantas generant.*

Exit copiosè in colle monasterio Neuberg vicino; & floret Iunio.

VII. Orchis serapias.

FOLIIS *est Lilij primùm enascentibus tribus aut quatuor Septima, dilutiore et quasi pallente virore præditis, nullaque macularum aspergine notatis, ingrati saporis: caulem dodrantalem amplectuntur nonnulla foliola, in cuius summo flores spicatim digesti nascuntur colore*



colore exalbido, nec vllis punctis diſtincto, anterius morionum hiantibus cucullis ſimiles, vtrimque auriti, & latiuſculo pallido labro propendente, poſterius verò corniculum habentes, vti Conſolida regalis, aut Linaria, ſed latius & obtuſum, grauiter odorati, florum ſambuci odorem æmulantes: ad horum exortum ſingula foliola naſcuntur pallentia, & floribus colore reſpondentia: radices geminæ, veluti palmæ in binos aut plures digitos diſtributæ ſunt, quarum vetuſtior, fungoſa, nigrior & flaccidior eſt, altera candida, vegetior ac ſolida, paucis ſupra earum exortum naſcentibus fibris.

Aliud genus eſt cum forma tum magnitudine illi ſimile, cuius flores purpurei ſunt, & foliola ſub floribus naſcentia etiam purpuraſcunt. 2.

Inuenitur vtrumq. genus non modò in Leytano ſaltu ſupra Manderſtorf aliiſque Auſtriæ inferioris ſaltubus: ſed etiam editioribus quibuſdam pratis Vienneſi ſaltui proximis. Floret autem Aprili, nonnunquam etiam Maio, pro mitiore aut rigidiore aëris vernalis conſtitutione.

De Limodoro Avstriaco.

CAP. XXVII.

COGNATVM *quodammodo eſt Orchidibus* λειμόδωρον, *cuius varia genera inueniuntur multis prouinciis communia.* λειμόδωρον. auſtriacum.

At vnum in montanis ſupra Badenſes thermas obſeruaui, quod nuſquam alibi obſeruare memini. Aſſurgit id pedali caule, frequentibus ſecundum radicem foliolis tanquam vaginulis inuoluto, qui ſpicam fert florum quatuor foliis conſtantium, ſuperiore in corniculum deſinente, & promuſcide quadam inter media folia prominente, cui adnatæ ſunt duæ tenues barbulæ: floribus ſtria-

bus striata & oblonga subsunt capitula, semine exili & orchidum simili plena: radix crassis longisque & obliquis fibris constat, quemadmodũ in ea planta quæ vulgo Helleborines nomen obtinuit.

Tota stirps saturo purpura & planè violaceo colore prædita est. Floret Iunio.

Similem ferè, sed colore multo dilutiore, olim obseruare memini in silua illa agri Mõpelliani ad monasterium Gramont sub Ilicibus arboribus.

Orobanchæ. *Porrò Orobanche illa maior, quam Belgæ, quoniam* Rapum genistæ. *ad Genistæ vulgaris radices interdũ nascitur, Rapum genistæ cognominant, cuiúsque in puluerem trita ex tepido vino hausta præsens ad coli dolores remedium esse prædicant, passim multis Austriæ & Pannoniæ siluis nascitur, atque Vngaris* Misé gyerthyá, *id est missalis candela siue cereus dicitur.*

FREQVENS *est etiam in Leytenberg, atque aliis montibus siluosis vrbi Viennæ vicinis, multisque Pannoniæ locis cum circa sepes, tum ad siluarum extremitates inter vepres ea planta quam à radice orbiculata,* Radix caua. *& subtus nonnihil natura excauata Radicem cauam vulgo nominant: quæ vel albo flore, vel carneo rubróve dilutiore quam frequentissimè, vel egregiè rubente, sed raro conspicitur. At minorẽ illam Germanicis & Belgicis officinis apprimè notam, quæque cum in Germania passim, tum in Belgica inter vepres et frutices nascitur, nusquam in his prouinciis videre memini.*

DE IRIDE. CAP. XXVIII.

In Iridum generibus maximam conspici varietatem. NVNQVAM *maiorem in vlla planta varietatem obseruare memini, quàm in Iride. In nullã etenim prouinciam*

uinciam institui, quin eius aliquod genus antea mihi non conspectum inuenerim, vti ex mea Hispanicarum stirpium historia videre licet, et ex hoc etiam capite deprehendi poterit: in quo nonnullas etiam Irides describere animus est, non hîc quidem sua sponte nascentes, sed Constantinopoli aut ex Illyride primùm meo tempore huc delatas, & postea Viennensium hortorum inquilinas factas, cum iis quas variis Pannoniæ & Austriæ locis eruimus.

A maioribus autem latifoliis initium faciemus, deinde ad humiliores eásque tamen latifolias progrediemur, postremo loco angustifolias descripturi.

PRIMVM *verò loco merito sibi vendicare videtur quæ sena aut octona habet folia, Iridis Lusitanicæ biflore foliis haud absimilia, mutuo sese vt in reliquis Iridum generibus amplectentia: è quorum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rotundus, geniculatus, digitali crassitudine, florem sustinens omnium quos vnquam in Iridibus conspexerim maximum, senis foliis constantẽ, sed colore à reliquis Iridibus differentem: nam tria deorsum reflexa folia, crassa sunt, & interiore parte omnino nigra, nisi quædam venæ ex purpura candicantes intercursarent, ab infima basi ad medium vsque nigris villis latè obsita, macula nigra villosum sericum imitante, & medium folium occupante, foris verò multo diluniora: quæ autem sursum attolluntur, palmari sunt amplitudine, sed quasi membranea tenuitate, plurimis lineis ab infima basi ad extremum vsque folium excurrentibus, partim nigricantibus, partim ex cinereo candicantibus (sic ferè vt Galli pauonis siue Americani pauonis expãsam caudã imitentur) interius circa vnguem nõnihil hirsuta: terna deinde habet alia minora folia, illis quæ deorsum reflexa sunt incũbentia, concamerata et bifida,* I. Iris susiana

eiusdem propemodum cum illis coloris, paulo tamen dilutioris, & ad obscuram purpurã accedentis: his ligula occulitur: nullo verò odore cõmendatur hic flos, sed sola coloris varietate & raritate: an siliquas & semen aliarum Iridum more ferat, mihi non constat, cùm eius florem bis aut ter duntaxat viderim, qui ad frugem non peruenerit: semel etiam Dominæ de Indeuelde p. m. floruisse, scripsit ad me C. V. Ioannes Boisot veteri amicitia mihi coniunctus: radix crassa est, obliqua, summa tellure sese spargens reliquarum Iridum modo, sed globosa & veluti in bulbũ extuberãs, quâ folia exoriũtur.

Constantinopoli primùm delata fuit Viennam hæc Iris sub finem anni 1573. paulo ante diem Christi Saluatoris nostri natali sacrum, cùm recens eò venissem, Mag^co ac Generoso Domino Augerio de Bousbeque, Cæsaris olim ad Turcarum Imperatorem bis oratori, nunc verò Elizabethæ Austriadis Galliæ Reginæ, aulæ summo Præfecto, qui eam & Dn. de Indeuelde & mihi communicauit. Subsequente verò anno similem attulerunt Constãtinopoli reduces Magnificus Dn. Carolus Rym Dñs de Eeckebecke Orator, et eius affinis Dn. Philibertus de Bruxella. Verùm cùm hiemis iniurias minus ferre potis sit, quàm reliqua Iridum genera: mihi fere intercidit, imò D. Aicholtzio sæpius à me communicata (nam adnatis se propagat vt reliquæ) nunquam in eius horto persistere voluit. Et licet cùm Nobiles matronæ tum Generosi viri his proximis annis Constantinopoli aliquot eius stirpes acceperint, perpaucæ hiemis iniuriam euaserunt.

II. SENA, septena, octona, aut plura habet Altera folia, omnium Iridum amplissima, & in latum expansa, mutuò tamen sese amplectentia, reliquarum Iridũ modo, colore ex viridi æruginoso: è quorum medio caulis

Iris asiatica cærulea.

exilit

exilit sesquicubitalis, atque amplior interdum, firmus, crassus, lęuis, geniculatus, multísque alis concauus, è quibus copiosi, vaginulísque inclusi prodeunt flores Iridis Dalmaticę maioris floribus persimiles, dilutè admodum cęrulei, & florum Sambuci odorem quodammodo ęmulantes, grauiorem tamen, siliquę deinde crassę, magnę, triangulares, obtuso mucrone, quę per maturitatem dehiscentes, semen continere deprehenduntur crassum, angulosum, durum fuluescens: radix est crassa magna et nodosa, multis oblongis crassisq́; fibris prędita, lateribus vti reliquę Irides se propagans, & si repurgata exiccetur, odorata.

TERTIA *habet folia Secundę similia, paulo tamen breuiora, & angustiora: è quorũ medio exit caulis cubitalis, rotundus, digiti crassitie, in aliquot ramos diuisus, qui proferunt è membraneis thecis flores superiore minores, quorum labra, siue tria folia deorsum spectantia saturatioris sunt purpurę, et infra versus vmbilicum, quà videlicet hirsuta illa & pallescens fimbria excurrit, variis lineis distincta: tria verò sursum erecta, elegantis sunt purpurę, flori Lusitanicę biflorę similia fere, attamen latiora: deorsum reflexis incumbũt alia tria bifida latiuscula, quę ligulas candicantes occultant: sunt verò isti flores nonnihil odorati; & his succedunt triangulares siliquę, obtusę, in quibus semen inęquale; radix tuberosa, superiori similis.* III. Iris asiatica purpurea.

Vtraque hęc Maio floret cum Prima, & illius nomine Constantinopoli ad me missa est, à Mag^co & Generoso Dn. Dauide Vngnad, Cęsareo tum apud Turcarum Imperatorem Oratore, nunc verò bellici Consilij apud Cęsarem Pręside.

HVIC *rugosa sunt folia, pedali longitudine, & secundum rrdicem omnino interdum purpurascentia,* IIII. Iris varia caulifera.



aliquando minimè: è quorum medio caulem promit cubitalem, leuem, viridem, aliquot ramis diuisum, quibus insident flores è viridibus vaginulis emergentes, magni, nunc prorsus inodori, modo oxyacanthæ ferè odorem spirantes, coloris varietate commendabiles: etenim tria folia quæ sursum spectant & attolluntur, rarò se mutuo amplectuntur, sed plerumque (nisi flaccescere incipiant) recta sunt, nonnihil tamen conuexa & angustiora, colore luteo, quali sunt etiã illa quæ fimbriam ligulásq. contegunt: folia deorsum inflexa circa basim & exortum pallent, reliqua parte candicant, multis tamen purpureis lineis siue virgulis ab ipsa sede ad extremum vsque folium (quod magna ex parte purpureum saturatiúsq. est in earum stirpium floribus quæ circa radicem non purpurascunt, orã tamen pallida) eleganti pictura decurrentibus: fimbria villosa qua parte integitur lutea est, extrema verò exalbida: ligulæ pallentes; siliquæ magnæ, triangulæ, obtuso aliquantulum mucrone, continentes semen orobi magnitudine, fuscum, rugosum: radix nodosa instar vulgaris iridis, foris flauescens, multis transuersis fibris firmata, quæ repurgata & exiccata odoratissima est, et cum Illyrica quæ in officinis habetur odoris gratia contendere potest.

Id genus primum inueni in montanis supra arcem Diui Georgij herbido solo, & ad oppidum Stamphen in Vngaria transdanubiana aliquot miliaribus vltra Posonium: deinde vtrumque genus frequens in Leytenberg supra Manderstorf, atque etiam in siccioribus pratis non procul Sopronio, & collibus Entzestorf Mag.ci Dn. de Entzestorf pago vicinis. Maio etiam floret, & Iunio semen maturescit.

Ex illius semine natam censeo, quam anno 1577. Noriberga ad me misit C. V. D. Ioachimus Ioach. F. Camera- V. Iris exotica Camerarij.

Camerarius, eius Reip. medicus primarius, & amicus mihi optim. nō multum etenim ab illa differt, cuius folia circa radicem non purpurascunt. Habet namque cubitalem caulem, lauem, rotundum, aliquot ramulis diuisum, qui è vaginulis virentibus promunt flores superiori similes, paulo tamen maiores, quorum tria reflexa folia multo magis purpurascunt: tria verò erecta luridi planè & obsoleti sunt coloris, quasi pallidi fuligine perfusi, vti etiam tria illa quæ luteas fimbrias integunt, sub quibus etiam latent candicantes ligulæ: nonnihil odorati sunt. Cum reliquis floret.

Eius natales non noui: sed, quemadmodum dixi, è semine Variæ caulifera Pannonicæ quarto loco mihi descripta natam suspicor: mirum enim in modum variāt, quæ ex semine nascuntur Irides, non secus ac præcoces Tulipæ & Papauera, vt longa experientia didici.

VI. Iris illyrica. SEXTA *non multum à Lusitanica biflora differre videtur: etenim quina aut sena ex singulis radicis capitibus promit folia, illius foliis simillima: caulem deinde pedalem, raro ampliorē, qui in summo è vaginulis purpurascentibus florem promit Lusitanicæ forma, colore, & odore persimilem, paulo tamen maiorem & teneriorem, nullum semen obseruaui: radix nodosa, & geniculata, multis fibris, quemadmodum aliarum* Iridum *radices, firmatur, odoris, dum virens est, ingrati; at dum siccata est, satis grati; & insipidi initio gustus, postea tamen feruidi faucésque vrentis.*

Venetiis primùm huc perlata est anno 1574. *atque C. V. D. Aicholtzio communicata, qui eam cum reliquis Iridum generibus in cultissimo suo horto alit.*

Floret cum reliquis Maio.

VII. Iris caulifera purp. LATA *folia habet Septima, rugosa, pedali fere longitudine, circa radicem nonnihil purpurascentia: caulem pro-*

lē promit non è medio foliorū, vti aliæ, sed seorsim sine foliis, pedalē, in quo tres aut quatuor flores è purpurascētibus vaginulis prodeunt, magni, purpuræ saturatioris, inodori, quorū tria folia ad terrā inflexa, ab ipso exortu vsq. ad fimbriæ, quæ tota candida est, extremum, albis virgulis insignita sunt: his succedunt triangulares siliquæ, magnæ, in extremo obtusæ, semen continentes magnum, aliarū Iridum semine haud absimile: radix satis crassa, geniculata, intus candida, foris furui coloris cortice tecta, satis odora, ad Phu siue Valerianæ domesticæ odorem accedens.

Neq. huius natales obseruaui, sed in D. Aicholtzij cultissimo horto primum vidi: ipse verò vnde eā nactus sit, indicare non potuit. Floret verò maturius iam descriptis, sub Aprilis videlicet finem.

Peculiarem autem habet hæc præter reliquas Irides notam, vt nulla folia per hiemem retineat, sed omnia flaccescant & exsiccentur, nudáque conspiciatur, deinde primo vere noua germina proferat.

NON *dubium est quin ex huius semine, quod cum* 2 *aliorum generum Iridis seminibus, & variarum radicibus ante aliquot annos in Belgicam ad amicos misi, prognata sit elegans illa Iris quæ superiore Augusto anni 1581. in cultissimo horto nobilis viri Dn. Ioannis de Hoboke archigrammatei Antuerpiani iam secūdùm florebat: etenim per omnia illi respondet, nisi quòd folia circa radicem saturatius purpurascere mihi visa sunt.*

OMNES *porro illæ & latifoliæ sunt & cauliferæ. Duæ verò subsequētes cum suis speciebus prorsus ἀκαυλοι sunt siue excaules, et earum flores pediculis succulentis & infirmis duntaxat innituntur, vt croci, colchici, & similium flores.*

VIII. Chamęiris latifolia maior. HARVM *autem maior breuibus est foliis, interdum etiam pedalibus, Iridis vulgaris modo latis, & secundum radicem magna ex parte purpurascentibus: inter quæ multi flores è vaginulis prodeunt singulari pediculo dodrantalique fulti, atque sine caule, vulgari paulo minores, Lusitanicæ bifloræ æmuli, cum magnitudine, tum colore, qui saturatioris nigræ violæ est, præsertim tria folia deorsum inflexa, quæ fimbriam villosam, vsque ad bifida illa quæ ligulas tegunt folia, ex cæruleo purpurascentem habent, sub ligula verò luteam: omnia autem florum folia, tam quæ sursum attollũtur, quàm quæ repanda terram spectant, inferiore & sessili parte lineis quibusdam albis variegata sunt: at vel aliquantulum odorati sunt, vel inodori: siliquæ triangulæ, magnæ, mucronatæ, in quibus semen orobi magnitudine pallescens, quod exsiccatum rugas contrahit et fuluescit: radix nodosa est aliarum Iridum modo, similitérq. se propagãs.*

IX. Chamęiris latifolia minor purpurea. NONA *superiore minor est, & breuioribus angustioribúsq. aliquantum foliis, Chamæiridi latifoliæ Hispanicæ & Gallicæ (de qua in Hispanicis obseruationibus) simillimis: flore superioris ferè simili, sed minore, & villo fimbriæ supra ligulas cæruleo, infra verò, quemadmodum in alia, luteo: saturatior interdum est, nunc dilutior, ille quidem odoratus, hic minimè, ternísque foliis quæ sursum inflectuntur in vtroque genere modò orbiculatis, modò longioribus & bifidis. Siliquæ & semen etiã minora, vti sunt reliquarũ subsequentiũ specierum.*

2. Chamęiris latifol. min. cęrulea. *Alia huic omnino similis, cum foliis, tum nascendi modo, tum radice, quæ nodosa est & obliqua atq. multis fibris prædita, tum etiam flore, qui tamen cæruleus est, & odoratus, & labra inferiora nonnihil purpurascentia habet.*

Chamęiris latifol. min. tubescens.

3. *Tertia nequaquam à superiore differt, sed eius flos quodam-*

quodammodo rubet, interdum etiam dilutiore & exalbida quodammodo rubedine & carneo colore præditus est, præsertim foliis sursum erectis, estque aut odoratus, aut inodorus, villo fimbriæ supra albicante, infra vti in aliis luteo: omnibus his ligulæ sunt cæruleæ.

Flore reliquis forma simili est Quarta, sed colore interdum pallescente, nonnunquam exalbido: folia sursum erecta, ab ipso statim exortu in vtroque genere purpurascentibus quibusdam lineis decorantur, deorsum verò inflexa, in pallescente exalbida sunt, & in albicante virescunt. 4. Chamæir. latif. min. pal. & alba.

Quinta solo floris colore à quarta differt: is etenim fuluescit, eiúsque superiora quidem folia purpurascentibus virgulis exornantur, labra tamen propendentia modò nigricante, modò diluta purpura in medio infecta sunt: ligulæ porro in quarta & quinta specie albæ sunt, & flores odori: pallescens autem oxyacanthæ floris odorem omnino æmulatur. 5. Chamæir. latif. min. varia.

Omnium verò foliola quæ ligulas & fimbriam magna ex parte contegunt, bifida sunt, & pinnas duas sursum erectas, veluti Irides bulbosæ habent: Purpureæ prætereà, albæ & variæ folia secundum radicem plerumque purpurascunt.

Nascuntur autem omnes in nudis & apertis montibus Pannoniæ & Austriæ: purpurea maior in Prellenberg: purpurea minor cum istic, tum suprà Medeling, Gumpostkirchen, & Baden, in quibus montibus inueniuntur & rubra & cærulea: alba in Hamburgensi monte: variam certè non nisi in monte Badensibus thermis imminenti, qua parte λιβόνοτον spectat, obseruaui. Ceterùm tam insignem varietatē ex semine deciduo, sponteq́. sese serēte fieri existimo. Nam variæ semina à me in hortulo terræ commissa, & varias, & pallidas, et albas protulerunt.

RESTANT

RESTANT *nobis Angustifoliæ persequendæ, quarum tametsi tria genera in Pannonia & Austria inueniantur: vnicũ tamen est, mihi aliàs in reliquis quas obiui prouinciis haudquaquam obseruatum.*

X. Iris angustifolia maior. TRIVM *autem istarum Iridum maxima, planè similis est, Iridi angustifoliæ maiori, cuius descriptionem in Hispanicarum stirpium historia dedi, quam ob causam hîc eam retexere minimè necessariũ duximus.*

Prouenit verò ea herbosis quibusdã locis iuxta vias, & ad margines pratorum quorundam non procul à Manderstorf quinto à Vienna Austriæ miliari, atque etiam apud Walterstorff, & anno 1579. non procul à Lindwa Mag[ci] *Dn. Bamfy arce in pratis obseruaui.*

XI. Iris angustifolia media, siue varia. MEDIA, *quæ perelegans est, nec vllibi antè mihi conspecta, cubitalia habet folia, angusta admodum, minimi digiti, siue semunciæ latitudinem non excedentia, viridia, non tamen splendentia, per extremum mucronata, inferiore verò parte qua terra integuntur purpurascentia, nullo ingrato odore, vt pleraque aliarum angustifoliarum, donata: caules sunt sesquicubitales, recti, teretes, firmi, intus caui, geniculati, virides, superiore parte in binos aut ternos ramulos diuisi, quibus insident bini aut terni flores Iridis variæ bulbosæ floribus forma propemodum similes, odorati, quorum tria folia deorsum reflexa, sessili parte, & quatenus bifido folio ligulam occulente teguntur, colore furuo sunt, reliqua parte (quæ in nonnullis breuior & latior est, in aliis oblongior & angustior) nunc candicante, nunc purpureo, seu violaceo colore, venis intensiore purpura nitentibus per folij longitudinem excurrentibus, & sine fimbria: tria sursum erecta, angustiora sunt, & cum bifidis illis exalbidas ligulas tegentibus, purpurei saturatioris, siue violacei sunt coloris: breues deinde consequuntur siliquæ*





triangula, Iridi bulbosæ flore luteo magnitudine pares, aut paulo maiores, quæ per maturitatem nigricant, & aliquantulum dehiscunt, semen inæquale, angulosum, nonnihil compressum & durum continentes: radix nigra, tenuis, dura, nodosa, fibris aliquot duris & tenuibus prædita est.

Sponte exit in quibusdam Viennensi agro vicinis pratis, veluti supra Himbergam, Eberstorf Magnifici Dn. Hieronymi Bec à Leopoldstorf, atque aliis Austriæ pratensibus locis. Misit illam postea ad me siccam in Sudetum montibus erutã doctiss. vir Ludouicus Ioach. senioris F. Camerarius ex S. Annæ monte. Anno verò 1579. frequentissimam circa Sakturnyam Ill. Comitis de Zrinio arcem, aliisque locis inter Muram & Drauum, pratis uliginosis, quemadmodum etiam in Comitatu Saladiensi inter Lindwa fl. & Muram obseruaui. Floret Maio, semen Augustum maturum est.

POSTREMA *angustifolia passim hic in pratis Viẽnensis agri ad radices mõtium sitis prouenit, vti apud Medeling, Gumpostkirche, Badenses thermas: nec differt ab ea quam C. V. Dodonæus Chamæiridem appellauit, quæque iam multis annis in Belgicis hortis alitur, flore maturè prodeunte, & Armeniaci mali odorem referente. Eam Lobelius noster in stirpium obseruationibus Iridem perpusillam siluestrem angustifoliam nominat.* XII. Iris angustifolia minor.

Sed eius duæ videntur esse differentiæ. nam vna pedalem interdum adquirit caulem, binósq. aut ternos plerumque in eo gestat flores, & deinde capita siue siliquas admodum acutis angulis præditas, eáque in his pratis vulgatior est: alterius caulis vix dodrantalem superat altitudinem, et vnicum magna ex parte florem profert: vtriusque radix tenuis, nigra, & firma est. 1. 2.

CETERVM *Prior Constantinopoli missa est*

Aláia

Drauum, & apud Sackturnya Ill. Comitis de Zrinio arcem.

III. Orchis obscurè purpurea. TERTIVM *genus elegãtissimum, binis crassis bulbis, altero succi pleno, altero flaccidiore, quod in Orchidibus vulgare est: folijs longis angustis: caule interdum pedali, spica florum elegante, odorata, quorum galeola obscura purpura nitet, hiatus cum labro candicant, purpureisque maculis insigniti sunt.*

Inuenitur in pratis Nemethwywar vicinis, supra Rabam, intráque Muram & Drauum flumina.

IIII. Orchis galea purp. QVARTÆ *quina aut sena sunt folia, caulis palmaris aut amplior, aliquot minoribus folijs inuolutus: spica elegantium minutorum florum purpurascente galea tectorum, labro prominulo, in quatuor barbulas diuiso, candido, purpureisque punctis asperso, paruo calcari à tergo prominente, tenui odore: sub quo, vt in reliquis orchidibus torosum & cõtortum est capitulum exiguum semen scobis instar continens: geminas radices habet paruorum testiculorum modo, alteram plenam, alteram flaccidam, supra quas ex imo caule ortæ fibræ expanduntur.*

Nascitur ad radices montis Clesenfeld imminentis, binis supra Neapolim miliaribus, at copiosè admodum in montium tenui gramine tectorum accliuibus, supra Radaun, Medeling, Baden, & plerísque alijs locis editioribus & siccioribus Viennæ vicinis.

2. *Ei similem erui montibus Grebén proximis, sed longè ampliorem, crassioreq́; & longiore spica.*

V. Orchis colore vario. QVINTA *quatuor aut plura folia habet summa tellure diffusa, Belgicæ orchidis folijs, quæ vulgo in pratis maturè florẽ purpureum fert, similia, sed nullis maculis distincta; caulem palmarem, aliquot minoribus folijs septum, cuius summum multi flores, exigua galea*

duobus

duobus foliolis constante, tribúsque aliis foliolis galeam ambientibus, latioréque barba propendente, & calcari obtusiore præditi, spicatimque nascentes exornant, colore modò purpureo saturatiore, modò dilutiore, modò carneo, modò omnino lacteo, barba tamen plerumq. nunc exiguis, nunc maioribus saturatè purpurascẽtibus maculis aspersa, interdum etiam nullis omnino, præsertim in lacteis floribus: semen vt in reliquis orchidum generibus vasculis contortis continetur: radices geminas alteram flaccidiorem superioris anni, alteram succulentam recentiorem tegunt multæ candidæ crassiusculæ fibræ.

Inuenitur passim in pratis Viennæ vicinis: similem etiam obseruare memini superiore anno 1581. in pratis vrbi Londinensi in Anglia proximis: vbi & aliam erui grandiore paulo florum purpureorum spica teterrimo odore fœtidam.

Omnes autem, præter primam, mense Maio florere solent. Orchis fœtidissima.

VI. Orchis pusilla pallida odorata.

TRIA *plerumque habet Sextum genus angusta folia, alioqui reliquis orchidibus similia, viridia, cauliculum dodrantalem, spica flosculorum ex herbido pallentium, tribus apiculis constantium, odore moschi exornatum: radicem vnicam, rotundam, pisi magnitudine, supra quam longæ propagines exporriguntur, quæ nouas subinde plantas generant.*

Exit copiosè in colle monasterio Neuberg vicino; & floret Iunio.

VII. Orchis serapias.

FOLIIS *est Lilij primùm enascentibus tribus aut quatuor Septima, dilutiore et quasi pallente virore præditis, nullaque macularum aspergine notatis, ingrati saporis: caulem dodrantalem amplectuntur nonnulla foliola, in cuius summo flores spicatim digesti nascuntur*

colore



colore exalbido, nec vllis punctis distincto, anterius morionum hiantibus cucullis similes, vtrimque auriti, & latiusculo pallido labro propendente, posterius verò corniculum habentes, vti Consolida regalis, aut Linaria, sed latius & obtusum, grauiter odorati, florum sambuci odorem æmulantes: ad horum exortum singula foliola nascuntur pallentia, & floribus colore respondentia: radices geminæ, veluti palmæ in binos aut plures digitos distributæ sunt, quarum vetustior, fungosa, nigrior & flaccidior est, altera candida, vegetior ac solida, paucis supra earum exortum nascentibus fibris.

Aliud genus est cum forma tum magnitudine illi simile, cuius flores purpurei sunt, & foliola sub floribus nascentia etiam purpurascunt. 2.

Inuenitur vtrumq. genus non modò in Leytano saltu supra Manderstorf aliisque Austriæ inferioris saltubus: sed etiam editioribus quibusdam pratis Viennensi saltui proximis. Floret autem Aprili, nonnunquam etiam Maio, pro mitiore aut rigidiore aëris vernalis constitutione.

De Limodoro Avstriaco.

CAP. XXVII.

COGNATVM *quodammodo est Orchidibus λειμόδωρον, cuius varia genera inueniuntur multis prouinciis communia.* λειμόδωρον. austriacum.

At vnum in montanis supra Badenses thermas obseruaui, quod nusquam alibi obseruare memini. Assurgit id pedali caule, frequentibus secundum radicem foliolis tanquam vaginulis inuoluto, qui spicam fert florum quatuor foliis constantium, superiore in corniculum desinente, & promuscide quadam inter media folia prominente, cui adnatæ sunt duæ tenues barbulæ: floribus stria-

bus striata & oblonga subsunt capitula, semine exili & orchidum simili plena: radix crassis longisque & obliquis fibris constat, quemadmodũ in ea planta quæ vulgo Helleborines nomen obtinuit.

Tota stirps saturo purpura & planè violaceo colore prædita est. Floret Iunio.

Similem fere, sed colore multo dilutiore, olim obseruare memini in silua illa agri Mõpelliani ad monasterium Gramont sub Ilicibus arboribus.

Orobanchæ. *Porrò Orobanche illa maior, quam Belgæ, quoniam* Rapum genistæ. *ad Genistæ vulgaris radices interdũ nascitur, Rapum genistæ cognominant, cuiúsque in puluerem trita ex tepido vino hausta præsens ad coli dolores remedium esse prædicant, passim multis Austriæ & Pannoniæ siluis nascitur, atque Vngaris* Milé gyerthyá, *id est missalis candela siue cereus dicitur.*

FREQVENS *est etiam in Leytenberg, atque aliis montibus siluosis vrbi Viennæ vicinis, multísque Pannoniæ locis cum circa sepes, tum ad siluarum extremitates inter vepres ea planta quam à radice orbiculata,* Radix caua. *& subtus nonnihil natura excauata Radicem cauam vulgo nominant: quæ vel albo flore, vel carneo rubróve dilutiore quam frequentissimè, vel egregiè rubente, sed raro conspicitur. At minorẽ illam Germanicis & Belgicis officinis apprimè notam, quæque cum in Germania passim, tum in Belgica inter vepres et frutices nascitur, nusquam in his prouinciis videre memini.*

DE IRIDE. CAP. XXVIII.

In Iridum generibus maximam conspicuam varietatem. NVNQVAM *maiorem in vlla planta varietatem obseruare memini, quàm in Iride. In nullã etenim prouinciam*

uinciam institui, quin eius aliquod genus antea mihi non conspectum inuenerim, vti ex mea Hispanicarum stirpium historia videre licet, et ex hoc etiam capite deprehendi poterit: in quo nonnullas etiam Irides describere animus est, non hîc quidem sua sponte nascentes, sed Constantinopoli aut ex Illyride primùm meo tempore huc delatas, & postea Viennensium hortorum inquilinas factas, cum iis quas variis Pannoniæ & Austriæ locis eruimus.

A maioribus autem latifoliis initium faciemus, deinde ad humiliores eásque tamen latifolias progrediemur, postremo loco angustifolias descripturi.

PRIMVM *verò loco merito sibi vendicare videtur quæ sena aut octona habet folia, Iridis Lusitanicæ biflore foliis haud absimilia, mutuo sese vt in reliquis Iridum generibus amplectentia: è quorum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rotundus, geniculatus, digitali crassitudine, florem sustinens omnium quos vnquam in Iridibus conspexerim maximum, senis foliis constantẽ, sed colore à reliquis Iridibus differentem: nam tria deorsum reflexa folia, crassa sunt, & interiore parte omnino nigra, nisi quædam venæ ex purpura candicantes intercursarent, ab infima basi ad medium vsque nigris villis latè obsita, macula nigra villosum sericum imitante, & medium folium occupante, foris verò multo dilutiora: quæ autem sursum attolluntur, palmari sunt amplitudine, sed quasi membranea tenuitate, plurimis lineis ab infima basi ad extremum vsque folium excurrentibus, partim nigricantibus, partim ex cinereo candicantibus (sic ferè vt Galli pauonis siue Americani pauonis expãsam caudã imitentur) interius circa vnguem nõnihil hirsuta: terna deinde habet alia minora folia, illis quæ deorsum reflexa sunt incũbentia, concamerata et bifida,* I. Iris susiana

 eiusdem

eiusdem propemodum cum illis coloris, paulo tamen dilutioris, & ad obscuram purpurã accedentis: his ligula occulitur: nullo verò odore cõmendatur hic flos, sed sola coloris varietate & raritate: an siliquas & semen aliarum Iridum more ferat, mihi non constat, cùm eius florem bis aut ter duntaxat viderim, qui ad frugem non peruenerit: semel etiam Dominæ de Indeuelde p. m. floruisse, scripsit ad me C. V. Ioannes Boisôt veteri amicitia mihi coniunctus: radix crassa est, obliqua, summa tellure sese spargens reliquarum Iridum modo, sed globosa & veluti in bulbũ extuberãs, quâ folia exoriũtur.

Constantinopoli primùm delata fuit Viennam hæc Iris sub finem anni 1573. paulo ante diem Christi Saluatoris nostri natali sacrum, cùm recens eò venissem, Magco ac Generoso Domino Augerio de Bousbeque, Cæsaris olim ad Turcarum Imperatorem bis oratori, nunc verò Elizabethæ Austriadis Galliæ Reginæ, aulæ summo Præfecto, qui eam & Dn. de Indeuelde & mihi communicauit. Subsequente verò anno similem attulerunt Cõstãtinopoli reduces Magnificus Dn. Carolus Rym Dñs de Eeckebecke Orator, et eius affinis Dn. Philibertus de Bruxella. Verùm cùm hiemis iniurias minus ferre potis sit, quàm reliqua Iridum genera: mihi fere intercidit, imò D. Aicholtzio sæpius à me communicata (nam adnatis se propagat vt reliquæ) nunquam in eius horto persistere voluit. Et licet cùm Nobiles matronæ tum Generosi viri his proximis annis Constantinopoli aliquot eius stirpes acceperint, perpaucæ hiemis iniuriam euaserunt.

II. Iris asiatica cærulea. S E N A, *septena, octona, aut plura habet Altera folia, omnium Iridum amplissima, & in latum expansa, mutuò tamen sese amplectentia, reliquarum Iridũ modo, colore ex viridi æruginoso: è quorum medio caulis*

exilit

exilit sesquicubitalis, atque amplior interdum, firmus, crassus, lauis, geniculatus, multisque alis concauus, è quibus copiosi, vaginulisque inclusi prodeunt flores Iridis Dalmatica maioris floribus persimiles, dilutè admodum carulei, & florum Sambuci odorem quodammodo amulantes, grauiorem tamen, siliqua deinde crassa, magna, triangulares, obtuso mucrone, qua per maturitatem dehiscentes, semen continere deprehenduntur crassum, angulosum, durum fuluescens: radix est crassa magna et nodosa, multis oblongis crassisq; fibris pradita, lateribus vti reliqua Irides se propagans, & si repurgata exiccetur, odorata.

TERTIA *habet folia Secunda similia, paulo tamen breuiora, & angustiora: è quorũ medio exit caulis cubitalis, rotundus, digiti crassitie, in aliquot ramos diuisus, qui proferunt è membraneis thecis flores superiore minores, quorum labra, siue tria folia deorsum spectantia saturatioris sunt purpura, et infra versus vmbilicum, quà videlicet hirsuta illa & pallescens fimbria excurrit, variis lineis distincta: tria verò sursum erecta, elegantis sunt purpura, flori Lusitanica biflora similia fere, attamen latiora: deorsum reflexis incumbũt alia tria bifida latiuscula, qua ligulas candicantes occultant: sunt verò isti flores nonnihil odorati; & his succedunt triangulares siliqua, obtusa, in quibus semen inaquale; radix tuberosa, superiori similis.* III. Iris asiatica purpurea.

Vtraque hac Maio floret cum Prima, & illius nomine Constantinopoli ad me missa est, à Mag^co & Generoso Dn. Dauide Vngnad, Casareo tum apud Turcarum Imperatorem Oratore, nunc verò bellici Consilij apud Casarem Praside.

HVIC *rugosa sunt folia, pedali longitudine, & secundum rrdicem omnino interdum purpurascentia,* IIII. Iris varia caulifera.

 aliquando



aliquando minimè: è quorum medio caulem premit cubitalem, læuem, viridem, aliquot ramis diuisum, quibus insident flores è viridibus vaginulis emergentes, magni, nunc prorsus inodori, modo oxyacanthæ ferè odorem spirantes, coloris varietate commendabiles: etenim tria folia quæ sursum spectant & attolluntur, rarò se mutuò amplectuntur, sed plerumque (nisi flaccescere incipiant) recta sunt, nonnihil tamen conuexa & angustiora, colore luteo, quali sunt etiã illa quæ fimbriam ligulásq. contegunt: folia deorsum inflexa circa basim & exortum pallent, reliqua parte candicant, multis tamen purpureis lineis siue virgulis ab ipsa sede ad extremum vsque folium (quod magna ex parte purpureum saturatiúsq. est in earum stirpium floribus quæ circa radicem non purpurascunt, orã tamen pallida) eleganti pictura decurrentibus: fimbria villosa qua parte integitur lutea est, extrema verò exalbida: ligulæ pallentes; siliquæ magnæ, triangulæ, obtuso aliquantulum mucrone, continentes semen orobi magnitudine, fuscum, rugosum: radix nodosa instar vulgaris iridis, foris flauescens, multis transuersis fibris firmata, quæ repurgata & exiccata odoratissima est, et cum Illyrica quæ in officinis habetur odoris gratia contendere potest.

Id genus primum inueni in montanis supra arcem Diui Georgij herbido solo, & ad oppidum Stamphen in Vngaria transdanubiana aliquot miliaribus vltra Posonium: deinde vtrumque genus frequens in Leytenberg supra Manderstorf, atque etiam in siccioribus pratis non procul Sopronio, & collibus Entzestorf Mag^ci Dñ. de Entzestorf pago vicinis. Maio etiam floret, & Iunio semen maturescit.

Ex illius semine natam censeo, quam anno 1577. Noriberga ad me misit C. V. D. Ioachimus Ioach. F. Camera- V. Iris exotica Camerarij.

Camerarius, eius Reip. medicus primarius, & amicus mihi optim. nō multum etenim ab illa differt, cuius folia circa radicem non purpurascunt. Habet namque cubitalem caulem, lauem, rotundum, aliquot ramulis diuisum, qui è vaginulis virentibus promunt flores superiori similes, paulo tamen maiores, quorum tria reflexa folia multo magis purpurascunt: tria verò erecta luridi planè & obsoleti sunt coloris, quasi pallidi fuligine perfusi, vti etiam tria illa quæ luteas fimbrias integunt, sub quibus etiam latent candicantes ligulæ: nonnihil odorati sunt. Cum reliquis floret.

Eius natales non noui: sed, quemadmodum dixi, è semine Variæ caulifera Pannonicæ quarto loco mihi descriptæ natam suspicor: mirum enim in modum variāt, quæ ex semine nascuntur Irides, non secus ac præcoces Tulipæ & Papauera, vt longa experientia didici.

VI. Iris illyrica. SEXTA *non multum à Lusitanica biflora differre videtur: etenim quina aut sena ex singulis radicis capitibus promit folia, illius foliis simillima: caulem deinde pedalem, raro ampliorē, qui in summo è vaginulis purpurascentibus florem promit Lusitanicæ forma, colore, & odore persimilem, paulo tamen maiorem & teneriorem, nullum semen obseruaui: radix nodosa, & geniculata, multis fibris, quemadmodum aliarum Iridum radices, firmatur, odoris, dum virens est, ingrati, at dum siccata est, satis grati; & insipidi initio gustus, postea tamen feruidi faucésque vrentis.*

Venetiis primùm huc perlata est anno 1574. atque C. V. D. Aicholtzio communicata, qui eam cum reliquis Iridum generibus in cultissimo suo horto alit.

Floret cum reliquis Maio.

VII. Iris caulifera purp. LATA *folia habet Septima, rugosa, pedali ferè longitudine, circa radicem nonnihil purpurascentia: caulem pro-*

lẽ promit non è medio foliorũ, vti aliæ, ſed ſeorſim ſine foliis, pedalẽ, in quo tres aut quatuor flores è purpuraſcẽtibus vaginulis prodeunt, magni, purpuræ ſaturatioris, inodori, quorũ tria folia ad terrã inflexa, ab ipſo exortu vſq. ad fimbriæ, quæ tota candida eſt, extremum, albis virgulis inſignita ſunt: his ſuccedunt triangulares ſiliquæ, magnæ, in extremo obtuſæ, ſemen continentes magnum, aliarũ Iridum ſemine haud abſimile: radix ſatis craſſa, geniculata, intus candida, foris furui coloris cortice tecta, ſatis odora, ad Phu ſiue Valerianæ domeſticæ odorem accedens.

Neq. huius natales obſeruaui, ſed in D. Aicholtzij cultiſſimo horto primum vidi: ipſe verò vnde eã nactus ſit, indicare non potuit. Floret verò maturius iam deſcriptis, ſub Aprilis videlicet finem.

Peculiarem autem habet hæc præter reliquas Irides notam, vt nulla folia per hiemem retineat, ſed omnia flacceſcant & exſiccentur, nudáque conſpiciatur, deinde primo vere noua germina proferat.

NON *dubium eſt quin ex huius ſemine, quod cum aliorum generum Iridis ſeminibus, & variarum radicibus ante aliquot annos in Belgicam ad amicos miſi, prognata ſit elegans illa Iris quæ ſuperiore Auguſto anni 1581. in cultiſſimo horto nobilis viri Dn. Ioannis de Hoboke archigrammatei Antuerpiani iam ſecũdùm florebat: etenim per omnia illi reſpondet, niſi quòd folia circa radicem ſaturatius purpuraſcere mihi viſa ſunt.* 2

OMNES *porro illæ & latifoliæ ſunt & cauliferæ. Duæ verò ſubſequẽtes cum ſuis ſpeciebus prorſus ἄκαυλοι ſunt ſiue excaules, et earum flores pediculis ſucculentis & infirmis duntaxat innituntur, vt croci, colchici, & ſimilium flores.*

VIII. Chamęiris latifolia maior. HARVM autem maior breuibus est foliis, interdum etiam pedalibus, Iridis vulgaris modo latis, & secundum radicem magna ex parte purpurascentibus: inter quæ multi flores è vaginulis prodeunt singulari pediculo dodrantalique fulti, atque sine caule, vulgari paulo minores, Lusitanicæ bifloræ æmuli, cum magnitudine, tum colore, qui saturatioris nigræ violæ est, præsertim tria folia deorsum inflexa, quæ fimbriam villosam, vsque ad bifida illa quæ ligulas tegunt folia, ex cæruleo purpurascentem habent, sub ligula verò luteam: omnia autem florum folia, tam quæ sursum attollũtur, quàm quæ repanda terram spectant, inferiore & sessili parte lineis quibusdam albis variegata sunt: at vel aliquantulum odorati sunt, vel inodori: siliquæ triangulæ, magnæ, mucronatæ, in quibus semen orobi magnitudine pallescens, quod exsiccatum rugas contrahit et fuluescit: radix nodosa est aliarum Iridum modo, similitérq. se propagãs.

IX. Chamęiris latifolia minor purpurea. NONA superiore minor est, & breuioribus angustioribúsq. aliquantum foliis, Chamæiridi latifoliæ Hispanicæ & Gallicæ (de qua in Hispanicis obseruationibus) simil[i]mis: flore superioris ferè simili, sed minore, & villo fimbriæ supra ligulas cæruleo, infra verò, quemadmodum in alia, luteo: saturatior interdum est, nunc dilutior, ille quidem odoratus, hic minimè, ternísque foliis quæ sursum inflectuntur in vtroque genere modò orbiculatis, modò longioribus & bifidis. Siliquæ & semen etiã minora, vti sunt reliquarũ subsequentiũ specierum.

2. Chamęiris latifol. min. cęrulea. Alia huic omnino similis, cum foliis, tum nascendi modo, tum radice, quæ nodosa est & obliqua atq. multis fibris prædita, tum etiam flore, qui tamen cæruleus est, & odoratus, & labra inferiora nonnihil purpurascentia habet.

Chamęiris latifol min. rubescens.

3. Tertia nequaquam à superiore differt, sed eius flos

quodam-

quodammodo rubet, interdum etiam dilutiore & exalbida quodammodo rubedine & carneo colore præditus est, præsertim foliis sursum erectis, estque aut odoratus, aut inodorus, villo fimbriæ supra albicante, infra vti in aliis luteo: omnibus his ligulæ sunt cæruleæ.

Flore reliquis forma simili est Quarta, sed colore interdum pallescente, nonnunquam exalbido: folia sursum erecta, ab ipso statim exortu in vtroque genere purpurascentibus quibusdam lineis decorantur, deorsum verò inflexa, in pallescente exalbida sunt, & in albicante virescunt. 4. Chamæir. latif. min. pal. & alba.

Quinta solo floris colore à quarta differt: is etenim fulvescit, eiusque superiora quidem folia purpurascentibus virgulis exornantur, labra tamen propendentia modò nigricante, modò diluta purpura in medio infecta sunt: ligulæ porro in quarta & quinta specie albæ sunt, & flores odori: pallescens autem oxyacanthæ floris odorem omnino æmulatur. 5. Chamæir. latif. min. variegata.

Omnium verò foliola quæ ligulas & fimbriam magna ex parte contegunt, bifida sunt, & pinnas duas sursum erectas, veluti Irides bulbosæ habent: Purpureæ prætereà, albæ & variæ folia secundum radicem plerumque purpurascunt.

Nascuntur autem omnes in nudis & apertis montibus Pannoniæ & Austriæ: purpurea maior in Prellenberg: purpurea minor cum istic, tum supra Medeling, Gumpoltkirchen, & Baden, in quibus montibus inueniuntur & rubra & cærulea: alba in Hamburgensi monte: variam certè non nisi in monte Badensibus thermis imminenti, qua parte λιβόνοτον spectat, obseruaui. Ceterùm tam insignem varietatē ex semine deciduo, sponteq. sese serēte fieri existimo. Nam variæ semina à me in hortulo terræ commissa, & varias, & pallidas, et albas protulerunt.

RESTANT

RESTANT *nobis Angustifoliæ persequendæ, quarum tametsi tria genera in Pannonia & Austria inueniantur: vnicũ tamen est, mihi aliâs in reliquis quas obiui prouinciis haudquaquam obseruatum.*

X. Iris angustifolia maior.

TRIVM *autem istarum Iridum maxima, planè similis est, Iridi angustifoliæ maiori, cuius descriptionem in Hispanicarum stirpium historia dedi, quam ob causam hîc eam retexere minimè necessariũ duximus.*

Prouenit verò ea herbosis quibusdã locis iuxta vias, & ad margines pratorum quorundam non procul à Manderstorf quinto à Vienna Austriæ miliari, atque etiam apud Walterstorff, & anno 1579. non procul à Lindwa Mag^ci Dn. Bamfy arce in pratis obseruaui.

XI. Iris angustifolia media, siue varia.

MEDIA, *quæ perelegans est, nec vllibi antè mihi conspecta, cubitalia habet folia, angusta admodum, minimi digiti, siue semunciæ latitudinem non excedentia, viridia, non tamen splendentia, per extremum mucronata, inferiore verò parte qua terra integuntur purpurascentia, nullo ingrato odore, vt pleraque aliarum angustifoliarum, donata: caules sunt sesquicubitales, recti, teretes, firmi, intus caui, geniculati, virides, superiore parte in binos aut ternos ramulos diuisi, quibus insident bini aut terni flores Iridis variæ bulbosæ floribus forma propemodum similes, odorati, quorum tria folia deorsum reflexa, sessili parte, & quatenus bifido folio ligulam occulente teguntur, colore furuo sunt, reliqua parte (quæ in nonnullis breuior & latior est, in aliis oblongior & angustior) nunc candicante, nunc purpureo, seu violaceo colore, venis intensiore purpura nitentibus per folij longitudinem excurrẽtibus, & sine fimbria: tria sursum erecta, angustiora sunt, & cum bifidis illis exalbidas ligulas tegentibus, purpurei saturatioris, siue violacei sunt coloris: breues deinde consequuntur siliquæ*

triangulæ,



triangula, Iridi bulbosæ flore luteo magnitudine pares, aut paulo maiores, quæ per maturitatem nigricant, & aliquantulum dehiscunt, semen inæquale, angulosum, nonnihil compressum & durum continentes: radix nigra, tenuis, dura, nodosa, fibris aliquot duris & tenuibus prædita est.

Sponte exit in quibusdam Viennensi agro vicinis pratis, veluti supra Himbergam, Eberstorf Magnifici Dn. Hieronymi Bec à Leopoldstorf, atque aliis Austriæ pratensibus locis. Misit illam postea ad me siccam in Sudetum montibus erutã doctiss. vir Ludouicus Ioach. senioris F. Camerarius ex S. Annæ monte. Anno verò 1579. frequentissimam circa Sakturnyam Ill. Comitis de Zrinio arcem, aliísque locis inter Muram & Drauum, pratis uliginosis, quemadmodum etiam in Comitatu Saladiensi inter Lindwa fl. & Muram obseruaui. Floret Maio, semen Augustum maturum est.

POSTREMA *angustifolia passim hic in pratis Viẽnensis agri ad radices mõtium sitis prouenit, vti apud Medeling, Gumpostkirche, Badenses thermas: nec differt ab ea quam C. V. Dodonæus Chamæiridem appellauit, quæque iam multis annis in Belgicis hortis alitur, flore maturè prodeunte, & Armeniaci mali odorem referente. Eam Lobelius noster in stirpium obseruationibus Iridem perpusillam siluestrem angustifoliam nominat.* XII. Iris angustifolia minor.

Sed eius duæ videntur esse differentiæ. nam vna pedalem interdum adquirit caulem, binósq. aut ternos plerumque in eo gestat flores, & deinde capita siue siliquas admodum acutis angulis præditas, eáque in his pratis vulgatior est: alterius caulis vix dodrantalem superat altitudinem, et vnicum magna ex parte florem profert: vtriusque radix tenuis, nigra, & firma est. 1. 2.

CETERVM *Prior Constantinopoli missa est*

Aláia

Alaia ſuſani Alaga ſuzame.

Aláia Suſani & Alaga ſuzame *nomine, cum hac additione* fiori belle pintate, anno buono odore, *hoc eſt, eleganter picti flores, boni odoris, &* fa fior bianco & negro, *id eſt florem fert ex albo & nigro varium: elegantem ſanè florem eſſe comperimus, ſed gratum nullū odorem deprehendimus. Lobelius noſter in obſeruationibus Chalcedonicam vocauit. Ego aliunde primùm in hortos Cōſtātinopoli vicinos vltra Boſphorū ſitos illatam puto, aut, ex Perſide, aut vt veriſimilius eſt, Suſa Suſianæ prouinciæ metropoli, vt nomē indicare videtur: itaq. mihi Suſiana Iris dicetur. Eius radix plurimum ad Galangæ maioris formam accedit. Illius nomine Secundam & Tertiam, vt dixi, conſequutus ſum, cùm à Mag*co *Dn. Dauide Vngnad* Alaia ſuſani *mihi mitti petiiſſem: habet verò Secūda magnam affinitatem cum*

Iris dalmatica maior.

Dalmatica maiore Belgis nuncupata. Quartam variam cauliferam pannonicam cognomino: qua etiam appellatione donari Quinta poterit addita obſoletioris voce. Sexta Venetiis pro Illyrica allata eſt. Septima purpurea caulifera ſit, ad ſequentium differentiam. Octauam appello Chamæiridem latifoliā pannonicam maiorem. Nonam Chamæiridē latifoliam minorem, à cuius florum varietate ſingulæ ſpecies cognomē etiam mutuari poterunt, videlicet purpureæ, cæruleæ, rubræ, albæ, pallidæ, variæ, &c. Undecima mihi erit Iris anguſtifolia pannonica vario flore: Nam falluntur qui eam Conſtantinopoli allatam putantes, aut Illyricæ maioris, aut ſilueſtris Conſtantinopolitanæ cognomen illi in Belgica dederunt: cùm ego non inde aduectam, ſed in vliginoſis pratis vrbi Viennenſi viciniſ erutam, & ipſius ſemina, Dn. Ioan. de Brancion, Dn. Ioanni vander Dilft, & aliis amicis primus hanc in Belgicā miſerim. Inde factū eſt, vt cùm hæc, tum latifolia maior variæ

apud

apud nobiles Matronas Belgicas, Iridis Clusii cognomen adquisiuerint, & propter florum elegantiam præ ceteris quas misi grata sint.

De Acoro.

CAP. XXIX.

ALIQVOT *iam annis hanc stirpem in hortulo alo, munere Ill. virorum D. Augery de Bousbeque Ser^mæ Elizabethæ Austriadis Franciæ Reginæ aulæ nunc summi Præfecti, & D. Dauidis Vngnad Liberi Baronum Sonneck, nunc bellici Consilij apud Cæsarem Præsidis, atque Magnifici D. Caroli Rym Dn. de Eeckebeque, qui omnes oratorio munere apud Turcarum Imperatorem Cæsaris nomine defuncti sunt. Quam, cùm frigoris sit patientissima, nec hiemis iniurias reformidet, sed mirum in modum adnatis se propaget, quamplurimis communicauimus, sic vt nunc apud plerosque fere omnes rei herbariæ studiosos vulgaris sit.*

Eius historiam ante sexennium in appendice ad Hispanicas obseruationes dedi vnà cum icone, cui, cùm nondum tum temporis flores protulisset, nucamentum non est additum, neque in eius historia floris est mentio alia facta, quàm vt ex D. Augerij relatione intellexeramus. At cùm annis 1577. & 1579. florentem vidérimus, operæprecium me facturum existimaui, si hoc Capite illius historiam retexerem, eámque suis numeris absoluerem, atque florentis iconem quàm accuratè fieri potuit ad viuum expressam oculis subiicerem.

ACORO *igitur sunt folia Iridis tenuifoliæ maioris, longiora multo, & elegantissimo virore nitentia, dorso aliquantulum vtrimque extante, vt in Xyphij foliis, quorum formam admodum æmulantur, & illorum aut palustris illius Iridis quæ luteum florem profert modo,* Acori absolutior historia.

R *alia ex*



alia ex aliis prodeunt, mediumque folium reliquis plerumque oblongius est: sunt autem gustu non ingrato, sed amaricante, triáque iucundo & aromatico spirant odore. sub hiemis initium marcescunt & siccantur, primo autem vere noua germinant quemadmodum in Iride angustifolia: attamen etiam siccata & exsucca vel post multos annos odoris gratiam retinent. porrò nō ex medio foliorum caulem promit, sed ex latere exit folium potius quam caulis, eiusdem cum foliis longitudinis, bicubitalis videlicet nonnunquam, quod à medio ad summum vsque planum est, & reliquis simile, infima verò parte crassius, angustiúsque, & veluti in triangularem caulem efformatum. Vbi iam gracilescere et complanari incipit, vnicum nucamentum in latere promit, coryli iulo haud maius initio, sed prominens et erectum, lineísque obliquis & transuersim sese secantibus distinctum, flosculis, cùm sese explicat, pallidis, muscosis, inodoris, quatuor foliolis constantibus plenum, quod paulatim augescit, & amplitudinem crassitiémque humani ferè digiti tandem adipiscitur, frequentibus tuberculis viridibus tam eleganti serie dispositis exornatum, vt recentem Pinastri conum æmulari videatur. Radices illi sunt oblongæ, foris candicātes, vel si supra terram extent, virescentes, intus candidissimæ, frequenter sed inæqualiter geniculatæ, firmæ, odoratæ, gustu subamaro et acri, innumeris parte inferiore adnatis fibris albicantibus: serpunt autem & summa tellure sese diffundunt, atque in obliquum aguntur, ex singulis ferè geniculis alternatim noua germina producentes.

Nascitur autem ingenti quodam lacu ad radices montis præcelsi iuxta Prusam Bithyniæ vrbem. Sed retulit mihi doctissimus vir Bernardus Paludanus Frisius *cùm anno* 1577. *ex Polonia in Italiam hac iter faceret, co-*

ceret, copiosè admodum etiam inueniri supra Vilnam vrbem, in paludibus, extrema Lithuania Moscouiam spectãte, & ab incolis Tartarsky *appellari, quod à Tartaris eius vsus primùm illis sit demonstratus. Circumferre verò plerumque hanc radicem, nec aquam bibere, quin prius Acori radix in ea fuerit macerata. Simile etiam quiddã de huius plantæ nomine tradit Matthias à Michou Sarmatiæ lib. 1. cap. 12.* Tartarsky.

RECENTES *autem radices suo cortice delibratas et diligenter repurgatas condire solent Constantinopoli, atque in vsum seruare: manè enim plerumq. edere solent aduersus corrupti aëris contagia, vt mihi retulit Dn. Philibertus de Bruxella p. m. qui Constantinopoli rediens vasculo iis conditis pleno me donauit.*

Cùm verò Acori vires ac facultates Dioscorides, Galenus & alij plerique satis prolixe descripserint, lectorem ad eos ablegamus.

DE PSEVDO-ASPHODELO PVMILO foliis Iridis. CAP. XXX.

AD *quam potissimum classem hanc plantam referrem, diu dubitaui, nec adhuc satis certus sum quò referri debeat, foliis eius & floribus in diuersam sententiam me pertrahentibus. Quoniam verò perelegans est & noua, propter foliorum similitudinem Iridibus subiungere potius malui, quam nullum illi locum in nostra Historia concedere.*

NVMEROSA *autem sunt illi folia, sese mutuo amplectentia, Iridum modo, angusta, breuia, virentia, dura, amariusculo & calido sapore: è quorum medio cauliculus gracilis egreditur, pedali interdum aut maiore altitudine, qui spicam fert flosculorum sex foliolis constantium instar Asphodeli, colore ex herbaceo pallescete,* Pseudoasphodeli historia.

 sine odo-



fine odore: quibus ſuccedunt trigona capitula, nonnunquam & tetragona atque pentagona, ſemen minutiſſimum & ruffum continentia: radix vix corpus habet, ſed tenuibus aliquot fibris duntaxat conſtat.

Naſcitur in Sneeben, atque in gramineo colle monaſterio Neuberg imminente, in Etſcher, & quibuſdam alijs pratis montanis. Floret Iunio: ſemen Iulio matureſcit.

De Polygonato.

Cap. XXXI.

SATIS *magnam varietatem in Polygonato deprehendi. Nam eſt vulgare illud omnibus Prouincijs familiare, quod in Pannonia & Auſtria vmbroſis abundanter ſponte etiam naſcitur. Eſt aliud illi planè ſimile, niſi quod in duplo maiorem altitudinem excreſcit, craſſioreſque habet radices: id alibi videre non memini. Eſt præterea Polygonatum minus Herbariorum, folijs anguſtioribus, rubiæ modo caulem per interualla ambientibus, fructu per maturitatem rubro: id etiam in montanis pratis loco vmbroſo copiosè naſcitur.* Polygonatū vulg. Polygonatū maius. Polygonatū anguſtifoliū.

Sed tria alia genera in Pannonijs obſeruaui nulli adhuc quod ſciam deſcripta, tametſi tertium Matthiolo notum fuiſſe videatur, & primum fortè Cordus lib. 1. Hiſtoriæ de Plantis anguloſi Polygonati nomine inſigniat.

PRIMVM *habet pedalem caulem ſtriatum, firmum, non admodum inflexum, ſed ferè rectum: folia vulgari ſimilia, eodémque modo, hoc eſt, alternatim circa caulem diſpoſita, ſed breuioribus quàm in illo ſpatijs, minora tamen, firmiora, neque mollia, ſapore ingrato: ex ſingulis alarum ſinubus duo aut tres flores exeunt, breuibus, magnáque ex parte ſingularibus in-* I. Polygonatum flore odoro.




hærentes pediculis, vulgari cum forma tum colore similes, verùm maiores, & odore (qui in vulgari nullus est) oxyacanthæ: baccæ deinde virides initio & sphæricæ, quemadmodum in vulgari, maiores tamen, & postmodum nigricantes, semen continentes osseum, durum: radix oblonga, & obliqua, geniculata, initio & recenter eruta, candida, deinde pallescens, nonnunquam etiam purpurascens, præsertim circa germina, vulgari fere par, tametsi etiam aliquantulum tenuior inueniatur, interdum etiam amplior, vbi solum pinguius & bene subactum nacta est.

Frequens est in montibus illis siluosis vulgo Leytenberg nuncupatis supra Manderstorf, Bruderstorf, & in plerisque aliis Pannoniæ montibus vltra Danubium, inter saxa, atque etiam in montibus interamnis Pannoniæ vltra Drauum, præsertim ad arcē Grebén. Floret Maio: baccæ maturescunt Augusto, interdum etiam multa hieme è caule pendentes conspiciuntur.

ALTERVM *superiori similem habet caulem, eiusdémque altitudinis, vel etiam maioris, non adeò rectum tamen, sed magis inflexum: folia duplo maiora quàm in reliquis, ad foliorum Ellebori albi amplitudinem interdū accedentia, dura, neruosa, læuia, dilutiore virore prædita, neque subtus incana vt superiora, sapore primùm nonnihil acido, deinde paulum acri: flores alteri similes, inodoros tamen, neque ex singularibus pediculis singulos, sed binos aut plures ex oblongiore pediculo dependentes vt in vulgari, cui etiam fructum similem habet: radicem albam, oblongam, obliquam, geniculatam, superiori magnitudine parem.* II. Polygonatum πλατύφυλλον.

Crescit hoc copiose locis vmbrosis inter Brunnam & Weyspach, aliisque vicinis montanis siluis. Floret cum superiore.



TERTII *caulis pedalis eſt, nonnunquam cubita-* III.
lis & amplior, rotundus, inflexus, Polygonati vulgaris Polygonatũ
modo, in vnum aut alterum, interdum etiam tertium ramoſ. lanſo-
ramum diuiſus: hunc folia alternatim Perfoliatæ fere lium.
modo amplectuntur, ſed Polygonati foliis ſimilia, mollio-
ra tamen, ſubtus aliquantulum incana, ſapore primùm
dulci, deinde ſaliuam ciente, & nonnihil acri: ad ſingu-
lorum foliorum exortum, ſub ipſis foliis, atque adeo ad
illorum latus, eadem ſerie exeũt ſingulares pediculi, ob-
longi, exiles & incurui, ex quibus flores propendent ſin-
gulares, concaui, Lily conuallium floribus perſimiles, ſed
magis hiantes, atque in ſex lacinias extrorſum inflexas
ſecti, interioreque parte nigricantibus quibuſdam ma-
culis aſperſi, odore propemodũ oxyacanthæ: fructus Po-
lygonati minoris ſiue anguſtifolij fructui ſimilis, trigonus
initio & viridis, per maturitatem verò oblongior &
rubeſcens, paruaque corna interdum æquans, in quo
multa grana albicantia congeſta ſunt: radix à Polygo-
nati vulgaris radice differt: nam neque craſſa eſt, neq.
adeo candida, ſed exilis & nodoſa, ſiue in frequentes no-
dos extuberans, plurimis craſſis fibris conſtat, vti Tha-
lictri quædam genera, quemadmodum pictor ſcitè ad-
modum expreſſerat, ſed ſculptor ſua negligentia & in-
ſcitia corrupit.

Florentem vnam aut alteram plantam in montis
Wechſel vmbroſis ſiluis, deinde in Durrenſtein inter
ſaxa & frutices menſe Iunio & Iulio anni 1576. inue-
ni, quæ in hortum tranſlatæ, fructum ad maturitatem
perduxerunt: frequentiorem poſtea, magnamque &
multis alis brachiatam in ſcrobibus quibuſdã vmbro-
ſis inter filicem in deſcenſu Durrenſtein, paulo ſupra
mapalia a montanis paſtoribus habitata æſtiuis menſi-
bus, florentem Auguſto 1578. Rami verò cum fructu

nobis ex

268 Polygonatum IIII. anguſtifolium ramoſum.



nobis ex Silesia vsque, vbi frequentem nasci audio, prius communicati sunt à D. Friderico Scibizio, deinde etiam aliquot radices ex eadem transmissæ. Persistit in hortis loco vmbroso reposita, floresque & semina suo tempore profert.

His *addo quartum quoddam genus elegantissimum, mihi à doctissimo viro Achille Cromero Silesio, communicatum anno 1580.* IIII. Polygonatũ ramos. angustifolium.

Habet id cubitalē caulem, angulosum, in multas alas tenues diuisum, quæ æqualiter ex singulis angulis exoriuntur, quaternæ interdũ, nonnunquam & quinæ pro angulorum numero: ramuli tenues oblongis & angustis folijs obsiti sunt, binis, ternis, aut quaternis æqualiter in circuitu prodeuntibus: in quibus flores angustifolij Polygonati floribus similes, paulo tamen minores, breui pediculo dependentes inter foliorũ alas sparsi sunt: quibus succedit fructus rotundus, ruber, pulpa plenus, & aliquot ossea grana continens: radix vulgari similis est, cãdida, nodosa, propagines ad latera fundens, & candicantibus fibris obsita.

Iisdem locis quibus saxatilē rubum eruisse asserebat.

Nvllvm *nomen vulgare istarũ plantarũ nouimus, nisi quod duæ priores eodem cum vulgari Polygonato nomine à rhizotomis mulierculis nuncupantur,* Weysswurtz *videlicet, Vngaris cũ vulgari* Salomon pocheti, *i. Salomonis sigillum dicitur. Tertia illis, atq. etiam montanis pastoribus & venatoribus planè ignota est. Eã videtur adũbrare Matthiolus Lauri alexãdrinæ nomine: verũ neq. effigies satis sciè expressa est, neq. eius historiã ipse tradit. Siue verò eam adumbret quam nos hîc damus, siue aliam, nulla ratione ad Laurũ alexandrinam referri potest, quam Dioscorides non inter folia fructum ferre dicit, sed ἐν μέσοις, in medijs folijs:* Laurus alexãdrina Matthioli.

Theophrastus

Theophrastus autem expressius ἐπιφυλλόκαρπον *appellat lib. 1. cap. 16. & lib. 3 cap. 17. Historiæ plant. vbi eam Oxymyrsines siue Rusci modo fructum ferre ait,* ἐπιφυλλόκαρπόν ἐστιν ὥσπερ καὶ ἡ κεντρομυρσίνη: ἀμφότεραι γὰρ τὸν καρπὸν ἔχουσιν ἐκ τῆς ῥάχεως τοῦ φύλλου. *Commodius itaque meo iudicio Polygonati generibus adscribetur, quàm Lauro alexandrinæ. Nisi quis forte ad Idæam radicem Dioscoridis referendam putet: sed cùm mutila admodum sit eius descriptio, difficile esse existimo aliquid certi posse statuere. Quarta sine dubio Angustifolij genus est, & Polygonatum ramosum angustifolium cognominari poterit, vt præcedens Polygonatum ramosum latifol.*

Bislingua.

VERAM *porro Laurum alexandrinam nunquam me vidisse ingenuè fateor, si ab ea quæ vulgo Bislingua dicitur, & Hippoglossum Dioscoridis esse censetur, diuersa sit. Theophrastus enim nusquam Hippoglossi meminit, sed Lauri duntaxat alexandrinæ, locis suprà citatis, & lib. 1. cap. 16. expressè eam recenset inter* καρποφόρα μεταξὺ περιειληφότα τὸν καρπὸν, *id est, fructiferas quæ habent fructum quasi circumuolutum & interceptum.*

Veterum Laurus alexandrina.

Præterea Plinius lib. 15. cap. vltimo, Laurum alexandrinam ab aliquibus Idæam vocari tradit, ab aliis Hippoglottion, & Carpophyllon, atque inter folia semen rubrum ferre. Ipse vero & Dioscorides eam in montib. nasci tradunt, Hippoglossi verò natales subticuerunt. Certè Bislingua in montibus nascitur, & abundanter quidem in monte D. no Georgio oppidulo imminenti in transdanubiana Pannonia, tribus ab vrbe Posoniensi miliaribus inuenitur: vnde Rhizotomi plurimam huc adferunt, et Viennensibus mulierculis vendunt: magno

etenim

etenim illis est in vsu, et praecipuè ad vuae procidentiam. Non minus deinde copiosam anno 1579. in montibus non procul à Zollonockobseruaui. Vulgo auffenblat *appellant.*

De Pseudodamasonio.

CAP. XXXII.

Cavlis *huic singularis, pedali aut maiore amplitudine, firmus, aliquantulum lanuginosus, quem quaterna aut quina ambiunt folia, venosa, Ellebori albi foliis similia, alternatim vt in illo disposita, subhirsuta nonnihil, & subamaro sapore: ex folij quod extremo cauli insidet, quodque reliquis minus est, nonnunquam & ex proximi sinu prodit flos vnicus, oblongo pediculo haerens, quatuor foliis crucis forma decussatis, oblongis et mucronatis, colore ex purpura nigricante cõstans, quorum superius & inferius maiuscula sunt, lateralia verò admodum angusta, & interiore parte lanuginosa, ex quorum vmbilico membraneus quidam & tumens, intúsque vacuus vtriculus protuberat oui columbini magnitudine, superiore parte secundum vmbilicũ nonnihil apertus & hians, instar calceoli ore patulo, colore nunc luteo, nunc pallido, intus nonnihil villosus & inferne lineis quibusdam purpureis secundum longitudinem distinctus: hiatum illum tegit duplex ansula, quarum superior alba est, & tenerior, purpureis maculis conspersa, inferior verò densa, colore herbido, & veluti cancrorum ocellos in lateribus habẽs: ipse flos odoris expers non est omnino: siliqua illi succedens oblongior est, minimi digiti crassitie, triangula, semen tenue & veluti puluereum continens quemadmodum orchides, et quae vulgo Elleborine nuncupatur, ad cuius genus potius referenda videtur: radix nigra est, non admodum crassa,* Pseudodamasonij historia.

in longum



in longum & obliquum summa tellure sese sparges, multisque fibris donata, atque superiorum annorum caulis vestigia impressa habens, vt in pseudocorallio fere conspicimus, extremitatibus semper in nouum germen extuberantibus: amariuscula est si degustetur.

Inuenitur nonnullis siluosis locis Leyteberg supra Bruterstorf: reperi et apud Closterneuburg prato quodam sub fruticibus coryli, & in siluis Entzestorf vicinis: sed omnium abundātissimè in Pannonica quadā silua, magno miliari ab arce munitissima Nemethwywar Ill. Dn. Balthasaris de Batthyan. In Hercinia item silua, plurimisque aliis Germaniæ locis copiosè nasci ab amicis intellexi. Floret Maio.

Sunt qui dicant flore albo inueniri, quod sanè nondum mihi videre contigit, quemadmodum nec id quod in œnipontinis montibus obseruauit doctissimus & diligentissimus noster Matthias de Lobel, vtriculo purpureo.

Similis sanè cum Pannonico coloris florem ferre mihi retulerunt quod in Hercinia silua nascitur, & ab incolis Marien schuch *appellari. Nec etiam colore differebat, quem è postremis Pannoniæ limitibus Daciæ vicinis collectū ante paucos annos mihi ostendebat Ill. Dn. de Batthyan, cùm ex ea peregrinatione rediisset. Vngaris* Ezerethgyw fiu, *id est millebona herba dicitur.*

C. V. Gesnerus in epistolis frequentem in Heluetiis inueniri ait, illi verò luteum etiam florem tribuit, & ad Alismatis species refert. Cosmosandalos Pausaniæ fortè fuerit, inquit, nam & sandalij formam refert flos, & punctis ceu literis quibusdam notatur, etsi Pausanias Hyacinthum esse coniicit, sed huic cum sandalio nihil. Quidam vir doctus Lonchitin primam esse putat. **vnser frawen schuch** *appellant, hoc est calceolos Virginis, à forma floris.*

Iosias item Simlerus ad calcem Commentarij de Alpibus, illius etiam in hac verba meminit. Anckenballen *cubitum ferme æquat, folio Plantaginis aut Ellebori albi, terna aut quaterna per caulem folia habet, ex quibus erumpit vt in Perforata in summo vnus flos, raro duo, is luteus est, oblongus, luteum oui exprimens, concauus, quem ambiunt apices, seu folia potius ignita rutilantia: morionum habitus procul contuentibus refert, aut dæmonum laruas, cadente flore semen in siliqua continetur. Damasonij aliqua species.*

Huius nullum vsum scio, aut apud aliquem Recentiorum legere memini.

De Elleborine recentiorvm.

CAP. XXXIII.

Elleborine vulgaris varij generis.

Svperiori *sine dubio congener est ea planta quæ à Recentiorum nonnullis Elleborine cognominatur a foliorum cum Ellebori albi foliis potius similitudine quàm ab effectu. Nam licet dissimiles flores habeat, vtpotè orchidum generibus viciniores: reliquis tamen notis satis inter se conueniunt. Eius autem aliquot sunt genera cum foliorum amplitudine tum floris colore variantia.*

1. Primvm, *caulem habet pedalē, aut ampliorem, firmum, quem per interualla inuoluunt inordinata folia sena aut septena, neruosa, Hellebori albi foliis similia, sed angustiora, gustu ingrato & amaro: flores in summo caule denos aut duodenos, spicatim congestos, albos, quinis foliis constantes, & in medio veluti paruam galeam complexos subluteo labro, non multum ab orchidis floribus distantes, &, vt illi, siliquæ angulosæ striatæ & contortæ inhærentes, inodoros: semen in siliquis minutum scobis instar: radices crassiusculas, fibrosas, & ex vno velut*

velut capite prodeuntes, & sparsas, colore subrufescẽte.

Prouenit in opacis Gallia, Germania, Leytano saltu, & plerisque aliis Austria & Vngaria locis, quinimo in Pannonia etiam interamni, inter Drauum & Sauum flumina.

Hoc genus pracocius est reliquis, & Maio mense plerumque florere solet.

ALTERVM *pari est magnitudine, foliis paulo latioribus, floribus minoribus, qui etiam quinq foliis constant, & galeolam cum labro prominente amplectuntur, colorisque sunt foris herbacei, interius nonnihil candicantis, odoris nullius, atque torosa & contorta siliqua inhærent: eius radix priori similis est.* II.

Inuenitur in quibusdam Pannonia & Austria siccioribus pratis: memini & in Noribergensi silua vrbi vicina ad latomias obseruare 1579.

TERTIO *generi minor est altitudo, similia interdum folia, nonnunquam multo latiora; flores aut omnino purpurascentes, aut propemodum carnei, secundo generi forma omnino similes: nec radix etiam differt.* III.

Crescit id in pratis montanis, & in siluis caduis huius prouincia.

QVARTVM *cubitali altitudine maius, amplis foliis, oblonga purpurascentium florum spica nascitur in multis Pannonia siluis, præsertim vero vbi Pseudodamasonium inueniri dixi.* IIII.

SED *& in eadem silua cum Pseudodamasonio, aliisque Zollonock vicinis Quintum genus cubitali caule eruere memini, tenui tamen, rotundo geniculato, quem in singulis geniculis alternatim ambiunt angusta folia, primi generis foliis non dissimilia: summus caulis desinit in spicam florum sex, octo, aut plurium interdum, qui quinis foliis elegantissimo dilutoque purpura colore præ-* V.



ditis constant, inter quæ latet veluti quædam galeola, muscarum probóscidi similis, labrum inferiore parte adnexum habens, æqualis ferè cum foliis longitudinis, candicans, intus striatum: sustinentur ij flores angulosa, contorta, atque nonnihil etiam hirsuta siliqua: radix illi fibrosa, albæ similis.

Florent omnia hæc, præter primum, genera Iunio, nonnunquam etiam Iulio.

CETERVM *Elleborus albus, tam qui albo flore, quàm qui ex rubro nigricante præditus est, frequẽs admodum nascitur in his regionibus. flore albo quidem in pratis vrbi vicinis, & qui ad Alpium radices siti sunt, tum etiam plerisque Vngariæ pratis: at ex purpura nigricante, in omnibus ferè cæduis siluis editiore loco aut in collibus sitis. Vtrumque Vngari* feyer hunyor *appellant.* Elleborus albus duorum generum.

DE GENTIANA.

CAP. XXXIIII.

MVLTA *Gentianæ genera alunt Pannonici et Norici montes: in his tamen magnam illam flore luteo Veteribus descriptam, mihi nondum obseruare licuit. Ex eorum autem numero quæ in Pannoniæ montibus & Noricis alpibus (Noricas Veterum Geographorum more appello, eas alpes quæ Pãnoniam & Austriam inferiorem attingunt) proueniunt, quædã sunt aliis etiam prouinciis communia, quædam verò his peculiaria, meo iudicio, quandoquidem à Recentioribus minimè descripta inueniam.*

HARVM *autem Alpium maxima, à vulgari maiore nequaquam differt forma: etenim ampla habet folia, Ellebori albi foliis haud multum absimilia, sed tene-* I. Gentiana maior flore purp.

Gentiana maior flore purpureo I.



riora, & saturatiore virore splendentia: caules digitali, aut pollicari interdum crassitudine, rotundos, cubitales, nonnunquã bicubitales, geniculatos, quos ambiunt similia folia, aliquantulũ tamen angustiora ex aduerso semper sibi opposita: extremos caules ambiũt bina aut terna confertorum florum corona, qui non sunt lutei aut stellati, vt in vulgari maiore, sed purpurei, maiores, concaui, in senas aut plures lacinias obtusas per extremum secti, & punctis quibusdam purpureis, inferiore & interiore parte, qua candidiores & dilutiores sunt, distincti, odore nullo, totidem quot sunt laciniæ staminibus oblongum & bifidum capitulum internè ambientibus, in quo continetur copiosum semen, planum, & paleaceum, minus quàm in lutea illa maiore stellato flore, colore ruffescente: radix crassa, longa, foris plerumque lutea, intus alba, impensè amara, fibris digitalibus subinde prædita, singulis annis noua germina (quemadmodum maior lutea) proferens, & multos caules ex eadem radice producens, præsertim vbi adoleuit, sed qui alternis duntaxat annis vt plurimum floriferi esse soleant, interquiescente nimirum vno anno à partu matre.

Exit sponte in Pannonicarum Noricarumq. alpium iugis abundantissimè. Floret Augusto: semen Septembri maturescit, nouis niuibus in ea iuga cadere incipientibus.

Variat autem mirum in modum floris colore. Nam in Styriæ superioris alpibus, veluti in Tauro & Iudenberg, aliud eius genus inuenitur, nihil quidem à superiore aut forma, aut magnitudine differens: sed flores qui in alio sunt purpurei, in hoc omnino niuei conspiciuntur. 2. Gentiana maior flore albo.

Verùm neque hoc genus, neque illud purpureo flore cicurare vnquam potuimus, aut vlla diligentia & cul-

 tura ef-

tura efficere, vt in nostris permanere vellent, nedum flores proferre.

3. *In Silesia verò mõtibus eruit doctissimus vir Achilles Cromerus Nissensis similem planè magnitudine & forma, cuius flores paulo (vt ex sicca quam ad me misit planta deprehendere licet) minores, colorem habent pallidum, siue vt idem ad me scripsit, obsoletum luteum, quamplurimis nigris maculis intus & foris aspersum.*

Gentiana maior pallida punctis distincta.

Addebat, ab eo qui ipsum in montana illa loca deduxisset sibi relatum, in alio quodã monte prealto similem nec forma dispari reperiri quae caeruleo esset flore.

II. ALTERA *cubitalibus constat ramis, pluribus ab vna radice exeuntibus duris firmisque, in quibus multa folia, bina semper inter se opposita, mollia, quinq. neruis secundum longitudinẽ excurrentibus insignita, mucronata, ad Asclepiadis vulgo credita folia nonnihil accedentia, sed colore dilutius virẽte: à medio fere caule sursum versus ex alarum sinu, singulares ex aduerso siti exiliunt flores, interdum bini aut plures, oblongi, concaui, in quinque angulos acutos desinentes, & veluti sese complicantes, colore nunc purpureo siue caeruleo saturatiore, nunc dilutiore & veluti cinereo, quinque intus pallidis staminibus: siliqua subsequitur oblõga bicornis, quae per maturitatem dehiscens, semen ostendit planum, paleaceum, superiore minus, colore cinereo: radix digitali crassitudine, lutea, multas oblongas eiusdem coloris in latum spargit, singulis annis augescens, & noua germina proferens, gustu impense amaro. Fertilior haec est superiore, nec interquiescit vt illa, sed singulis annis (quando vetusta est) multos caules floribus onustos producit.*

Gentiana Asclepiadis folio.

Prouenit copiosè in vtraque Pannonia, Styria, & Austria inferiore ad montiũ radices, collibus vmbrosis,

nec vsquam



nec vsquam in summis & apertis iugis. Floret Augusto: semen vti in superiore maturescit mense Septembri.

Pertinax quidem hæc est, & fere mitiora loca respuit: interdum tamen cura et diligentia fit, vt in hortis comprehendat, & singulis annis repullulet, & floreat: attamen quasi natiuo aëre & pabulo priuata atque veluti compedibus vincta, lugere videtur, ac pristini vigoris & elegantiæ plurimum amittit.

Vtraq. hæc Gesnero nota fuisse videtur, à quo Tragus se accepisse fatetur. Maiorem in descriptione Montis fracti klepne Entian *vocat: alteram* grosse biter wurtz/ *hoc est, maiorem amaram radicem. Sclauonici rustici in transdanubiana Pannonia non procul Cassouia* Swieczka *appellant, quo vocabulo iidem cādelam exprimunt, nimirum quia eius radices flauæ, longæ & tenues, cereis candelis (quæ in globum aut spiras conuolui solent) similes sint. Eius autem radicis decoctum feliciter calculosis propinari, experimento se compertum habere affirmant: non minus quàm polygoni genus illud* Herniaria *Herniaria vulgo Herbariorum appellatum, quod exsiccatum & in puluerem tritum boum et equorum vulneribus atque vlceribus inspergere solent ad vermes in iis natos abigendos & enecandos.*

Iosias Simlerus etiam grosse biter wurtz *vocari secundam Gentianam tradit, eáque pastores vti ad vbera vaccarum, si à muribus, araneis aut aliis venenatis bestiis lædantur, curanda.*

III. Gentiana cruciata. TERTIA *est quæ vulgo Cruciata vocatur: à Germanis* kreutz wurtz *&* modelger*: Vngaris verò* Zent Lazlo kiraly fiue, *id est, S. Ladislai Regis herba. Quæ cùm à Trago atque aliis sit descripta, non est necesse eius historiam hic repetere.*

EIVS *tamen duas differentias obseruasse videor: alteram*

Gentiana III.



alteram ramis humi procumbentibus & minorem: alteram firmis & erectis caulibus, eámque maiorem. flores item alterius magis carulei spectantur, & illarum altera radicem in foramina sectam minimè habet. Nascuntur verò ea per vniuersam Pannoniam cum in collibus montibúsque apertis & gramineis, tum pratis siccioribus, & secundum itinera locis herbosis.

IIII. ALTITVDINEM *Secunda nonnunquam hac Quarta aquat, caulémque habet vt illa satis flexilem, tenuem, geniculatum: folia in singulis nodis inter se opposita oblonga & angusta proferentem, trineruia vt sunt omnium Gentianarum: circa summum caulem aliquot ex foliorum alis prodeunt ramuli, elegantes & caruleos atque in quinque lacinias extrema parte diuisos flores & aliorum modo concauos: radix crassiuscula est, & circa summum caput in aliquot lentásque & flauescentes fibras diuiditur secundo generi fere similes, sed minores.*

Gentiana angustifolia.

Crescit in pratis ad radices montium sitis non procul à Staremberg arce Generosi Domini de Heysenstain, apud Badenses thermas, & in vliginosorum pratorum marginibus post arcem Eberstorf Mag. Domini Hieronymi Beck.

Floret Augusto.

2. *Eius proculdubio genus est, qua à Clariss. Dodonao Viola Calathiana aliquando vocata est, quòd Augusto & Autumno floreat, Cordus Pneumonantem appellat: humentibus ericetis secundo ab vrbe Brugensi miliari, inter Maldeghem & Malam, frequentissima, vbi eam aliquoties cum Pseudoasphodelo luteo folio Xyphij, Roréque Solis duorum generum eruere memini: & niueo flore variantem aliquando conspexi.*

Gentianella verna maior.

V. V T *Postrema altera species Autumno duntaxat florere*



florere conspicitur: ita subsequens verno tempore flores suos proferre solet. Sena verò aut octona habet folia supra terram expansa, bina semper ex aduerso sese spectantia, viridia, læuia, densa, dura & mucronata, Myrti latissimæ foliis fere æqualia, gustu impensè amaro: ex horum medio cauliculus exilit pollicem trãsuersum longus, interdum paulò amplior, angulosus, quaternis plerumque foliolis multo minoribus, binis tamen alternatim semper cõtrario situ nascentibus obsitus, vnde calyculus emergit vnicum florem cõtinens, magnum, pro stirpis proportione, calathi aut campanulæ modo concauum, oblongum, in quinque angulos desinentem, non obtusos quemadmodum pictura refert (quam optimè à pictore expressam sculptor corrupit) sed mucronatos cum duabus vtrimque, vbi laciniæ findi incipiunt, appendiculis, elegantissimo & viuidissimo cæruleæ purpureæ colore, pallido pistillo intus prominente, qui quinque veluti costis ex infima ipsius floris interiore sede prodeuntibus fulcitur: florem consequitur oblongum & acuminatum capitulum, quod sese in duas æquales partes aperiens, semen ostendit exiguum, striatum, terrei coloris: radix non admodum crassa, flauescentibus siue pallidis aliquot fibris donata, & propagines ex lateribus producens.

Crescit in Sneberg, & Etscher abundantissimè, aliisque alpibus continua serie sese producentibus perpetua quasi niue obsitis; vbi Iunio & Iulio, hoc est primo istic vere floret, sub Iulij verò finem & Augusto semen maturitatem consequitur. At in mitioribus locis, in quibus rarius inuenitur, & iñ hortos translata, Aprili & Maio floret.

Illius meminit Gesnerus in descriptione Montis fracti, et Bitter wurtz *appellat: meminit & Tragus capite de Gentia-*

de Gentiana, eiusque quarta species est: describit illam etiam noster Lobelius in aduersariis, flos tamen in icone malè expressus est, & lychnidis coronariæ florẽ magis repræsentare videtur: sed in Flandrica editione quam anno 1581. in lucem edidit, aliquantum felicius expressit.

SEXTA *etiam verna illi omnino similis est, quam in Hispanicarũ stirpium historia descripsi, & istic etiam annotaui: ideo illi Gentianellæ vernæ minoris nomen indidi, ad eius quam modò delineaui differentiam, quam Gentianellam vernam maiorem nuncupaui.* VI. Gentianella verna minor.

Gentiana VI.



Abundo

Abunde prouenit in celsissimis Sneberg, Snealben, Etscher, & Durrestein iugis herbido solo, vbi sub Iunij finem floret: at in mitioribus vicinis collibus, & siccioribus pratis Maio, & semen sub extremũ Iunium profert. Minus hæc hortum ferre potest quàm superior, & omnem culturam respuere videtur.

Hanc Iosias Simlerus in Commentario de Alpibus Himmelstergel *appellare videtur à colore, ni fallor, cælesti elegantissimo: nisi fortè vndecimam quæ postea describetur eo nomine intelligat, quæ cælesti etiam colore prædita est.*

CETERVM *omnes illæ viua & perenni radice sunt, hoc est, prolato flore & semine interire non solent: sed per multos annos durant, singulísque annis ex eadem radice noua germina & caules producunt. At quarum modò descriptionem dabimus, non sunt durabiles: verùm emarcido flore, dispersóque semel semine ingruente hieme planè solent interire, & ex deciduo semine renasci. Earum autem plures species obseruauimus, quas sigillatim & serie quadam disponemus, initium à maxima facientes.*

VII. CVBITALEM *habet Prima caulem, firmum, geniculatum, per quem secundum nodos sparsa sunt bina semper folia sibi inuicem opposita, trineruia, lata sede, & sine pediculo cauli inhærentia, et sensim in oblõgum mucronem desinentia: ab imo ferè caule ex foliorum alis enascuntur dodrantales & palmares ramuli, tenues, minoribus foliis septi, quinos, septenos aut plures flores inter folia proferentes, in quinque lacinias mucronatas diuisos, colore ex cæruleo purpurascente, exiguos pro plantæ magnitudine: his succedunt oblongæ & angustæ siliquæ tenui semine plenæ: radix singularis exigua paucissimis fibris prædita.*

Gentianæ fugaces siue annuæ.

Nascitur

Naſcitur in pratis herbidiſque locis ad montium radices ſitis: atque Iulio & Auguſto floret.

ALTERA *ſecundum radicem multa oblonga trineruia & in orbem diſpoſita habet folia, è quorum medio caulis excreſcit pedalis, quadrangulus, ab imo ad ſummũ in ſingulis internodiis binis ex aduerſo naſcentibus ramulis præditus, qui binis geniculis intercepti, ternos aut plures ſinguli ferunt flores calathi aut campanulæ forma, quarto generi fere pares, in quinque etiam lacinias diuiſos, ſed colore purpureo dilutiore, ſingulis laciniis infima parte interius purpurea lanugine pubeſcentibus: iis ſuccedunt oblonga cornicula, exili & rotundo ſemine prædita: folia quæ caulem & ramulos in ſingulis geniculis veſtiunt, minora et anguſtiora ſunt, magiſque mucronata: radix exilis eſt, ex albido palleſcens, rariſque fibris donata.* VIII.

Prouenit iiſdem locis quibus Septima; atque eodem etiam tempore floret.

PARI *ferme Tertia excreſcit altitudine, nec minus frequentibus ramis eſt prædita: caulis etiam quadrangulus, terni aut plures in ſingulis ramis flores ſuperiori ſimiles, ſed breuiores amplioréſque, vireſcente primùm colore, deinde ſubcæruleo: quibus oblonga cornicula ſemine plena vt in ſuperiore ſuccedunt: folia in ſingulis nodis multo latiora, mucronata, trineruia, ex aduerſo inter ſe oppoſita, colore viridi obſcuro & nigricante: radix ſuperiori ſimilis.* IX.

Obuia eſt hæc in omnibus pratis in ſublimi ſitis, & montium iugis, florétque ſerius nempe Auguſto.

QVARTA *dodrantem non ſuperat, cauliculis & ramulis exilibus, minoribúſque foliis Centaurio minori fere paribus: flores minores habet, licet forma ſuperioribus ſimiles, qui modò dilutè purpuraſcentes, modò cærulei colo-* X.

rulei coloris elegantissimi sunt: cornicula exili & subflauo semine scatent: radix licet exilior, à duabus superioribus minimum differt.

Crescit iisdem quibus altera locis: memini & in Britannia obseruare non procul Douera mense Septembri partim florentem colore dilutiore, partim semine prægnantem.

Ei similis videtur quam Lobelius Gentianæ minimæ describit.

XI. SED *Quinta longè exilior, vix trium vnciarum altitudinem æquans, licet multis alis prædita: foliola Centaury minoris in singulis geniculis, aliarum more sita habet: flores minori Gentianellæ vernæ persimiles, cæruleo colore elegantissimo præditos: cornicula superiori similia, exili admodum & nigro semine plena: radicem, quàm in superioribus minore, sed frequentioribus fibris donatã. Floret in Etsceri iugis etiam Augusti initio.*

Ea forsitan est, quam Iosias Simlerus, vt dixi, Commentario de Alpibus Himmelstengel *appellat, quemadmodum octauam* Kelberschis.


Omnes impensè amaræ sunt.

XII. Gẽtiana punctata Pennei. MINIME *verò prætermittẽdum fuit elegantissimum Gentianæ genus, quod ego quidem in hisce iugis minimè obseruaui, sed cuius iconem & descriptionẽ cum Londini essem anno 1581. C.V. Thomas Pennæus Londinensis medicus, pro nostra amicitia liberaliter communicauit, & à punctorum, quibus flores obsiti sunt, frequentia punctatam Gentianam cognominauit.*

Caulem habet geniculatum, cubitalem, iuxta radicem parum rubentem, folia Gentianæ similia, ex interuallis bina, sed multo minora, venosa, quorum inferiora maiora sunt & longiora, pediculos rubẽtes habẽtia, superiora verò cauli sine pediculis adhærent, eumque fere

amplectun-

Gentiana XI.





amplectuntur. A medio fere caulis, è foliorum cauis oriuntur flores pentaphylli, striati, ab vtraque parte tres, rarius duo, nisi iuxta summum caulem, ex quinq. foliolis constantes subcœruleis, punctísque nigricantibus elegantissimè notatis (vnde nomen) quinque apicibus in extremo luteis præditi: floribus succedunt vascula cum seminibus Gentianæ similia, sed minora: radix parua, valde fibrata, ex fusco lutea.

Prouenit copiose in monte Bockemuto Suitensium, & floret Augusto. Gustu amaro est, cum acrimonia quadam subtili.

ANNVIS *ego subieci, quod ex radice coniecturam faciam (quantum quidem ex pictura deprehendere licet) semine maturo planè perire, & eo deciduo renasci: alioqui quinto loco reponenda fuisset, & forsitan etiam quarto.*

DE CLEMATIDE cærulea pannonica.

CAP. XXXV.

GENTIANIS *hoc elegans Clematidis genus subiicio, propter foliorum cum secundo genere cognationem.*

CVBITALIBVS *porro assurgit sarmentis quaternis aut quinis, rectis, duris, lignosis, fuluescentibus, quadrãgulis, striatis: multa illi folia, Asclepiadis foliis propemodum respondentia, lata, venosa, non adeò dura, gustu feruido quemadmodum Flammula Matthioli, bina semper inter se opposita, quæ initio sese mutuo amplectuntur, vt folliculi aut tumentis vesiculæ formam exprimant, deinde expanduntur: extremis sarmentis & ramulis lateralibus singuli propendent flores magni, quatuor foliis crucis in formam decussatis constantes, deorsum spectãtes Clematidis alterius purpureæ florum modo, mucronibus tamen aliquantulũ exterius reflexis,* Clematis al'tera pannonica flore cæruleo.





eleganti cæruleo colore, foris saturatiore, intus dilutiore nonnihil odorati, meditullium occupantibus multis staminibus villosis ex luteo purpurascentibus, quibus maturis succedit semen planum, in capitula rotunda et veluti pillulas congestum, longa, villosa, reflexáque cauda exornatum, illius Clematidis, siue vitis siluestris, quam Galli Viornam vocant, glomerato fructui similes, nulla tamen præditum acrimonia: radix satis crassa, sarmentitia, multas obliquas & fuluescentes fibras spargens, quemadmodum Clematis flore purpureo. Rami singulis annis ad radicem vsque marcescunt, & ineunte vere nouelli & frequentiores ex ipsa repullulant.

Inuenitur sponte nascens in pratis circa Stampfen duobus vltra Posonium miliaribus, & aliis pratis ad Danubij ripas sitis supra Posonium, medio quasi itinere inter eam vrbem & Tuben. Floret Maio & Iunio: semen maturum est Augusto.

Illius semen, cùm primùm Viennam appuli, mihi à C. V. D. Aicholzio Clymeni nomine communicatum fuit: eodem nomine, cùm stirpem nondum vidissem, in Belgicam ad amicos misi, vnde prognatæ plantæ simile nomen apud eos retinuerũt, tametsi sedulò eos paulo pòst monuerim Clymenum non esse. Nam cùm subsequentis anni videlicet 1574. mense Maio plantam florentem quo dixi loco deprehendissem, Clymenum minimè esse, sed ad Clematidis genera omnino referendam esse, facilè animaduerti.

Flammula Matthioli.

CETERVM *Clematis illa siue Flammula Matthioli, cuius modò meminimus, adeò frequens est per Austriam & Pannoniam, vt nullæ sint siluæ, præsertim circa ripas fluminum in Danubium delabentium, quæ tumescẽtibus fluminib. inundãtur, quæ ea nõ abundent.*

Duorum



1. *Duorũ verò generum esse deprehenditur. Nam Altera sarmenta habet rubescentia, quemadmodũ et foliorũ neruos & pediculos, ea maturius floret & odoratior*
2. *est. Alterius autem sarmenta cum pediculis virescunt florémque serius producunt. Humanam verò interdum altitudinem superant, & singulis annis quemadmodum in superiore, ad radicem vsque marcescunt, resurgentibus nouo vere aliis frequentioribus.*

De Lino silvestri.

Cap. XXXVI.

Miram *etiam in Lino siluestri conspici varietatem, satis ex mea Hispanicarum stirpium historia patet: præter ea tamen quæ istic descripta sunt, quæúe alij tradiderunt genera, in Austria & Pannoniis nonnulla obseruaui, quæ reliquis rei herbariæ Scriptoribus minimè nota fuisse existimo.*

1. Primvm *ex eadem radice, quæ crassiuscula est & candicat, vnicum, interdum plures profert caules, nunc pedali, nonnunquã etiam maiore altitudine, crassos, firmos, hirsutos, superiore parte in plures ramulos diuisos: folia quæ eos ambiũt reliquis generibus maiora, venosa, hirsuta, digiti minimi latitudine, Lini siluestris primi inter Hispanicas stirpes descripti, foliis (vti & tota planta) admodum similia, gustu gummoso, deinde amaricante: ramuli ab infimo ad summum floribus quinque foliis constantibus onusti omnium maximis, Maluæ vulgaris fere æmulis, colore cæruleo nunc vegetiore, nunc dilutiore, cum quinque etiam interius apicibus & totidem staminulis: quibus succedunt capitula, dura, acuminata, quinque foliolis siue apophysibus tecta & quasi inuoluta, quæ maturitate dehiscunt, seménque continent lino satiuo simile, latum, nigricans, splendens:*

Linum fl. latifol. flo. cærul.

radix



radix perennis est & singulis annis repullulat, cauliculosq; etiam ante hiemem profert, tenellos foliis multa lanugine hirsutis onustos.

Frequens est multis superioris Pannoniæ & inferioris Austriæ locis editioribus & siccioribus, gramineis tamen, vti apud Posonium, Petronellã, Veterum Carnuntum creditam, Altenburgum Danubio vicinum, & non procul silua qua ex Leytestorf ad Entzestorf iter est, tum etiam supra Lachn pagum cum tribus aliys generibus, & supra Manderstorf. Floret Iunio & Iulio: semen maturum est Augusto.

II. Linum fil. latifol. flore luteo.

ALTERVM *multos ex vna radice fert caules superiori fere similes, plerumque tamen breuiores, Hyperico non multum absimiles, aliquantulum rubentes, firmos, foliys maiusculis, latiusculis & crassiusculis, priori fere paribus septos, minimè tamen hirsutis, sed durioribus, sapore perquam amaro: flores in summis caulibus copiosi, magni, quinque etiam foliys constantes, colore luteo pereleganti, quinq; staminibus è medio prorumpentibus, & totidẽ gracilioribus breuioribusq; villis: semen in capitulis compressioribus, reliquis paulo minus, nigricans quidem, sed non splendens quemadmodum illorum: radix satis crassa, contorta, albicans, aliquot fibris donata, singulis annis repullulans, nouosq; caules producens.*

Exit abundanter in monte Badensibus thermis imminenti locis gramineis secundum sepes, & plerisq; aliys locis in serie illa montium ad Danubium vsque excurrente: item ad siluulam Lachn cum reliquis generibus. Floret & semen profert cum superiore.

III. Linum fil. angustifol. flo. cærul.

TERTIO *complures sunt cauliculi teretes, firmique, pedali longitudine, virides, frequentibus foliolis Lini satiui similibus, ex viridi quasi cæruleis onusti, extrema parte in aliquot ramulos diuisi, quibus insident*

flores





flores intensè cærulei, è quinque foliolis conflati, satiui lini floribus simillimi, quinque in medio staminula, totidemq; apices separatos continentes: semen in capitulis crassioribus, rotundis, lino satiuo similibus, nigrum, oblongum, planum, satiuo fere par: radix candicans est, aliquantulum fibrosa, & perennis.

Variis circa Viennam locis sponte nascitur, præsertim in gramineis decliuibus, & iuxta vias.

Floret Maio & Iunio: semen verò maturatur Iulio. Amariusculo est sapore, deinde suaui acrimonia prædito.

DODRANTALES, *nonnunquam etiam pedales habet Quartũ genus cauliculos, graciles, firmos, erectos: folia lini satiui, angustiora, dura mucronata, virentia, amaricãtia: flores in summis cauliculis multos, magnos, quinq. foliis albis præditos, circa vmbilicũ quinq. purpureis lineis distinctos, totidem staminibus, & quinq. separatis apicibus ex medio vmbilico prodeuntibus, odoratos, semine in vasculis rotundis plano, nigricante, splendente, satiuo lino simili: radicem candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennẽ, & singulis annis nouos cauliculos proferentem.* IIII. Linum sil. angustif. flo. albo.

Copiose nascitur toto Viennensi agro, et plerisq; aliis cum Austriæ tum Pannoniæ editioribus locis, & secundum publicas vias, atque apud Lachn cũ superioribus generibus.

Floret Iunio: semen perficit Iulio & Augusto.

Inuenitur in Austriacis Alpibus, præsertim verò in Sneberg, aliud genus huic omnino simile, cum cauliculorum & foliorum gracilitate & tenuitate, tum florum forma, atque etiam radice: in hoc verò à superiore differt, quòd eius flores minimè sint niuei, sed colore cæruleo in candidũ languescente, & veluti cinereo: capitula etiam quæ floribus succedunt longè ampliora, nec quàm in satiuo minora. 2. Linum sil. angustif. flo. cinereo.

Flore-



Florebat verò istic sub finem Iunij, atque semen sub Iulij finem & Augusto maturescit.

Eius etiam sine dubio genus est, secunda planta in Hispanicarum stirpium historia Lini siluestris nomine mihi descripta: minor tamen est hac, minoresq; fert flores, nec eos niueos, sed ex diluta purpura candicantes & quasi carneos. 3.

Omnium porrò non modò semina Ill^{ri} viro D. Ioanni Brancioni reliquisq; in Belgica amicis anno 1574. misi: sed ad ipsum siccas etiam plantas cum aliis quibusdam elegantibus & suis floribus onustis perferendas curaui, vt illarum formam statim videre posset, neque donec è semine misso nascerentur, expectare cogeretur: incertus est enim plurimarum stirpium è satione prouentus, & ipse admodum erat valetudinarius. Ex illis quasdam icones imitatas arbitror, non è plãtis ex Narbonensi Gallia petitis.

V. Chamælinū.

EXILI, *rotundo, dodrantaliq; aut paulo maiore assurgit Quintum cauliculo, quem aduerso situ, quemadmodum in Hyperico bina semper amplectuntur foliola, Lini satiui foliis non minora fere: supremus cauliculus in aliquot ramulos diuiditur, qui in oblongis pediculis flosculos proferunt perpusillos quinque foliolis albis cõstantes, luteis intus staminulis, quibus exigua succedunt capitula, lini capitulis non absimilia, nisi minora essent, in quibus semen: radix tenuis aliquot exilibus fibris donata est, sed an perennis & rediuiua sit ignorare me fateor.*

Prouenit in herbosis collibus & montanis Austriæ & Pannoniæ: floretq; Iunio & Iulio.

Similem aliquando ad nos Machliniam è Tornacensi vrbe Ioannem Moutonum doctissimum & diligentissimum Pharmacopœum mittere memini.

Linum ſilueſtre v.



PRIORA duo genera Lini silvestris latifolij Pannonici nomine appellare licebit: posteriora duo mihi erunt Linum silvestre pannonicum angustifolium siue tenuifolium: atque ea denuo ex florum colore suas differentias accipere poterunt. Quintum Chamalinū pannonicum nuncupari poterit.

DE LINARIA PANNONICA.

CAP. XXXVII.


DVO, præter vulgo notam & omnibus fere prouinciis familiarem, Linariæ genera in Pannoniæ montanis, & vicinis vrbi Viennensi montibus crescunt, quæ nusquam alibi videre memini.

BICVBITALI interdū excrescit Primum magnitudine, rectum ferens caulem, læuem, viridem, multis foliis satiuo lino similibus circumseptum, qui superiore parte in multos tenues breuesq; ramulos diuisus est, ferentes raros flores, Linariæ quidem vulgaris floribus respondentes, sed minores & pallidiores, rictu nonnihil hirsuto & aureo, semen obseruare nō licuit: radix oblonga, candicans, multis tenuibus & maiusculis fibris in latera expansis firmata, perennis, & summo capite singulis annis nouos caules proferēs, at non ex lateralibus fibris vt vulgaris subinde germinans. Tota amariuscula est. I. Linaria pannonica maior.

Crescit in montium decliuibus secundum publicas vias; & vbi nullum gramen est: supra Posonium ad Danubium, & Gumpostkirchen, atque in Leitenberg. Floret Iunio & Iulio.

RAMVLIS est dodrantalibus & humi fusis Altera, quos ambiunt folia vulgaris Linariæ quodammodo æmula, minora tamē & pinguia seu crassa, colore ex herbaceo candicante, & cæsio, non temerè per ramulos sparsa, sed ordine quodam & serie aut terna, aut quaterna II. Linaria alpina pumila.





eos amplectentia: flores vulgari sunt similes, sed colore elegantissimo praediti, ex violaceo quodammodo purpurascentes, labro inferiore, vbi hiat aut rictu diducto aperitur, planè aureo, sapore amaro: capitula deinde succedunt crassiuscula, quæ maturitate dehiscentia duas cellulas ostendunt semine plano, compresso, nigro plenas: radix tenuis, alba, multos ex vno capite ramulos proferens, atque etiam summa tellure serpens.

Inueni in præcipitio Suealben, qua ad monasterium Neuberg descensus est, loco salebroso florentem extremo Iunio, quæ deinde in horto reposita, loco vmbroso & tenui benéque subacto solo, bonum semen eo adhuc anno protulit. Rara & elegans plantula est, nec vbique obuia.

Ex Gesneri tamen epistolis liquet non ignotam illi fuisse, sed in Helueticis atque Rheticis alpibus crescere.

VVLGARIS *etiam hîc copiosè noscitur, &* Unser frow har *mulierculis rhizotomis dicitur: Vngaris* vad len, *id est, Diuæ virginis linum, & siluestre linum. Aliarum nullum vulgare nomen intelligere potui.*

DE OSYRIDE AVSTRIACA.

CAP. XXXVIII.

Osyridis Aust. historia.

CVBITALIBVS *aut amplioribus interdum ex vna radice assurgit virgis gracilibus, duris, nigricantibus, lentis, obsequiosis, fractúque contumacibus: quas non quina aut sena (vt Dioscorides suæ tribuit) sed numerosa ambiunt foliola, oblonga, angusta, lino similia, dura & mucronata, atro virore nitentia, & amaro sapore: extremæ virgæ in multos tenues ramulos desinunt, quibus insidet singularia foliosa capitula, florem luteum, ex multis flosculis quinque radiolis decussatis stiloque in medio prominente constantibus compactum, amplectentia: deinde semen nigricans, oblongiusculum, quale ferè in Hiera-*



Hieraciorũ generibus, supernè villosum & papposum, quodq; leuissimo vento excutitur, eiusq; arbitrio fertur: radix dura est, lignosa, nigra, fibrisq; aliquot donata, singulis annis germinans, nouasq; virgas proferens.

Exit non procul à Phasianorum horto, editiore quodam & ficciore prato cum Lini siluestris generibus, & Cytiso primo, sed humilior: secundum uero sepes & frutices, altior & vberior. Inueni & multis Pannoniæ locis, atque etiam supra Drauum flumen. Floret Augusto: semen maturum est Septembri.

Linaria tertia Tragi.

VIENNENSES *Osyridem appellant. Sed an cum Dioscoridis Osyride conueniat, aliis diiudicandum relinquo. Tragus, apud quẽ in Latino exemplari perbellè depicta est, Linariã tertiã facit, atq;* Linkraut *à forma, &* grofs Keynblumen *à floribus nũcupat, & ad Dioscoridis Heliochrysum refert. Nõnulli Chrysocomẽ Dioscoridis, & Chrysitin Aristotelis esse arbitrantur.*

DE ANONYMO LINIFOLIO.

CAP. XXXIX.

LINI *foliorum similitudo facit, vt hanc Lino siluestri congeneribusq; plantis coniungam: tametsi quo nomine appellare debeam planè incertus sim. Malui igitur ἀνώνυμον relinquere, quàm eam nomine nõ satis apto donare: illius tamen descriptionẽ negligere nolui, quandoquidem à nemine adhuc obseruatam videam.*

Anonymi linifolij historia.

PEDALES *habet ramulos, duros, ex viridi pallescentes, & in his multa folia temerè sparsa, & nullo ordine disposita, dura, angusta, oblongiuscula, lino similia, gustu primum nonnihil acido, deinde amaricante, colore respondentia illi qui in ipsius cauliculis, aut in ruta montana elucet: in extremis cauliculis multi ramuli, siue pedicelli, qui flosculos sustinent albicantes,*

quinque



quinque foliolis stellatim decussatis constantes cum aliquot interioribus staminulis, qui tandem in singularia semina efformantur pentagona, duro putamine, medulla intus alba: radix candicans, multifida, perennis & viuax, annuatim nouos ramulos seu virgulas producens: nonnunquam etiam serpens quarundam Linariarum more.

Copiose nascitur editioribus herbosisque locis agri Viennensis: tum etiam herbosis collibus Posonio vicinis, in decliui Hamburgensis mõtis qua Altenburg spectat, aliisque praeterea plurimis cum Austriae tum Pannoniae montibus, tum etiam vltra Drauum in Pannonia interamni. Floret Maio. Memini & Madritiana silua, secundo ab vrbe Lutetia miliari, cum Lino siluestri Hyacinthóque autumnali minore colligere: sed multo exiliorem.

De Polygala vvlgari.

CAP. XL.

Polygala recẽtiorum. P O L Y G A L Æ *nomen apud plerosque Recentiorum obtinuit plantula quaedam vbiq. fere in siccioribus pratis obuia, foliis lini aut hyssopi vulgaris: quae nunc caeruleo flore conspicitur, nunc purpureo dilutiore, siue rubro, interdum etiam albo.* Amarella Gesneri. *Gesnerus in epistolis Amarellam ab amaritudine nuncupauit. Tragus Dioscoridis* πολύγαλον *et* γλαυκὰ *esse existimat.* πολύγαλον Diosc. *De ea cùm à Recentioribus, praesertim à Trago descripta sit, vulgóq. satis nota, nihil hîc agemus: sed de alio eius genere elegantissimo & maiore, quod in Austria & superiore Pannonia obseruaui: tametsi & vulgaris tribus florum coloribus discreta passim etiam in iisdem nascatur.*

Polygalae historia. D V R I V S C V L I S *est virgulis quinque aut sex interdum ex eadem radice prodeuntibus, pedalibus, gracilibus*



cilibus, lentis, & obsequiosis, folia nullo ordine disposita, angusta, floris Tinctorij, aut vulgaris Hyssopi angustifoly & minoris quod ab Hispanis ysopillo *vocatur, foliorũ æmula: flores conferti & spicatim nascẽtes summas virgulas occupant, fumiterræ floribus haud multum absimiles, longiores tamen, dilutioris purpurei coloris elegantissimi, siue dilutiore rubore pulcherrimo nitentes: his succedunt pendulæ siliquulæ planæ, Bursæ pastoris valgulis fere similes, quas membraneæ quædam veluti alæ integunt, semina continentes plerumque bina, nigricantia, hirsuta, oblongáque, quæ, aperientibus sese ad latera per maturitatem bursulis, decidũt: radix crassiuscula, breuis, dura, lignosa, viuax, aliquot fibris donata est: & tota planta amaricat.*

Frequens est admodum in Leytenberg supra Manderstorf, circa Medeling, totáque illa montium serie, quæ à Calemberg Danubio supra Viennam imminenti, ad Austriacas vsque alpes excurrit. Nusquam etiam nõ occurrit per Pannoniam; sed etiam in Interamni vltra Drauum crescit.

Floret Maio & Iunio. Aliquoties eam ob florum elegantiam & amœnitatem in hortos transtulimus, & cicurare voluimus: sed operam hactenus lusimus.

2. *Variat etiam quibusdam vmbrosis & humidioribus locis, flore cum albo, tum cæruleo, vti in minore vulgari: sed perinde assurgit atque modò descripta.*

DE CARYOPHYLLEIS,

CAP. XLI.

NON *carent altissimi montes præruptique scopuli suis etiam deliciis: sed diuersi generis flosculis elegantissimis odoratissimisque sæpissimè exornantur. Porro Caryophyllei vulgo Herbariorum vocati, ob miram colo-*

rum varietatem subeuntium ea iuga oculos maximè recreant. Eorum verò præter vulgo cognita, istic multa genera obseruaui.

PRIORI *dodrantales sunt cauliculi, teretes, geniculati: folia in singulis geniculis bina inter se opposita, oblonga, angusta, dura, colore quasi cæsio, mucronata: flos è calyculo rubente plerumque in singulis cauliculis vnicus (interdum bini) quinque foliis constans lente fimbriatis, colore in diluta purpura rubente, circa vmbilicum hirsutus, & saturatiore purpura nitens, & odorus: ex medio vmbilico duo breuia staminula prominent: semen in calyculis paleaceum, fuscum: radix oblonga tenues fibras spargens, è cuius capite plures cauliculi latè in circuitu, & confertim sese diffundunt, & subinde fibras agunt.* I. Caryophylleus fil. 1. flo. rubro.

Inuenitur in Hamburgensi monte duobus supra Posonium miliaribus, & infra Viennam octo.

Floret istic Maio: in hortos verò translatum, etiam Aprili.

ALTERIVS *breues etiam sunt cauliculi, tres vncias rarò excedentes, geniculati; folia in singulis similiter geniculis bina, superioribus breuiora, molliora, viridia, deorsum reflexa, splendentiáque, quæ in nouellis germinibus satis copiosè ex eadem radice nascentibus maiuscula latioráque sunt: flos è calyculo crassiore & nigricante emicans, summis cauliculis insidet, vnicus, superioribus maior, quinque etiam foliis constans paulo saturatior priore, circa vmbilicum longioribus villis hirsutus, & eleganti ex satura purpura & albo varietate gratus, inodorus tamen: semen in longis vasculis quæ maturitate dehiscunt, paleaceum, fuscum, aliorum Caryophylleorum modo: radix superiori similis.* II. Caryophyll. fil. 2. flo. rubro.

Frequentissimè nascitur in Sneberg, monte ob perpetuò



tuò insidentes illi niues sic appellato, & alijs Austriacarum Styriacarumq́; alpium iugis. Floret autem sub Iunij finem, & Iulio: sed in mitiora loca delatus, cum superiore floret, & semen profert Junio.

Illi per omnia fere similis inuenitur in altissimo iugo Etscher vocato, nisi paulo longioribus esset foliis & cauliculis: flos etiam plerumque maior est, & non vnicus, verùm in singulis cauliculis geminus, aut triplex: praeterea sub villis qui vmbilicum ambiunt inaequalē quandam & in frequentes maeandros excurrentem lineā impressam habet, humani cranij suturam referentem, colore rubro saturatiore praeditam quemadmodum & prioris. 2.

In eodem iugo, anno Domini 1578. & in Sneberg biennio antè, paucas quasdā huius generis, prioris praesertim speciei, plantas inueni, quae ab illa duntaxat flore differrent, qui licet alteri forma non dispar sit, colorem tamen album habet, circa vmbilicum purpurascentibus villis hirsutum. 3.

Florent istic primùm Augusto, & maturum semen interdum praebent: sed in hortos translata, cum superioribus flores suos producunt.

III. Caryophyll. fil. 3. flo. rub.

TERTIO *cauliculi paulo maiores crassioresq́; sunt, pedali plerūq. altitudine, geniculati, singula genicula amplectētibus binis similiter foliis primo genere longioribus & latioribus, coloreq́; quasi aerugineo: ex summis alis prodeunt bini aut terni singulatim tamen nascentes flores, priori non multū absimiles, quinque foliis per oras laciniatis, atque circa vmbilicum carnea lanugine pubescentibus constantes, colore rubro, sine corniculis, odorati, qui cùm primùm è calyculis emergunt, candidi futuri videntur: floribus succedunt cornicula satis crassa, semen nigrum, planum vti reliqui Caryophyllei continentia*



nentia: radix oblonga, fibrosa, & à capite plures surculos in orbem diffundens, qui plerumque fibras agunt; & adeò sese propagant, vt breui totas areas occupent.

Colitur in hortis, & Maio mense cũ reliquis floret.

QVARTVS radicem habet crassiusculam, nigro cortice tectam satis fibrosam, superne in aliquot ramos diuisam, qui summa tellure multa capita gignunt è tenuibus gramineisq; & virentibus foliolis constantia: inter quæ prosiliunt cauliculi aliquot tenues, geniculati, palmares, & ad singulos nodos bina exigua foliola: calyculi in singulis cauliculis singulares, maiusculi, è quibus flos ruber dilutior, quinque foliis nonnihil per ambitum crenatis constans, è cuius vmbilico duo interdum albescentia cornicula (interdum nulla) cum aliquot staminulis prodeunt: semen, vt in reliquis, nigrũ, paleaceum. IIII. Caryophyll. sil. Tauricus.

Crescit in Tauro Carinthiæ monte. Floret Iulio; semen Augusto maturitatem consequitur.

QVINTO crassa & nigra radix est, duraq; & lignosa, multos ramulos humisparsos fundens, nigros item illos lentosq; & subinde fibras agentes: ex iis cauliculi exeunt dodrantales, geniculati, infima parte gramineis quibusdam breuibus, angustis, colore cæsiis siue cinereis foliis, binis semper ex aduerso inter se oppositis; deinde secundum genicula aliis rarioribus onustis: extremis cauliculis insidẽt oblongi calyces, vti in aliis Caryophylleis floribus siluestribus, florẽ continentes album, odoratum, quinque foliis admodum laciniatis constantem, è quorum vmbilico duo staminula emergunt corniculorum papilionis modo inflexa: semen deinde in oblongioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum est. V. Caryophyl. sil. albo flore & laciniato.

Prouenit sponte in Hamburgensi mõte inter saxa, qua Austrum & Septentrionem spectat. Floret Maio.

2. *Istius etiam genus inuenitur ibidē longioribus cauliculis, & plures flores proferens superiori quidem forma & candore similes, sed qui cornicula inflexa non habeant, verùm eorum loco decem staminula ipsum florem paululum exuperantia: capitula etiam in quibus semen continetur, oblongiora.*

Est & in hoc genere quod flores circa vmbilicū purpurascente lanugine hirsutos proferat.

3. *Alium tertium paulo maiorem inuenimus ad radices montis oppido Medeling imminentis, tertio fere à Vienna miliari: firmioribus tamen & longioribus cauliculis est: flore etiam maiore, tametsi similiter per oras profundè laciniato & odorato, colore nunc omnino albo, nunc dilutius quodammodo rubente, &, vt vocant, incarnato, villis breuibus purpureis vmbilici circumferentiam in vtroque genere occupantibus, nullis similiter corniculis, sed decem staminibus vt in superiore prominentibus: alioqui & foliis, & radice, & florendi tempore conueniunt.*

Caryophyl. fil. 2. tenuissimè laciniato & albo flore.

VI. SEXTVS *plures ab vna radice prodeuntes habet caules, cubitales, teretes, multis geniculis praeditos: & in his bina semper folia caulem amplectentia, graminea, mucronata, reliquis Caryophylleis fere similia, non tamen incana aut caesia, sed virescentia: flores in summis caulibus copiosos, oblōgioribus calyculis insidētes, quinque foliis praeditos, nunc candidos, nunc purpurascentes, atque in tenuissimas lacinias dissectos, odoris suauissimi, & è longinquo nares ferientis, vmbilico virescente, & purpurascente lanugine hirsuto, è quo aliquot staminula prominent: in oblōgis deinde corniculis semen fert paleaceum, planum, & nigrum, reliquorum Caryophylleorum more: radix vti reliquorum fibrosa. Habent autem nouelli surculi latiora paulo folia, Armeriorum*



rum foliis proxima: sed angustiora, nec adeo virentia.

Sponte nascitur in humidioribus Viennensis agri pratis, seriusq; reliquis floret, nempe Iulio, & toto interdum Augusto.

VII. SEPTIMI *folium est minutissimū, gramineumq; & quasi pungens, atque viride: adeò autem se propagat, vt magnos interdum cespites tegat, non secus atque muscus quidā totos illos obsidens: flosculi in singulis propaginibus è medio foliorum conspiciuntur, quinq. foliis bifidis constantes, colore rubro dilutiore siue carneo, qui tenuibus & vix digitum transuersum altis pedunculis insident singuli, gratissimō spectaculo: semen in capitellis fuscis & splendentibus, renis forma (qua nota à reliquis Caryophylleis differt, & ad Lychnidum classem accedit) exiguum, subruffum: radix oblonga, nigricans, & multas propagines summa tellure faciens.*

Caryophyl. pumilio alpinus.

Summis Austriacarum & Styriacarum alpium iugis inuenitur nudo petrosoq; solo. Floret Iunio, semen Augusto plerumque maturitatem consequitur. At in hortos translatus hic Caryophylleus, etiam sub Aprilis finem floret: nōnunquam etiam secundo sub Septembris initium.

2. *Colorē floris variat qui in Iudenberg celsissimo Styriæ monte interdum nascitur, qui totus niueus est: alioqui in reliquis per omnia similis.*

VIII. OCTAVVS *haud multum à septimo differt: folia tamen paulo sunt crassiora & succulentiora, illius plantæ quæ vulgo Gramen marinum vocatur (tametsi in montanis aliisque locis procul à mari dissitis etiam sponte nascens inueniatur) foliis fere similia, frequentissima & confertissima, amariusculo sapore: inter quæ emicant pediculi verius quàm cauliculi, transuersum digitum longi, geniculati, foliis binis inter se ad internodia oppo-*

Caryophyll. pumilio austriacus.

Caryophylleus VIII.



dia oppositis: cauliculis insident prægrandes (pro stirpis proportione) & laxi calyces, lanuginosi, ex viridi purpurascentes, in quinque crenas divisi, unde singulares emergunt flores, quinque foliis constantes, colore rubro dilutiore, inodori: semen obseruare non potui: radix satis crassa, subfusca, aliquot fibris donata, verùm circa caput sese summa tellure expandens, & in plures ramos diuidens, subinde nouas fibras agit.

Prouenit iisdem quibus Quartum genus locis, solo tenui & arena splendente referto.

Floret sub finem Iulij & Augusto.

CARYOPHYLLEI *nomen inuenit hæc planta apud Herbariorum vulgus, quòd eius flores plerumque aromatici caryophylli odorem æmulentur. Sunt qui Vetonicā appellare malint. Nec desunt qui ad Plinij Cantabricam referendam putent. Incolæ quinque priora genera* Wild neglin/ Berg neglin *&* Steinneglin *indifferenter appellant, hoc est, siluestres, montanos & petræos caryophylleos. Sextam genus peculiariter* Zoddet neglin/ *id est, laciniatum siue dissectum caryophylleum Austriacæ mulieres, quibus ob odoris fragrātiam in deliciis est, nuncupant. Angu.llara libro Opinionum* XII. *Theophrasti Diosanthon facere videtur. Gesnerus in epistolis septimū genus appellare videtur Muscum alpinum. Gallis omnia ista genera* Oeillets *&* Gyroflees sauuages *dici poterunt. Caryophylleus verò flos in genere Vngaris vulgo* Zëk fiu *dicitur.*

Cantabrica Plini. Vetonica.

Diosanthos Theophr.

Passim in pratis, siluis, agrorum marginibus, aliisque herbosis locis hîc sponte nascuntur & aliquot Caryophyllei siluestris siue Armerij floris genera. Sed quoniam ea, per reliquas Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, atque etiā, vt arbitror, Italiæ prouincias, obuia sunt: peculiarē illorū descriptionem dare hoc loco operæprecium non videtur.

ARME-

ARMERIVS *porro ille multiplici florum rubrorum glomere constans, & Belgis* kepkens *vernacula lingua appellatus abunde in quibusdam pratis Nemethwywar Ill. D. de Batthyan vicinis qua occidentem spectat, sponte nascitur, atque ab Vngaris* Isten nyla, *id est, Dei sagitta nuncupatur.* Armerius pleno flore.

HVC *proculdubio referendæ sunt duæ illæ plantæ quæ à rei herbariæ studiosis Belgis Graminis marini maioris & minoris nomine appellantur: tametsi plerisque aliis locis procul à mari dissitis etiam sponte prouemant. Nam quod maius vocant, in summarũ istarum Alpiũ herbosis iugis frequẽter inueni: memini etiam videre in viuario illo regio Madritiana silua vulgo nuncupato, secundo ab vrbe Lutetia miliari, vnde copiosum erui, & amicis in Belgicam misi. Nusquam verò, quod sciam, maritimis locis mihi conspectum est. Quod autem minus vocant, non modò in maritimis Angliæ & Belgicæ prouenit: sed in Morauiæ collibus copiose nascitur, atque non procul Praga itinere Viennensi: Saxoniæ etiam quibusdam herbidis locis, præsertim agro Witebergensi videre, & colligere memini ante multos annos.* Gramen marinum. maius. minus.

Neutrius descriptio hic à me expectanda est, cùm à Clariss. Viris Dodonæo & Lobelio cum suis iconibus edita sit: à Dod. quidem minor Graminis marini nomine: vtraq. verò à Lobelio Caryophylli marini & montani appellatione. Ab illis ergo requirere poterunt rei herbariæ studiosi.

CETERVM *Caryophylleorum facultates (quibus haud dubiè præditi sunt nonnulli ex iis quorum historiam hoc capite descripsi) diligentissimè persequutus est celeberrimus Matthiolus amplissimis suis in Dioscoridem Commentariis.*

De Lychnide silvestri.

CAP. XLII.

LYCHNIDIS *siluestris magna est etiam varietas. Nam licet multa genera præter vulgaria, in Hispanica mea peregrinatione obseruata descripserim: aliquot adhuc alia in his prouinciis sese mihi obtulerunt, quæ minimè silentio premenda videntur.*

I. Lychnis sil. flore rubro. CVI, *ob florũ elegantiã, primum locũ damus, vnicus initio pedalis est caulis, geniculatus, mucagine glutinosa, præsertim in summo, aspersus, bina ex singulis geniculis sibi inuicẽ opposita proferens folia, oblonga, Armerio quarto Dodonæi ferè similia, sed firmiora, crassiora, & viridiora: à medio ferè ad summum multis floribus ex alarum sinu in oblongis pediculis prodeuntibus onustus est, qui quinis extremo diuisis sed in rotundum bifidis foliis constant, & elegantissimo colore rubro ad purpuram tendente rutilant, coronula elatiore medium vmbilicum occupante, nullo tamen odore præditis: his succedunt membranea, attamen duriuscula capitula, circa pediculum angustiora, & crassiore mucrone, quæ per maturitatem dehiscunt & semen ostendunt inclusum, minutum admodum, ex russo nigricans: radix crassiuscula, nigra, multas fibras spargit, & singulis annis nouos, eósque numerosiores caules profert.*

In omnibus ferè Pannoniæ & Austriæ inferioris montanis siluis, editisq; & herbidis locis inuenitur.

Floret Maio, semen Iunio maturescit.

II. Lychnis sil. albo flore. 1. MVLTA *secundum radicem habet Altera folia digitalis longitudinis, sensim in latitudinem sese explicantia, sub extremum mucronata, viridia, nonnihil hirsuta, ad Lychnidis siluestris flore albo, quæ in omnibus prouinciis vulgaris est, folia quodammodo accedentia, longè ta-*



longè tamen angustiora, sapore acidiusculo: caules deinde pedales, interdum cubitales, nodosos & geniculatos, qui summa parte cum suis ramulis lento & viscido humore obsiti sunt, vti in priore: singula genicula latiore pediculo amplectuntur bina folia ex aduerso sita, superioribus breuiora, circa summum autem caulem adhuc minora & mucronata: summis alis innati oblongi ramuli, ternos plerumque vel etiam plures sustinēt flores, quinque bifidis & vsque ad vmbilicum diuisis, binasq; appendiculas mucronatas circa eūdem vmbilicum habentibus foliis constantes, candido colore, quinque staminulis oblongis medium vmbilicum occupantibus: floribus qui iam marcescentes contrahuntur, & interiore parte conuoluuntur veluti in alba Hispanica lychnide, succedunt crassiuscula & mucronata capitula, semine exiguo, rotundo, cinereo plena: radix fibrosa et perennis, singulis annis nouos ex radice numerosioresq; caules proferens, qui secundum radicem fibras agentes facilè pangi possunt.

Nascitur per vniuersam Pannoniam, Austriamq; infra Anisum, Morauiam, Bohemiam, vltraque Muram & Drauum, non modò in cæduis siluis, sed etiam ad margines agrorum restibilium. Memini & in Belgica videre Lutzelburgensi ducatu. Floret Maio.

III. Lychnis sil. albo flore 2.

TERTIÆ *noui singulis annis ex eadem radice prodeunt cauliculi, per terram sparsi, & subinde circa internodia radices agentes, deinde sursum denuo sese erigentes palmari altitudine, graciles, geniculati, bina folia in singulis geniculis ex aduerso opposita ferētes, longiuscula, angusta, obtuso mucrone, viridia, prominente dorso, amaro sapore: flores in summis cauliculis & ramulis lateralibus (qui glutine quodam illiti videntur) elegantes, candidi, quinque laciniatis foliolis constantes,*

inodori,



cilibus, lentis, & obsequiosis, folia nullo ordine disposita, angusta, floris Tinctorij, aut vulgaris Hyssopi angustifolij & minoris quod ab Hispanis ysopillo *vocatur, foliorũ æmula: flores conferti & spicatim nascẽtes summas virgulas occupant, fumiterræ floribus haud multum absimiles, longiores tamen, dilutioris purpurei coloris elegantissimi, siue dilutiore rubore pulcherrimo nitentes: his succedunt pendulæ siliquulæ planæ, Bursæ pastoris valgulis ferè similes, quas membraneæ quædam veluti alæ integunt, semina continentes plerumque bina, nigricantia, hirsuta, oblongáque, quæ, aperientibus sese ad latera per maturitatem bursulis, decidũt: radix crassiuscula, breuis, dura, lignosa, viuax, aliquot fibris donata est: & tota planta amaricat.*

Frequens est admodum in Leytenberg supra Manderstorf, circa Medeling, totáque illa montium serie, quæ à Calemberg Danubio supra Viennam imminenti, ad Austriacas vsque alpes excurrit. Nusquam etiam nõ occurrit per Pannoniam; sed etiam in Interamni vltra Drauum crescit.

Floret Maio & Iunio. Aliquoties eam ob florum elegantiam & amœnitatem in hortos transtulimus, & cicurare voluimus: sed operam hactenus lusimus.

2. *Variat etiam quibusdam vmbrosis & humidioribus locis, flore cum albo, tum cæruleo, vti in minore vulgari: sed perinde assurgit atque modò descripta.*

DE CARYOPHYLLEIS.

CAP. XLI.

NON *carent altissimi montes præruptique scopuli suis etiam deliciis: sed diuersi generis flosculis elegantissimis odoratissimisque sæpissimè exornantur. Porro Caryophyllei vulgo Herbariorum vocati, ob miram colorum va-*

rum va-

rum varietatem ſubeuntium ea iuga oculos maximè recreant. Eorum verò præter vulgò cognita, iſtic multa genera obſeruaui.

I. Caryophylleus ſil. 1. flo. rubro.

PRIORI *dodrantales ſunt cauliculi, teretes, geniculati: folia in ſingulis geniculis bina inter ſe oppoſita, oblonga, anguſta, dura, colore quaſi cæſio, mucronata: flos è calyculo rubente plerumque in ſingulis cauliculis vnicus (interdum bini) quinque foliis cõſtans lente fimbriatis, colore in diluta purpura rubente, circa vmbilicum hirſutus, & ſaturatiore purpura nitens, & odorus: ex medio vmbilico duo breuia ſtaminula prominent: ſemen in calyculis paleaceum, fuſcum: radix oblonga tenues fibras ſpargens, è cuius capite plures cauliculi latè in circuitu, & confertim ſeſe diffundunt, & ſubinde fibras agunt.*

Inuenitur in Hamburgenſi monte duobus ſupra Poſonium miliaribus, & infra Viennam octo.

Floret iſtic Maio: in hortos verò tranſlatum, etiam Aprili.

II. Caryophyll. ſil. 2. flo. rubro.

ALTERIVS *breues etiam ſunt cauliculi, tres vncias rarò excedentes, geniculati; folia in ſingulis ſimiliter geniculis bina, ſuperioribus breuiora, molliora, viridia, deorſum reflexa, ſplendentiáque, quæ in nouellis germinibus ſatis copioſè ex eadem radice naſcentibus maiuſcula latioráque ſunt: flos è calyculo craſſiore & nigricante emicans, ſummis cauliculis inſidet, vnicus, ſuperioribus maior, quinque etiam foliis conſtans paulo ſaturatior priore, circa vmbilicum longioribus villis hirſutus, & eleganti ex ſatura purpura & albo varietate gratus, inodorus tamen: ſemen in longis vaſculis quæ maturitate dehiſcunt, paleaceum, fuſcum, aliorum Caryophylleorum modo: radix ſuperiori ſimilis.*

Frequentiſſimè naſcitur in Sneberg, monte ob perpe-



tuo insidentes illi niues sic appellato, & alijs Austriacarum Styriacarumq́; alpium iugis. Floret autem sub Iunij finem, & Iulio: sed in mitiora loca delatus, cum superiore floret, & semen profert Iunio.

Illi per omnia fere similis inuenitur in altissimo iugo Etscher vocato, nisi paulo longioribus esset foliis & cauliculis: flos etiam plerumque maior est, & non vnicus, verùm in singulis cauliculis geminus, aut triplex: præterea sub villis qui vmbilicum ambiunt inæqualē quandam & in frequentes mæandros excurrentem lineā impressam habet, humani cranij suturam referentem, colore rubro saturatiore præditam quemadmodum & prioris. 2.

In eodem iugo, anno Domini 1578. & in Sneberg biennio antè, paucas quasdā huius generis, prioris præsertim speciei, plantas inueni, quæ ab illa duntaxat flore differrent, qui licet alteri forma non dispar sit, colorem tamen album habet, circa vmbilicum purpurascentibus villis hirsutum. 3.

Florent istic primùm Augusto, & maturum semen interdum præbent: sed in hortos translatæ, cum superioribus flores suos producunt.

III. Caryophyll. fil. 3. flo. rub.

TERTIO *cauliculi paulo maiores crassioresq́; sunt, pedali plerūq. altitudine, geniculati, singula genicula amplectētibus binis similiter foliis primo genere longioribus & latioribus, coloreq́; quasi æruginco: ex summis alis prodeunt bini aut terni singulatim tamen nascentes flores, priori non multū absimiles, quinque foliis per oras laciniatis, atque circa vmbilicum carnea lanugine pubescentibus constantes, colore rubro, sine corniculis, odorati, qui cùm primùm è calyculis emergunt, candidi futuri videntur: floribus succedunt cornicula satis crassa, semen nigrum, planum vti reliqui Caryophyllei continentia*



nentia: radix oblonga, fibrosa, & à capite plures surculos in orbem diffundens, qui plerumque fibras agunt; & adeò sese propagant, vt breui totas areas occupent.

Colitur in hortis, & Maio mense cũ reliquis floret.

QVARTVS *radicem habet crassiusculam, nigro cortice tectam satis fibrosam, supernè in aliquot ramos diuisam, qui summa tellure multa capita gignunt è tenuibus gramineisq; & virentibus foliolis constantia: inter quæ prosiliunt cauliculi aliquot tenues, geniculati, palmares, & ad singulos nodos bina exigua foliola: calyculi in singulis cauliculis singulares, maiusculi, è quibus flos ruber dilutior, quinque foliis nonnihil per ambitum crenatis constans, è cuius vmbilico duo interdum albescentia cornicula (interdum nulla) cum aliquot staminulis prodeunt: semen, vt in reliquis, nigrũ, paleaceum.* IIII. Caryophyll. sil. Tauricus.

Crescit in Tauro Carinthiæ monte. Floret Iulio; semen Augusto maturitatem consequitur.

QVINTO *crassa & nigra radix est, duraq; & lignosa, multos ramulos humi sparsos fundens, nigros item illos lentosq; & subinde fibras agentes: ex iis cauliculi exeunt dodrantales, geniculati, infima parte gramineis quibusdam breuibus, angustis, colore cæsiis siue cinereis foliis, binis semper ex aduerso inter se oppositis; deinde secundum genicula aliis rarioribus onusti: extremis cauliculis insidet oblongi calyces, vti in aliis Caryophylleis floribus siluestribus, florẽ continentes album, odoratum, quinque foliis admodum laciniatis constantem, è quorum vmbilico duo staminula emergunt corniculorum papilionis modo inflexa: semen deinde in oblongioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum est.* V. Caryophyl. sil. I. albo flore & laciniato.

Prouenit sponte in Hamburgensi mõte inter saxa, qua Austrum & Septentrionem spectat. Floret Maio.

2. *Istius etiam genus inuenitur ibidē longioribus cauliculis, & plures flores proferens superiori quidem forma & candore similes, sed qui cornicula inflexa non habeant, verùm eorum loco decem staminula ipsum florem paululum exuperantia: capitula etiam in quibus semen continetur, oblongiora.*

Est & in hoc genere quod flores circa vmbilicū purpurascente lanugine hirsutos proferat.

3. *Alium tertium paulo maiorem inuenimus ad radices montis oppido Medeling imminentis, tertio fere à Vienna miliari: firmioribus tamen & longioribus cauliculis est: flore etiam maiore, tametsi similiter per oras profundè laciniato & odorato, colore nunc omnino albo, nunc dilutius quodammodo rubente, &, vt vocant, incarnato, villis breuibus purpureis vmbilici circumferentiam in vtroque genere occupantibus, nullis similiter corniculis, sed decem staminibus vt in superiore prominentibus: alioqui & foliis, & radice, & florendi tempore conueniunt.*

VI. Caryophyl. fil. 2. tenuissimè laciniato & albo flore.

SEXTVS *plures ab vna radice prodeuntes habet caules, cubitales, teretes, multis geniculis præditos: & in his bina semper folia caulem amplectentia, graminea, mucronata, reliquis Caryophylleis ferè similia, non tamen incana aut cæsia, sed virescentia: flores in summis caulibus copiosos, oblōgioribus calyculis insidētes, quinque foliis præditos, nunc candidos, nunc purpurascentes, atque in tenuissimas lacinias dissectos, odoris suauissimi, & è longinquo nares ferientis, vmbilico virescente, & purpurascente lanugine hirsuto, è quo aliquot staminula prominent: in oblōgis deinde corniculis semen fert paleaceum, planum, & nigrum, reliquorum Caryophylleorum more: radix vti reliquorum fibrosa. Habent autem nouelli surculi latiora paulo folia, Armerio-*

rum



rum foliis proxima: sed angustiora, nec adeo virentia.

Sponte nascitur in humidioribus Viennensis agri pratis, seriusq́; reliquis floret, nempe Iulio, & toto interdum Augusto.

VII. Caryophyl. pumilio alpinus. SEPTIMI *folium est minutissimũ, gramineumq́; & quasi pungens, atque viride: adeò autem se propagat, ut magnos interdum cespites tegat, non secus atque muscus quidã totos illos obsidens: flosculi in singulis propaginibus è medio foliorum conspiciuntur, quinq. foliis bifidis constantes, colore rubro dilutiore siue carneo, qui tenuibus & vix digitum transuersum altis pedunculis insident singuli, gratissimo spectaculo: semen in capitellis fuscis & splendentibus, renis forma (qua nota à reliquis Caryophylleis differt, & ad Lychnidum classem accedit) exiguum, subruffum: radix oblonga, nigricans, & multas propagines summa tellure faciens.*

Summis Austriacarum & Styriacarum alpium iugis inuenitur nudo petrosoq́; solo. Floret Iunio, semen Augusto plerumque maturitatem consequitur. At in hortos translatus hic Caryophylleus, etiam sub Aprilis finem floret: nõnunquam etiam secundo sub Septembris initium.

2. *Colore floris variat qui in Iudenberg celsissimo Styriæ monte interdum nascitur, qui totus niueus est: alioqui in reliquis per omnia similis.*

VIII. Caryophyll. pumilio tauticus. OCTAVVS *haud multum à septimo differt: folia tamen paulo sunt crassiora & succulentiora, illius plantæ quæ vulgo Gramen marinum vocatur (tametsi in montanis aliisque locis procul à mari dissitis etiam sponte nascens inueniatur) foliis ferè similia, frequentissima & confertissima, amariusculo sapore: inter quæ emicant pediculi verius quàm cauliculi, transuersum digitum longi, geniculati, foliis binis inter se ad internodia oppo-*

Caryophylleus VIII.



dia oppositis: cauliculis insident prægrandes (pro stirpis proportione) & laxi calyces, lanuginosi, ex viridi purpurascentes, in quinque crenas diuisi, vnde singulares emergunt flores, quinque foliis constantes, colore rubro dilutiore, inodori: semen obseruare non potui: radix satis crassa, subfusca, aliquot fibris donata, verùm circa caput sese summa tellure expandens, & in plures ramos diuidens, subinde nouas fibras agit.

Prouenit iisdem quibus Quartum genus locis, solo tenui & arena splendente referto.

Floret sub finem Iulij & Augusto.

CARYOPHYLLEI nomen inuenit hæc planta apud Herbariorum vulgus, quòd eius flores plerumque aromatici caryophylli odorem æmulentur. Sunt qui Vetonicā appellare malint. Nec desūnt qui ad Plinij Cantabricam referendam putent. Incolæ quinque priora genera Wild neglin/ Berg neglin & Steinneglin indifferenter appellant, hoc est, siluestres, montanos & petræos caryophylleos. Sextam genus peculiariter Zodet neglin/ id est, laciniatum siue dissectum caryophylleum Austriacæ mulieres, quibus ob odoris fragrātiam in deliciis est, nuncupant. Angu llara libro Opinionum XII. Theophrasti Diosanthon facere videtur. Gesnerus in epistolis septimū genus appellare videtur Muscum alpinum. Gallis omnia ista genera Oeillets & Gyroflees sauuages dici poterunt. Caryophylleus verò flos in genere Vngaris vulgo Zëk fiu dicitur.

Cantabrica Plini. Vetonica.

Diosanthos Theophr.

Passim in pratis, siluis, agrorum marginibus, aliisque herbosis locis hîc sponte nascuntur & aliquot Caryophyllei siluestris siue Armerij floris genera. Sed quoniam ea, per reliquas Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, atque etiā, vt arbitror, Italiæ prouincias, obuia sunt: peculiarē illorū descriptionem dare hoc loco operæprecium non videtur.

ARME-

ARMERIVS *porro ille multiplici florum rubrorum glomere constans, & Belgis* keykens *vernacula lingua appellatus abunde in quibusdam pratis Nemethwywar Ill. D. de Batthyan vicinis qua occidentem spectat, sponte nascitur, atque ab Vngaris* Isten nyla, *id est, Dei sagitta nuncupatur.* Armerius pleno flore.

HVC *proculdubio referendæ sunt duæ illæ plantæ quæ à rei herbariæ studiosis Belgis Graminis marini maioris & minoris nomine appellantur: tametsi plerisque aliis locis procul à mari dissitis etiam sponte prouemant. Nam quod maius vocant, in summarũ istarum Alpiũ herbosis iugis frequẽter inueni: memini etiam videre in viuario illo regio Madritiana silua vulgo nuncupato, secundo ab vrbe Lutetia miliari, vnde copiosum erui, & amicis in Belgicam misi. Nusquam verò, quod sciam, maritimis locis mihi conspectum est. Quod autem minus vocant, non modò in maritimis Angliæ & Belgicæ prouenit: sed in Morauiæ collibus copiosè nascitur, atque non procul Praga itinere Viennensi: Saxoniæ etiam quibusdam herbidis locis, præsertim agro Witebergensi videre, & colligere memini ante multos annos.* Gramen marinum. maius. minus.

Neutrius descriptio hic à me expectanda est, cùm à Clariss. Viris Dodonæo & Lobelio cum suis iconibus edita sit: à Dod. quidem minor Graminis marini nomine: vtraq. verò à Lobelio Caryophylli marini & montani appellatione. Ab illis ergo requirere poterunt rei herbariæ studiosi.

CETERVM *Caryophyllæorum facultates (quibus haud dubiè præditi sunt nonnulli ex iis quorum historiam hoc capite descripsi) diligentissimè persequutus est celeberrimus Matthiolus amplissimis suis in Dioscoridem Commentariis.*

De Lychnide silvestri.

CAP. XLII.

LYCHNIDIS *sylvestris magna est etiam varietas. Nam licet multa genera præter vulgaria, in Hispanica mea peregrinatione obseruata descripserim: aliquot adhuc alia in his prouinciis sese mihi obtulerunt, quæ minimè silentio premenda videntur.*

I. Lychnis sil. flore rubro. CVI, *ob florũ elegantiã, primum locũ damus, vnicus initio pedalis est caulis, geniculatus, mucagine glutinosa, præsertim in summo, aspersus, bina ex singulis geniculis sibi inuicẽ opposita proferens folia, oblonga, Armerio quarto Dodonæi fere similia, sed firmiora, crassiora, & viridiora: à medio fere ad summum multis floribus ex alarum sinu in oblongis pediculis prodeuntibus onustus est, qui quinis extremo diuisis sed in rotundum bifidis foliis constant, & elegantissimo colore rubro ad purpuram tendente rutilant, coronula elatiore medium vmbilicum occupante, nullo tamen odore præditis: his succedunt membranea, attamen duriuscula capitula, circa pediculum angustiora, & crassiore mucrone, quæ per maturitatem dehiscunt & semen ostendunt inclusum, minutum admodum, ex ruffo nigricans: radix crassiuscula, nigra, multas fibras spargit, & singulis annis nouos, eósque numerosiores caules profert.*

In omnibus fere Pannoniæ & Austriæ inferioris montanis siluis, editisq́ue & herbidis locis inuenitur.

Floret Maio, semen Iunio maturescit.

II. Lychnis sil. Albo flore. I. MVLTA *secundum radicem habet Altera folia digitalis longitudinis, sensim in latitudinem sese explicantia, sub extremum mucronata, viridia, nonnihil hirsuta, ad Lychnidis sylvestris flore albo, quæ in omnibus prouinciis vulgaris est, folia quodammodo accedentia, longè ta-*



longè tamen angustiora, sapore acidiusculo: caules deinde pedales, interdum cubitales, nodosos & geniculatos, qui summa parte cum suis ramulis lento & viscido humore obsiti sunt, vti in priore: singula genicula latiore pediculo amplectuntur bina folia ex aduerso sita, superioribus breuiora, circa summum autem caulem adhuc minora & mucronata: summis alis innati oblongi ramuli, ternos plerumque vel etiam plures sustinēt flores, quinque bifidis & vsque ad vmbilicum diuisis, binasq; appendiculas mucronatas circa eūdem vmbilicum habentibus foliis constantes, candido colore, quinque staminulis oblongis medium vmbilicum occupantibus: floribus qui iam marcescentes contrahuntur, & interiore parte conuoluuntur veluti in alba Hispanica lychnide, succedunt crassiuscula & mucronata capitula, semine exiguo, rotundo, cinereo plena: radix fibrosa et perennis, singulis annis nouos ex radice numerosioresq; caules proferens, qui secundum radicem fibras agentes facilè pangi possunt.

Nascitur per vniuersam Pannoniam, Austriamq; infra Anisum, Morauiam, Bohemiam, vltraque Muram & Drauum, non modò in caduis siluis, sed etiam ad margines agrorum restibilium. Memini & in Belgica videre Lutzelburgensi ducatu. Floret Maio.

III. Lychnis sil. albo flore 2. TERTIÆ *noui singulis annis ex eadem radice prodeunt cauliculi, per terram sparsi, & subinde circa internodia radices agentes, deinde sursum denuo sese erigentes palmari altitudine, graciles, geniculati, bina folia in singulis geniculis ex aduerso opposita ferētes, longiuscula, angusta, obtuso mucrone, viridia, prominente dorso, amaro sapore: flores in summis cauliculis & ramulis lateralibus (qui glutine quodam illiti videntur) elegantes, candidi, quinque laciniatis foliolis constantes,*

inodori,





tuò insidentes illi niues sic appellato, & alijs Austriacarum Styriacarumq́; alpium iugis. Floret autem sub Iunij finem, & Iulio: sed in mitiora loca delatus, cum superiore floret, & semen profert Iunio.

2. *Illi per omnia fere similis inuenitur in altissimo iugo Etscher vocato, nisi paulo longioribus esset foliis & cauliculis: flos etiam plerumque maior est, & non vnicus, verùm in singulis cauliculis geminus, aut triplex: præterea sub villis qui vmbilicum ambiunt inæqualẽ quandam & in frequentes mæandros excurrentem lineã impressam habet, humani cranij suturam referentem, colore rubro saturatiore præditam quemadmodum & prioris.*

3. *In eodem iugo, anno Domini 1578. & in Sneberg biennio antè, paucas quasdã huius generis, prioris præsertim speciei, plantas inueni, quæ ab illa duntaxat flore differrent, qui licet alteri forma non dispar sit, colorem tamen album habet, circa vmbilicum purpurascentibus villis hirsutum.*

Florent istìc primùm Augusto, & maturum semen interdum præbent: sed in hortos translata, cum superioribus flores suos producunt.

III. Caryophyll. fil. 3. flo. rub.

TERTIO *cauliculi paulo maiores crassioresq́; sunt, pedali plerũq. altitudine, geniculati, singula genicula amplectẽtibus binis similiter foliis primo genere longioribus & latioribus, coloreq́; quasi æruginco: ex summis alis prodeunt bini aut terni singulatim tamen nascentes flores, priori non multũ absimiles, quinque foliis per oras laciniatis, atque circa vmbilicum carnea lanugine pubescentibus constantes, colore rubro, sine corniculis, odorati, qui cùm primùm è calyculis emergunt, candidi futuri videntur: floribus succedunt cornicula satis crassa, semen nigrum, planum vti reliqui Caryophyllei continentia*



nentia: radix oblonga, fibrosa, & à capite plures surculos in orbem diffundens, qui plerumque fibras agunt; & adeò sese propagant, vt breui totas areas occupent.

Colitur in hortis, & Maio mense cũ reliquis floret.

QVARTVS *radicem habet crassiusculam, nigro cortice tectam satis fibrosam, supernè in aliquot ramos diuisam, qui summa tellure multa capita gignunt è tenuibus gramineisq́; & virentibus foliolis constantia: inter quæ prosiliunt cauliculi aliquot tenues, geniculati, palmares, & ad singulos nodos bina exigua foliola: calyculi in singulis cauliculis singulares, maiusculi, è quibus flos ruber dilutior, quinque foliis nonnihil per ambitum crenatus constans, è cuius vmbilico duo interdum albescentia cornicula (interdum nulla) cum aliquot staminulis prodeunt: semen, vt in reliquis, nigrũ, paleaceum.* IIII. Caryophyll. sil. Tauricus.

Crescit in Tauro Carinthiæ monte. Floret Iulio, semen Augusto maturitatem consequitur.

QVINTO *crassa & nigra radix est, duraq́; & lignosa, multos ramulos humi sparsos fundens, nigros item illos lentosq́; & subinde fibras agentes: ex iis cauliculi exeunt dodrantales, geniculati, infima parte gramineis quibusdam breuibus, angustis, colore cæsiis siue cinereis foliis, binis semper ex aduerso inter se oppositis; deinde secundum genicula aliis rarioribus onusti: extremis cauliculis insidet oblongi calyces, vti in aliis Caryophylleis floribus siluestribus, florẽ continentes album, odoratum, quinque foliis admodum laciniatis constantem, è quorum vmbilico duo staminula emergunt corniculorum papilionis modo inflexa: semen deinde in oblongioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum est.* V. Caryophyl. sil. albo flore & laciniato.

Prouenit sponte in Hamburgensi mõte inter saxa, quæ Austrum & Septentrionem spectat. Floret Maio.

2. *Iſtius etiam genus inuenitur ibidē longioribus cauliculis, & plures flores proferens ſuperiori quidem forma & candore ſimiles, ſed qui cornicula inflexa non habeant, verùm eorum loco decem ſtaminula ipſum florem paululum exuperantia: capitula etiam in quibus ſemen continetur, oblongiora.*

Eſt & in hoc genere quod flores circa vmbilicū purpuraſcente lanugine hirſutos proferat.

3. *Alium tertium paulo maiorem inuenimus ad radices montis oppido Medeling imminentis, tertio fere à Vienna miliari: firmioribus tamen & longioribus cauliculis eſt: flore etiam maiore, tametſi ſimiliter per oras profundè laciniato & odorato, colore nunc omnino albo, nunc dilutius quodammodo rubente, &, vt vocant, incarnato, villis breuibus purpureis vmbilici circumferentiam in vtroque genere occupantibus, nullis ſimiliter corniculis, ſed decem ſtaminibus vt in ſuperiore prominentibus: alioqui & foliis, & radice, & florendi tempore conueniunt.*

VI. *S E X T V S plures ab vna radice prodeuntes habet caules, cubitales, teretes, multis geniculis præditos: & in his bina ſemper folia caulem amplectentia, graminea, mucronata, reliquis Caryophylleis fere ſimilia, non tamen incana aut cæſia, ſed vireſcentia: flores in ſummis caulibus copioſos, oblōgioribus calyculis inſidētes, quinque foliis præditos, nunc candidos, nunc purpuraſcentes, atque in tenuiſſimas lacinias diſſectos, odoris ſuauiſſimi, & è longinquo nares ferientis, vmbilico vireſcente, & purpuraſcente lanugine hirſuto, è quo aliquot ſtaminula promment: in oblōgis deinde corniculis ſemen fert paleaceum, planum, & nigrum, reliquorum Caryophylleorum more: radix vti reliquorum fibroſa. Habent autem nouelli ſurculi latiora paulo folia, Armeriorum*

Caryophyl. ſil. 2. tenuiſsimè laciniato & albo flore.

rum



rum foliis proxima: sed angustiora, nec adeo virentia.

Sponte nascitur in humidioribus Viennensis agri pratis, seriusq́; reliquis floret, nempe Iulio, & toto interdum Augusto.

VII. Caryophyl. pumilio alpinus. SEPTIMI *folium est minutissimũ, gramineumq́; & quasi pungens, atque viride: adeò autem se propagat, vt magnos interdum cespites tegat, non secus atque muscus quidã totos illos obsidens: flosculi in singulis propaginibus è medio foliorum conspiciuntur, quinq. foliis bifidis constantes, colore rubro dilutiore siue carneo, qui tenuibus & vix digitum transuersum altis pediculis insident singuli, gratissimo spectaculo: semen in capitellis fuscis & splendentibus, renis forma (qua nota à reliquis Caryophylleis differt, & ad Lychnidum classem accedit) exiguum, subruffum: radix oblonga, nigricans, & multas propagines summa tellure faciens.*

Summis Austriacarum & Styriacarum alpium iugis inuenitur nudo petrosóq́; solo. Floret Iunio, semen Augusto plerumque maturitatem consequitur. At in hortos translatus hic Caryophylleus, etiam sub Aprilis finem floret: nõnunquam etiam secundo sub Septembris initium.

2. *Colore floris variat qui in Indenberg celsissimo Styriæ monte interdum nascitur, qui totus niueus est: alioqui in reliquis per omnia similis.*

VIII. Caryophyll. pumilio tauricus. OCTAVVS *haud multum à septimo differt: folia tamen paulo sunt crassiora & succulentiora, illius plantæ quæ vulgo Gramen marinum vocatur (tametsi in montanis aliisque locis procul à mari dissitis etiam sponte nascens inueniatur) foliis fere similia, frequentissima & confertissima, amariusculo sapore: inter quæ emicant pediculi verius quàm cauliculi, transuersum digitũ longi, geniculati, foliis binis inter se ad internodia oppo-*

Caryophylleus VIII.



dia oppositis: cauliculis insident prægrandes (pro stirpis proportione) & laxi calyces, lanuginosi, ex viridi purpurascentes, in quinque crenas divisi, vnde singulares emergunt flores, quinque foliis constantes, colore rubro dilutiore, inodori: semen obseruare non potui: radix satis crassa, subfusca, aliquot fibris donata, verùm circa caput sese summa tellure expandens, & in plures ramos diuidens, subinde nouas fibras agit.

Prouenit iisdem quibus Quartum genus locis, solo tenui & arena splendente referto.

Floret sub finem Iulij & Augusto.

Cantabrica Plini. Vetonica.

CARYOPHYLLEI *nomen inuenit hæc planta apud Herbariorum vulgus, quòd eius flores plerumque aromatici caryophylli odorem æmulentur. Sunt qui Vetonicā appellare malint. Nec desunt qui ad Plinij Cantabricam referendam putent. Incolæ quinque priora genera* Wild neglin/ Berg neglin *&* Steinneglin *indifferenter appellant, hoc est, siluestres, montanos & petræos caryophylleos. Sextum genus peculiariter* Zodbet neglin/ *id est, laciniatum siue dissectum caryophylleum Austriacæ mulieres, quibus ob odoris fragrātiam in deliciis est, nuncupant. Anguillara libro Opinionum* XII. *Theophrasti Diosanthon facere videtur. Gesnerus in epistolis septimū genus appellare videtur Muscum alpinum. Gallis omniā ista genera* Oeillets & Gyroflees sauuages *dici poterunt. Caryophylleus verò flos in genere Vngaris vulgo* Zëk fiu *dicitur.*

Diosanthos Theophr.

Passim in pratis, siluis, agrorum marginibus, aliisque herbosis locis hic sponte nascuntur & aliquot Caryophyllei siluestris siue Armerij floris genera. Sed quoniam ea, per reliquas Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, atque etiā, vt arbitror, Italiæ prouincias, obuia sunt: peculiarē illorū descriptionem dare hoc loco operæprecium non videtur.

ARME-

ARMERIVS *porro ille multiplici florum rubrorum glomere constans, & Belgis* Kepkens *vernacula lingua appellatus abunde in quibusdam pratis Nemethwywar Ill. D. de Batthyan vicinis qua occidentem spectat, sponte nascitur, atque ab Vngaris* Isten nyla, *id est, Dei sagitta nuncupatur.* Armerius pleno flore.

HVC *proculdubio referendæ sunt duæ illæ plantæ quæ à rei herbariæ studiosis Belgis Graminis marini maioris & minoris nomine appellantur: tametsi plerisque aliis locis procul à mari dissitis etiam sponte prouemant. Nam quod maius vocant, in summarū istarum Alpiū herbosis iugis frequēter inueni: memini etiam videre in viuario illo regio Madritiana silua vulgo nuncupato, secundo ab vrbe Lutetia miliari, vnde copiosum erui, & amicis in Belgicam misi. Nusquam verò, quod sciam, maritimis locis mihi conspectum est. Quod autem minus vocant, non modò in maritimis Angliæ & Belgicæ prouenit: sed in Morauiæ collibus copiose nascitur, atque non procul Praga itinere Viennensi: Saxoniæ etiam quibusdam herbidis locis, præsertim agro Witebergensi videre, & colligere memini ante multos annos.* Gramen marinum. maius. minus.

Neutrius descriptio hic à me expectanda est, cùm à Clariss. Viris Dodonæo & Lobelio cum suis iconibus edita sit: à Dod. quidem minor Graminis marini nomine: vtraq. verò à Lobelio Caryophylli marini & montani appellatione. Ab illis ergo requirere poterunt rei herbariæ studiosi.

CETERVM *Caryophylleorum facultates (quibus haud dubiè præditi sunt nonnulli ex iis quorum historiam hoc capite descripsi) diligentissimè persequutus est celeberrimus Matthiolus amplissimis suis in Dioscoridem Commentariis.*

De Lychnide silvestri.

Cap. XLII.

Lychnidis *silueſtris magna eſt etiam varietas. Nam licet multa genera præter vulgaria, in Hiſpanica mea peregrinatione obſeruata deſcripſerim: aliquot adhuc alia in his prouinciis ſeſe mihi obtulerunt, quæ minimè ſilentio premenda videntur.*

I. Lychnis ſil. flore rubro. Cvi, *ob florũ elegantiã, primum locũ damus, vnicus initio pedalis eſt caulis, geniculatus, mucagine glutinoſa, præſertim in ſummo, aſperſus, bina ex ſingulis geniculis ſibi inuicẽ oppoſita proferens folia, oblonga, Armerio quarto Dodonæi fere ſimilia, ſed firmiora, craſſiora, & viridiora: à medio fere ad ſummum multis floribus ex alarum ſinu in oblongis pediculis prodeuntibus onuſtus eſt, qui quinis extremo diuiſis ſed in rotundum bifidis foliis conſtant, & elegantiſſimo colore rubro ad purpuram tendente rutilant, coronula elatiore medium vmbilicum occupante, nullo tamen odore præditis: his ſuccedunt membranea, attamen duriuſcula capitula, circa pediculum anguſtiora, & craſſiore mucrone, quæ per maturitatem dehiſcunt & ſemen oſtendunt incluſum, minutum admodum, ex ruffo nigricans: radix craſſiuſcula, nigra, multas fibras ſpargit, & ſingulis annis nouos, eóſque numeroſiores caules profert.*

In omnibus fere Pannoniæ & Auſtriæ inferioris montanis ſiluis, editiśq; & herbidis locis inuenitur.

Floret Maio, ſemen Iunio matureſcit.

II. Lychnis ſil. albo flore. I. Mvlta *ſecundum radicem habet Altera folia digitalis longitudinis, ſenſim in latitudinem ſeſe explicantia, ſub extremum mucronata, viridia, nonnihil hirſuta, ad Lychnidis ſilueſtris flore albo, quæ in omnibus prouinciis vulgaris eſt, folia quodammodo accedentia, longè ta-*





inodori, quibus succedunt obtusa vascula, semine exiguo, nigricante, planoq; (qua nota quandam affinitatem cum Armeriis floribus habere videtur) referta: radicē habet fibrosam, uti similes & congeneres plantæ.

Sponte prouenit ad radices Alpium Styriacarum Snealben, supra monasterium Neuberg: sed copiose admodum in Etscher. Floret Maio & Iunio, & subinde semen profert: loco verò natiuo omnia serius.

2. *Aliud eius genus inuenitur in scopuloso illo prærup toq; iugo Durrestain nuncupato, secundo supra Gamingam miliari, multo minoribus & angustioribus foliis: flore etiam minore: in cæteris non dispar.*

Lychnides sil. aliæ promiscuæ. PORRO, *præter iam dictas, passim etiam hic occurrunt cùm in siluis, tùm montanis pratis vulgares Lychnides siluestres, flore albo, rubro, & virescente, & quæ Flos cuculi appellatur: quæq; nunc Ocimastri, nunc Ocimoidis, Polemonij, Papauerisq; spumei nomen à variis auctoribus recentioribus adepta sunt, Lobelius affinitatem quandam cum Melandryo Plinij, quod iocinori mederi scribit lib. 26. cap. 7. habere putat. Sed cùm breuem admodum & mutilam eius historiam tradat: an huic plantæ quadrare queat, difficulter quenquā iudicare posse existimo. Omnino autem ad Lychnidum siluestrium classem pertinere arbitror, cùm eas forma pulcherrimè referat.*

Melandryum Plin.

Vngari non modò priores duas, sed etiam reliquas vulgares siluestres Lychnides Vad zëk fiu, *id est siluestrem Caryophylleorum herbam appellant: nonnulli tamen priorem* Nywl zëk fiu, *hoc est, leporis Caryophylleam herbam vocant.*

DE HI-

De Hesperide.

CAP. XLIII.

Hesperidi nomen inditum, auctore Theophrasto lib. 6. de causis Plantarum capite 25. quòd nocte plus redoleat, quàm interdiu. Cui suffragatur Plinius Naturalis Historiæ lib. 21. cap. 7. Ad quam vero earum plantarum quæ hodie nobis sunt cognitæ, potissimùm referri debeat, plerique adhuc dubitant, cùm alias nullas notas reliquerint Veteres quibus dignosci queat. *Hesperis cur sic nuncupata.*

Communis tamen opinio obtinuit, vt ea quam nonnulli Matronalem violam vocant, & inter Leucoij genera referri debere videtur, Hesperidis nomen sibi proprium adscisceret: quoniam eius flos, sub vesperam præsertim, grato odore nares feriat, interdiu aut nullũ, aut leuissimum spiret. *Viola Matronalis.*

Nos ergo, vulgarem Herbariorum opinionẽ sequuti, Hesperidem appellamus, quæ Matronalis viola alio nomine dicitur, quòd matronis atque virginibus sit in deliciis. Eius verò duo alia genera, minimè, vt arbitror, ab aliis hactenus obseruata in medium proferemus.

Cubitali Prior excrescit altitudine, multisq; ramis prædita est, quos cõfuso ordine ambiũt folia, Matronali violæ similia, latiora tamen nonnihil & crassiora, gustu primùm acidiusculo, sed acri postea, & salinam ciente: extremis ramis in oblongis pediculis insident flores Leucoij aut Violæ matronalis floribus forma similes, quatuor foliolis vt illi constantes, sed non explicati, verùm sese contorquentes, & colore ineleganti admodum & obsoleto, hoc est, pallido vel furuo, infinitis venulis ex atro purpureis intercursantibus, odore interdiu nullo, aut adeò tenui vt vix naribus percipi possit, *1. Hesperis odoratis. montana.*

sed sub



sed sub vesperam gratissimo & suauissimo: flori succedunt oblonga, torosaque vt alterius cornicula, sed quadrangula, in quibus duplici serie continetur semen vulgari Hesperidi simile, subruffum: radix fibrosa, quam tamen biennium superare non arbitror.

Sponte primum nascentem & semine prægnantem anno Domini 1576. inueni in Prellenberg Hamburgensi mõti vicino, Vngariæque extremo, qua Austriam spectat, mense Iunio. Eius deinde semen terræ cõmissum subsequente vere, plantas mihi protulit quæ altero anno primum floruerunt Maio, deinde hyeme perierunt. An vero quod amicis in Belgicam misi semen natum sit, non intellexi.

ALTERA *vulgari Matronali violæ adeò similis est, vt ex vtriusque collatione vix discrimen conspici possit: etenim folia habet secundum radicem non minus ampla quàm illa, subhirsuta, viridia, per ambitum serrata: caulem cubitalem, multis alis concauum, ad quas alia breuiora & nonnihil ad pediculum laciniata nascuntur: flores in extremis ramis copiosos, quatuor foliis constantes, exalbidos, qui tẽporis successu purpurascũt: cornicula, semina, radix etiam ipsa cum vulgari omnino conueniunt: solo floris odore, cuius in hac nulla gratia percipitur, differunt. Solet etiam hæc plerumque altero ab germinatione anno, & à maturo semine perire.* II. Hesperis altera pãnonica, inodora siluestris.

Crescit passim Viennensi agro ad montium radices, & vinetorum in collibus sitorum margines. Floret cum vulgari, nempe Maio & Iunio.

PRIOREM *appellare licebit Hesperidem montanam: Alteram verò Hesperidem siluestrem.*

Matronalem autem violam tussi, conuulsis, & difficulter spirantibus mederi tradunt: vrinas insuper & sudores propellere, incidere, abstergere & digerere.

CETE-



CETERVM *quæ à nonnullis Viola latifolia, à florum cum Hesperidis & Leucoij floribus similitudine, vocatur, ab aliis autem Lunaria Græca & odorata, quòd siliquæ semine excusso splendidæ sint, & eius flores Leucoij aut Hesperidis florum odorem referãt, in montanis siluis Austriæ & Styriæ, & vicinarum Alpium siluosis locis, atque etiam in Pannonia interamni sponte abundanter prouenit. Quæ cùm à plerisque aliis sit descripta, eius historiam hîc retexere non est necesse.* Viola latifolia. Lunaria græca siue odorata.

DE LEVCOIO SILVESTRI.

CAP. XLIIII.

MVLTA *secundum radicem habet Leucoij, quod luteum florem gestat, foliis similia, nisi angustiora essent, viridia, gustu amaricante, inter quæ vnicus, interdum plures assurgunt caules pedales aut ampliores, striati, carinatis foliis obsiti, multos sustinentes flores quatuor foliis constantes, luteos Leucoij flore luteo florum æmulos, sed minores minusq́ odoratos: floribus succedunt oblongæ siliquæ siue cornicula vt in satiuo, semine plena: radix oblonga, candicans, & multis tenuibus fibris prædita est. Biennalem esse puto, & semine ad maturitatem perducto perire.* Leucoium sil.

Inuenitur in montibus illis supra Badenses thermas, & in Leytenberg locis meridiei obuersis & salebrosis. Floret Maio.

COMMODE *Leucoium siluestre appellari posse censeo: Rhizotomæ etiam mulierculæ* wild gelbe veyl *vocant. Vngari autem satiuum Leucoium luteum* Sarga viola *nuncupant, hoc est, luteam violam.*



De Primvla veris, siue Herba paralysi.

CAP. XLV.

Tametsi *in harum Prouinciarum pratis, locisq́ herbosis & montanis, atq. siluis nascantur aliquot eius herbæ quæ vulgo Herbariorũ Primula veris, & Herba paralysis vocatur, genera, qualia sunt elatior vtraq. flore luteo & pallido, atque humilis flore pallido, eæque simplici foliorum textura: peculiare tamẽ quoddam genus alunt nonnulla Viennensis agri, atque vicina prata vliginosa, quod ob florum elegantiam & venustatem, vt eius descriptionem hîc subiiciam, meretur.* Primulæ veris varia genera.

Germinat *autem primo vere foliis denis aut duodenis, initiò quasi in globum contractis, quæ deinde cum tempore sese explicant, & humi sparguntur, suntq́ exteriore parte incana, & veluti farina quadã aspersa, interna verò ex viridi pallentia, aliquantulum crispa dẽsiusculaque, Herbæ paralysi vulgari ferè similia, sed minora angustioraque, & minus rugosa, sapore acri, ex horum medio vnus aut plures assurgunt cauliculi dodrantales, interdum pedales, nudi, graciles, in summo incani, qui sustinent ex vno veluti capite atque in vmbella nascentes flores, octonos, denos, aut plures, Primulæ veris floribus forma similes, quinque bifidis foliolis constantes, qui magna ex parte eleganti dilutioreq́ purpura nitent, aut carneo colore sunt, interdũ saturè rubent, nonnunquam, (sed raro) omnino cãdidi sunt, omnes autem in vmbilico luteoli & aliquantulum odorati: semen deinde in oblongis vasculis admodum exile, fuluescens. Illud autem in hoc flore obseruaui, vt qui intensius rubeat, pistillum siue stilum prominentem habeat, quemadmodum nonnullarum Primularum flores: at dilutior minimè. Radices habet candicantes, fibrosas, ad qua-* Primula veris flore rubro.





rum caput noua subinde aliæ plantulæ secundum matrem germinant.

Sponte magna copia prouenit in vliginosis agri Viennensis (vt antè retuli) & vicinis pratis, ad Himberg, Waltenstorf, & Eberstorf Magⁱ D. Hieronymi Beck à Leopoldstorff arcē, Botenstorf, supra Badenses thermas versus Neapolim Austriæ. Floret verò sub finem Aprilis & toto fere Maio. Habui autem ex ijs quas in hortum transtuleram, plantā, quæ anno 1577. ex media florum vmbella cauliculum vncialem & ampliorem produceret aliam vmbellam elegantissimis floribus onustam sustinentem.

Hanc etiam siccam ad me misit D. Ioachimus Camerarius, passim Tyrolensi & Salzburgensi agris, vt ipse adscribebat, nascentem.

Anno verò 1581. dum Londini essem, de C.V.D. Pennæo intellexi copiosè admodum nasci in Angliæ Septentrionalibus locis pratis humidis & pascuis, atq; ab incolis Byrdeein/ *hoc est, auium oculos nuncupari: quæ adeò causa fuit, vt C.V. Dn. Richardus Garthex Hexarchatu Derby, vt Wybsey non procul Halysfire vrbe aliquot eius plantas suis floribus adhuc onustas ante meum Londino discessum adferri curaret, quibus etiam adiunctæ fuerunt aliquot Pinguiculæ, (de qua postea) stirpes, cum Trollio flore. Verùm eodem etiam apud illos nomine insignitur Cardamine illa pratensis vulgo flos Cuculi nuncupata.*

Quantum ex gustu deprehēdere licet, iisdem facultatibus præditam arbitror, quibus aliæ Primulæ veris præditæ sunt.

EANDEM *omnino esse puto, quam Iosias Simlerus commentario de Alpibus, ex C.V. Conradi Gesneri collectaneis describit in hunc modum.* Ne**y**serlin *herba pusilla,*

Neyserlin.

ſilla, albicãs Bellidis minimæ forma, in ſummo plurimos confertos flores purpureos habet, tota herba candicat, & attrita manu puluerem exuit, aſpectu elegans. Cæſar inter herbas aut Regulus.

VARIA *autem apud rei Herbariæ ſtudioſos obtinuit nomina Primula veris vulgo nuncupata Belgis. Nam ſunt qui* φλομίδες *Dioſcoridis eſſe putent, Fuchſius verbaſcula vertit. Alij Dodecatheon herbã, quam Plinius lib. 25. cap. 4. deſcribit foliis ſeptenis, lactucis ſimilimis, è lutea radice exeuntibus. Vulgus Herbam paralyſim, Clauem S. Petri, Itali Lactucam ſilueſtrem appellãt, Germani* Himelſchluſſel/ & Schluſſelblumen. *Vngari humilem, &* ἄκαυλον *maxima copia vbique in ſiluis cæduis apud eos naſcentem*, Kacha verág, *hoc eſt, pultis ex panico aut milio confectæ, (quam illi* Kacha *vocãt) florem. Hanc ego ſuperiore anno in Anglia, vbi etiam in cæduis ſiluis abunde prouenit, flore omnino niueo conſpexi, & aliquot ſtirpes amicis in Belgicam miſi. Sed quæ rubro flore eſt, à ruſticis mulierculis quæ flores eius manipulatim colligatos Viẽnam in forum deferunt, iiſque vendunt, quæ ſerta & corollas nectunt* Kreutzblumen *nuncupatur, eo quòd Maio menſe circa id tempus quod vulgari lingua* Kreutz wochen *(eæ ſunt rogationes) plerumque floreat.*

φλομὶς Dioſc. Dodecatheõ Plin. Herba paralyſis. Clauis S. Petri. Lactuca ſil.

DE AVRICVLA VRSI.

CAP. XLVI.

NON *dubium eſt quin ad Primularum claſſem referenda ſit venuſta hæc planta, ſic eas forma & temperamento æmulatur.*

Eius verò multa genera obſeruaui in Alpinis iſtis iugis, quæ omnia ſuo ordine deſcribemus, initium à vul-

Auricula vrſi 1.



gatiore, sed omnium odoratiore facientes.

ILLIVS *folia Primulæ veris foliis fere respondent, minimè tamen rugosa sunt, sed crassiora fabariæ foliorum in modum, nunc quasi farinæ polline conspersa & omnino incana, modò leuiter canescentia, interdum omnino viridia & læuia, omnia nonnunquam per ambitum serrata, aliquando nullis denticulis insignita, interdum nouella duntaxat, vetusta minimè, omnia autem gustu amara. Ex horum medio, aut è lateribus cauliculi prodeunt dodrantales, aut minores, nudi, veluti farina quadam conspersi, qui denos, vicenos, tricenos, interdum plures (præsertim si in hortis colatur, vbi admodum luxuriat) flores sustinent ex vno veluti capite æqualiter prodeuntes, & pediculis (quos veluti squammulæ quædam incanæ ab inuicem segregant) breuibúsque calyculis inhærentes, Primulæ veris similes, quinis aut senis diuisuris constantes, dulcem & melleum quendam odorem spirantes, nunc luteos, nunc pallentes, modò maiores & ampliores, modò minores, omnes interius circa vmbilicum albo circulo insignitos, stilo inter stamina nonnunquam prominente, interdum autem nullo: semen deinde fuscum, inæquale, bullatis vasculis inclusum, quale Primularum veris: radix crassa est, & multis candidis oblongísque fibris prædita, ex qua, si colatur & pangatur, plures plantæ enasci solent.* I. Auricula vrsi luteo flore.

Crescit in Sneberg, Neuberg, Etscher, & aliis vicinis Styriacísque alpibus, montéque Gleysenfeld imminenti: deinde multo lætiorem copiosè inuenimus in scopulo Medeling oppido (quod duobus aut paulo amplius miliaribus ab vrbe Vienna distat) imminenti, qua Septentrionem spectat, vnde rhizotomæ mulierculæ, cùm florum manipulos, tum ipsas interdum stirpes adferunt. Auricula vrsi rubro flore.

ALTERIVS *folia breuiora sunt, latiora plerumque, &* II.



que, & initio quasi subrotunda, quæ temporis successu angustiora circa radicem redduntur, crassa quidem illa, sed minus quàm superiora, per ambitum serrata, superne viridia & lævia, infernè ex viridi pallescentia: inter quæ cauliculus exit nudus, duas vncias longus aut paulo amplior, cui insident seni, octoni, aut plures flores simul in capitulo aut in vmbella congesti vt in superiore, illique forma similes, sed maiores, colore rubro nitentes, obscuriore initio, quasi mororum succo infecti essent, deinde eleganti & dilucida rubráque purpura gratissimi, intus circa vmbilicum pallentes & exalbidi, odorati quidem illi, sed minus superioribus: semen nigrum inæquale, minus & in capitulis longè minoribus: radix priori similis.

H A N C *frustra per istarum Prouinciarum altissima iuga quæsiui: primùm antè mihi cõspecta est in cultissimo horto C. V. D. Ioannis Aicholzij Medici & Professoris Viennensis amici mei veteris & hospitis charissimi, quam à Nobili quadam matrona antè acceperat, sed vnde illi primùm communicata fuisset, ipse ignorabat. In Oenipontinis tãdem et vicinis alpibus copiosè nasci postea intellexi.*

I N *Tyrolensibus verò iugis, præsertim in Kitzspil inueniri audio Tertiũ genus foliis quàm superioris minoribus, teneriorĭbus, minusq; crassis, subhirsutis, & per ambitum vndique serratis, inter quæ nascitur cauliculus superiori similis, florésque ferens in vmbella persimiles, & rubros, exalbidis tamen quibusdam maculis respersos, cuius radix similiter fibrosa, & è latcribus nouas propagines fundens.* III. Auricula vrsi flore vario.

Eam primùm mihi ostendit cum multis aliis raris stirpibus quas in exculto suo horto alit C. V. D. Ioachimus Camerarius inclytæ Reipub. Noribergensis primarius

marius

marius Medicus, dum anno 1579. in Belgicam proficiscerer, & deinde tum eodem anno reduci, cùm anno 1581. ex Anglia Viennam reuertenti, illius paucula adnata communicauit: sed priora perierunt, neque altera satis firma sunt, sed quasi contabuerunt. Eodem cum aliis generibus tempore florere mihi dixit.

IIII. Auricula vrsi carnei coloris. QVARTA *minoribus est quàm Secũda etiã foliis, carnosis, mucronatis, & per ambitũ minimè serratis, supernè leuibus & splẽdentibus, infernè cãdicantibus & venosis, minore acrimonia & amaritudine præditis quàm aliarum folia: flores illi superiori similes, profundioribus incisuris secti, colore dilutius rubente, intus circa vmbilicum incana quadam lanugine hirsuti, stilo prominente, inodori, ex longioribus calyculis bini, terni, aut ad summum quaterni nascentes, quos sustinent vnciales cauliculi, rarò longiores: semen in capitulis paruis, reliquis maius & fuscum: radix minor & nigricans, atque adeò numerosa interdum sobole se propagans, vt latissimos cespites occupet.*

Inuenitur in Sneberg, reliquísque vicinis iugis & Styriæ alpibus frequentissima.


V. Auricula vrsi angustifolia. QVINTA *nititur crassiuscula radice, Quartæ haud dissimili, multis fibris candicantibus capillata: ex qua angusta folia quina aut sena, succulenta & pinguia, proximæ descriptæ foliis multo angustiora, à medio ad extremum vsque per ambitum serrata, gustu amaro prodeunt: cauliculus inter ea nascitur digitalis longitudinis, nudus & læuis sustinens capitulum è foliolis compactum, vnde quaterni aut quini flores elegantissimi, colore dilutius rubente, quinque foliis, vti reliquorum constantes: semen non obseruaui, capitula tamen proximæ similia habere conspexi.*

Crescit



Crescit hæc in quibusdã alpibus Carinthiæ, & Styriæ superioris, præsertim verò Tauro monte & Iudenbergi iugis. Floret sub finem Iulij, hoc est, niuibus in summis illis iugis liquescentibus. Rara hæc, quoniã ex procul dissitis mõtibus delata, in vnius Aicholtzij horto paucos annos perdurauit, omnem cultum ita respuẽs, vt nunquam ad frugem peruenire, imò ne florem quidem proferre voluerit.

Auricula vrsi VI.



VI. Auricula vrsi minima.

SEXTÆ *folia vnguem magnitudine vix æquant, infernè circa sedem angustiora, supernè & in extremo latiora fimbriataque, viridia, neruosa, superioribus minus densa, gustu amaro: pedicellus inter folia exilit vix digitum transuersum altus, qui vnicum, interdum alterum sustinet florem, quinis bifidis foliis constantem, colore dilutius rubente, siue carneo, Quartæ flori non multum*

multum absimili, è calyculo fimbriato sed obtusiore prodeuntem, inodorum, intus etiam circa vmbilicum candida lanugine pubescentem nullo prominente stilo: neq. huius semen obseruare mihi licuit, cùm non quouis tempore istud iugum vbi nascitur conscendere propter difficultates potuerimus, nec in hortos translata ad frugem vnquam peruenerit: simile tamen reliquis esse existimo: adnatis mirum in modum se propagat, & interdum totum cespitem densissimè occupat, candicantes fibras è singulis propaginibus demittens.

In summo Sneberg iugo primus istam obseruaui anno 1574. neq. vllo alio vicino iugo postea mihi sese obtulit.

Inuenitur, sed rarissimè, in supra memoratis iugis Tauro & Iudenberg aliud genus per omnia simile, sed paulo candidioribus foliis, quod flore omnino niueo est. 2. Auricula vrsi minima flore niueo.

Florent omnes Iunio, interdum Iulio & Augusto, videlicet statim post solutas, in ijs iugis vbi crescunt, niues, interdum etiam sub ipsa quasi niue, & concamerata niuis crusta, reliqua Solis repercussione & radijs circum soluta. In hortos verò translata Aprili florent, & aliquando iterum Autumno, si aura sit temperatior. Tertiam & Quintam excipio, quæ vel statim cõtabuerunt, vel nulla, vt dixi, diligentia ad florem perduci potuerunt.

OMNIA *ista genera, præter tertium, primus omnium Belgicæ communicaui, missis ad Ill. v. Ioannem de Brancion p.m. amicum fratris loco mihi carissimum, & post eius obitum ad Magnific. V. Ioannem vander Dilft eius agnatum, & complures alios amicos, eorum plantis, primulaq; veris rubro flore, & rarissimis alijs alpinis stirpibus: prior autem species iam antè Belgicæ inquilina facta fuerat liberalitate C. V. Alphonsi Pancij Ferrariensis medici.*

Iosias

Iosias Simlerus cõmentario de Alpibus, aliquot eius genera recenset, ex Gesneri collectaneis, vt ipse refert, desumpta: nempe flore luteo, pallido, purpurascente, rubescente sanguinis modo, cinereo & atro colore: quas postremas duas nunquam mihi conspectas esse ingenuè fateor, nisi per cinereum intelligat quartum genus, cuius flos marcescens veluti cinereum colorem contrahit; & per atrum, secundi generis florem primum sese explicantem, quem obscuriorem, & veluti mororum succo infectum initio esse dixi.

QVO *nomine veteribus dicta sit hæc planta, ignoramus: Recentiores autem varia illi indiderunt nomina. Matthiolus enim inter Saniculæ genera recenset, & Herbariis Auriculam vrsi vocari tradit. Gesnerus libello de Lunariis herbis, Lunariam Arthriticam appellare maluit.* Lunaria arthritica. *Alij Paralyticam alpinam nuncuparunt: vulgarius tamen apud rei herbariæ studiosos nomen est Auriculæ vrsi.* Paralytica alpina. *Heluetiis* Flublumle, *hoc est, rupium flosculus dicitur. Harum Alpium incolis prior* Craftkraut, *&* Schwindelkraut *ab effectu dicitur, commendant enim eius radicis vsum, ad roborandum caput, ne vertigine in præcipitiis tẽtetur, ideoq́; caprearum & ibicum venatoribus nõ minus familiaris quàm Doronici radix. Medlingenses, apud quos copiose nasci dixi,* Wolfmechende Schlussel blumen, *id est, odoratam primulam appellant: secundum genus & tertium* Rotte schlussel blumen *ab incolis vocantur: Quartum genus,* Stainroslin, *hoc est, petræam rosulam, ob elegantem & roseum colorem, quodq́; in scopulis nascatur, montani pastores nuncupant. Quinta apud Styriæ superioris incolas montanos* Rofs speick *nomen inuenit, id est, equina nardus seu spica, ad differentiam Nardi siue spica Celticæ, quæ abũdanter in eodem iugo Judenberg na-*

berg nascitur, vt in eius historia dicemus.

GESNERVS *libro de Lunariis herbis, prioris radicem vinum suo odore commendare scribit, manducatam verò, dentium dolores, præsertim à frigida defluxione obortos iuuare, capiti frigido, & partibus neruosis prodesse, putrida vlcera emendare, scissuras in cute hiantes, ventorum, frigoris, aut alia quapiam iniuria, succum eius instillatum breuissimè sanare.*

Matthiolus ad enterocelas & thoracis vulnera, si quotidie in potu sumatur, vtilem esse, quin & ad alia vulnera tam intus sumptam, quàm exterius illitam.

Hîc soli, vt dixi, mōtani venatores eius radice vtuntur, à reliquis negligitur, præterquam à mulierculis, quæ ex eius floribus serta & corollas conficiunt.

DE SOLDANELLA ALPINA.

CAP. XLVII.

NATALIVM *communio & floris venustas facit, vt superioribus subiungam hanc elegantissimam plantam, cum aliquot aliis.*

HABET *verò sena aut octona folia, crassa, in orbem ferè circinata, brassicæ marinæ, quā vulgo soldanellam vocant, æmula, sed duriora, supernè viridia, infernè dilutiore virore splendentia, gustu primùm exiccante, deinde acri & ingrato: flores gerit in læui, nudo, gracili, subrubro, dodrantaliq; cauliculo binos, ternos, aut plures, purpuræ colore nunc saturatiore, nunc dilutiore, inodoros, campanulæ modo efformatos, deorsum spectantes, & propendentes, vnico folio in quinque profundas crenas (quæ aliquantulum laciniatæ sunt) & totidem alias singulares diuiso, constantes, è medio protuberante veluti quodam vmbone cum lōgo stilo, qui in capitellum euadit, vel corniculum potius, oblongum, durum, mem-* Soldanellæ alpinæ historia.



braneum, mucronatum, ſemen continens paruum, durum, vireſcens, ſimul congeſtum: radices fibroſæ candicantes ex vno veluti capite dependent, quod adnatis ſe propagat.

Copioſe naſcitur in Auſtriæ & Styriæ alpibus perpetua niue obſitis: nuſquam verò lætiorem aut abundantiorem conſpexi, quàm in iugo Wechſel nuncupato ſupra Aſchpang Magnifici Dn. Eraſmi à Khunigſperg, p.m. liberi Baronis; vbi anno 1576. vnicā plantam flore omnino niueo inueni.

Floret iſtic Iunio, interdum etiam Iulio & Auguſto, quemadmodum niues maturius aut ſerius liqueſcunt & diſſoluuntur. In hortos verò tranſlata etiam Aprili cum primula veris rubra floret: difficulter autem cicurari poteſt.

Est *& aliud genus minore folio, neque circa pediculum adeò circinato, ſed paulatim ab ipſo pediculo in latitudinem excreſcente, breuiore gracilioréq; pediculo.* 2.

Inueni etiam anno 1578. in aſcenſu montis Herren 3.
alben (vnde poſtea iter eſt ad celſiſſimum iugum & ſcopulum Durrenſtain duobus ſupra Gamingam milliaribus) locis vmbroſis quoddā genus amplis foliis, ſed tenellis admodum, quæ parte inferiore non virebant ſuperiorum modo, verùm non minus rubeſcebant quàm Cyclamini flore odorato folia.

Soldanellæ *nomen inditum, quòd eius folia Soldanellæ marinæ foliis ſint admodum ſimilia: vulgare nomen nullum ediſcere potui ab alpinis Paſtoribus & Venatoribus.*

Sed neque vllas ipſius facultates notas habent. Noſter verò Lobelius, Empiricum quendam foliis vſum ad aquas in aſcite educendas, vulneribusq; cicatricem obducendam, aſſerit.

De Violis montanis.

Cap. XLVIII.

Dvo *Violæ raræ nec antè mihi conspecta genera in Austriacis & Styriacis alpibus inueni, quæ propter venustatē studiosis rei herbariæ nota facere non dubitaui.*

I. Folia *habet Prior nigræ violæ ferè similia, minora tamen, breuiora, & è viridi colore pallescentia, gustu calidaq; angulosos cauliculos, in quibus bini aut terni sunt flores ex alarum sinu prodeuntes, violâ minores, colore luteo, inodori, quinq; foliis constantes, quorum infimum maiusculum est, & quinque radiolis siue neruis nigris interiore parte distinctum, reliqua verò exteriore parte: semen in triangulis capitulis, quæ per maturitatem dehiscunt, exiguum, nigricans, aliis violis simile, præsertim tricolori: radix alba, crassiuscula, multas propagines è lateribus procreat, candidisq; fibris hirsuta est.*

Viola montana flore luteo.

Abundanter nascitur in omnibus Austriæ & Styriæ alpibus: & floret Iunio atque Iulio, in cultis autem Aprili. In Borealis Angliæ montibus inueniri etiam intellexi.

II. Exit *Altera in summi Sneberg iugi vertice, foliis perquàm exiguis, & quasi circinatæ rotunditatis, per ambitum leuiter serratis, crassiusculis, oblongo pediculo inhærentibus: cauliculus assurgit è medio foliorum duas vncias longus, vnicum florem sustinens purpureū, vulgari similem, sed multo maiorem, & inodorum: cui succedit siliqua triangula: radix nonnihil serpit, & aliquot fibris donata est: floret sub finem Iunij.*

Viola montana purp. flore.

Freqvens *in harum Prouinciarum nemoribus occurrit elatior illa martia Viola, cauliculis firmioribus & erectis, quam cur Matthiolus arborescentem cognominarit, nullam rationem video.*

Viola arborescens Matthioli.



CETERVM *non potui elegantissimi huius floris nec ante annum 1579 mihi conspecti descriptionem hoc loco non inserere: licet in Pannonia non sit mihi obseruatus, sed eius cognitionem acceptam feram C. V. Ioachimo Camerario, in cuius horto alebatur.*

III. Viola tricolor odoratissima.

PLVRIMOS *porro ex vna radice pedales profert caules angulosos, & admodum ramosos, quos per interualla ambiũt folia tricoloris violæ foliis fere similia, longiora, crassioraq́, & succi plena, leuiter & rarius dentata, apophysibus ad latera oblongis, & profundè laciniatis, sapore amariusculo, & nonnihil acri: ex summis alis oblongi oriuntur pediculi, triangulares tenelli, sustinentes singuli florem omnium quos in hoc genere viderim maximum, quinis foliis, vt vulgaris, constantem, quorum duo superiora extremis oris ex cæruleo purpurascunt, & circa umbilicum pallidi sunt coloris; duo in latera expansa illis minora; colore luteo maculis ex cæruleo purpurascentibus resperso, trinisq́; purpureis radiis ex vmbilico emicantibus insigniuntur, inferius latissimum est aurei fere coloris, septenis radiis purpureis ab vmbilico intercursantibus, maculaq́ ex cæruleo purpurascente infimo labro notatum, odor suauissimus: capitula crassiuscula, quæ in ternas partes dehiscentia semen ostendunt vti aliæ, pusillum rotundum, per maturitatem fuscum, tricoloris violæ semini proximum: radix fibrosa est & perennis: facilè etiam ramulis in terram defixis propagatur.*

Sponte in Helueticis montibus nasci ferunt, vnde Illmᵃ Princeps à Cassel erutam accepit, ipsiq́ Camerario communicauit. Floret propemodum tota æstate.

2. ALIVD *autem genus per omnia ei simile, floris colore excepto, apud Illustrissimũ Principem Wilhelmum Landgrauium Hassiæ, &c. in cultissimo ipsius Celᵈⁱⁿⁱˢ horto*

Viola montana III.



horto Caſſellis anno 1581. obſeruaui: nam qui in ſuperiore varius eſt color, in hoc omnino flauus eſt, radiis purpurantibus ex vmbilico emicantibus magnam gratiam flori adferentibus: aliquantulum etiam odoratior videtur.

De Pingvicvla.

Cap. XLIX.

Pinguicula Geſneri.

Venvsta & *elegans etiam eſt hæc planta, quæ quaterna aut quina habet foliola, Gentianellæ ferè ſimilia, circa radicem latiuſcula, deinde in mucronem desinentia, ſatis denſa, & pinguia, ſucculentaq́ue, tenella tamen, & colore dilutius virente, ſapore amaricante: ex horum meditullio vnicus aut plures oriuntur cauliculi, nudi, dodrantales, tenelli & exiles, quibus inſidet ſingulares flores, interdum albi, nonnunquam purpurei, cauda ſiue calcari prominente, quemadmodum in Conſolidæ regalis vulgo dictæ ſiue Cymbalariæ flore: iis ſuccedũt rotunda capitula mucronato apice, minutum, oblongum & nigricans ſemẽ continentia: radices tenues ſunt, fibroſæ & candicantes.*

Quæ albo eſt flore ſponte prouenit non modò in Sneberg, Durrenſtain, aliisq́ue alpium iugis in locis à ſolutâ recens niue adhuc madentibus: ſed etiam permixta illi quæ purpureo eſt flore in omnibus ferè pratis vliginoſis, in quibus creſcit Primula flore rubro: vbi Maio floret, & Iunio ſemen profert: in Alpibus verò ſerius hæc omnia.

Qvo *nomine dicenda eſſet hæc plantula diu ambegimus: placuit tandẽ id illi relinquere, quo à C. Geſnero, in deſcriptione montis Fracti non procul à Lucerna celebri Heluetiorum vrbe ſiti, donata eſt, donec commodius aliquod reperimus.*

Pin-



PINGVICVLA, *inquit, ut ficto à nobis nomine appellatur, florem cæruleum ut viola martia profert, inodorum: folia humida, mollia, læuia, absque neruo (ni fallor) ut lingulaca vel ophioglossus: nascitur in palustribus. Hæc ille.*

Lingulaca Plinij. *Quid si verò Lingua vel Lingulaca Plinij sit, quam lib. 24. cap. 19. & lib. 25 cap. 11. circa fontes nasci tradit! Verùm nos nihil hîc asserimus, sed inquirendi dũtaxat causâ hæc scribimus. Nullum vulgare nomen à montanis pastoribus, neque à Viennensis agri incolis, quod intellexerim, obtinuit. Et haud scio an apud illos aliquo medico in usu sit.*

Retulit mihi anno 1581. C.V. Pennæus Londinensis medicus hanc plantulam tam quæ flore cæruleo est, quàm quæ albo, plerisque Angliæ locis inueniri (ut ipsa experientia verum esse postea me docuit, quẽadmodum capite 46. huius libri annotauimus) & à Borealibus, apud quos Primulæ veris rubro flore permista crescit, Butterwort/ *id est, butyri radicẽ à pinguedine butyro simili qua fissuras in vaccarum uberibus sanare solent, appellari: à Meridionalibus verò Anglis (apud quos etiam crescit)* Whyt root *vocari, quia oues interficit, si ob cibi penuriam illa vescantur.*

DE RANVNCVLIS MONTANIS.

CAP. L.

NASCVNTVR *in vtraque Pannonia Noricíq, parte varia Ranunculi genera, quæ passim in aliis Prouinciis crescunt. Sed aliquot alia in harum prouinciarum altissimis iugis conspeximus, quæ à reliquis herbariæ rei Scriptoribus vix obseruata esse animaduerto. Itaque omnibus medicæ materiæ studiosis gratum me facturum existimaui, si eorum historiam illis etiam communicarem.*

MVLTA

MVLTA *parua, rotunda & quasi circino circum-* I. *scripta habet Prior folia, aliquot crenis diuisa, & per* Ranunculus minimus flo. albo. *ambitum serrata, atro virore superne splendentia, crassa, carnosaq́; & gustu feruidissimo: ex horum medio flos emicat quinque albis foliis constans, staminibus in medio croceis, inodorus, qui pediculo tenui, singulari, vixque dodrantem æquante innascitur: quo defluente succedit capitulum quemadmodum in aliis ranunculis immaturo frago simile, quod ex minuto semine simul congesto constat. radix multis albicantibus fibris prædita est.*

Eius altera species est, cuius folia in tres profundas 2. *lacinias diuisa, eaq́; denuo aliquoties incisa sunt: flos amplior, & interdū quasi duplici foliorum ordine constans: alioqui & colore, & florendi tempore superiori par: radix etiam quemadmodum in illo superna parte nonnihil extuberat, & fibris donata est.*

Exit vtraque species in summis Sneberg & vicinarum Alpiū iugis confragoso solo, & fere in ipsis scopulorum fissuris: Iunioq́; interdum floret, nonnunquam serius, statim post solutas istic niues: in hortis verò maturè admodum, & ante alios ranunculos Aprili.

ALTER *quina aut sena promit folia, magna, viridia, dura, Ranunculi foliis qui Trollius flos à nonnul-* II. *lis vocatur, haud absimilia, nonnihil hirsuta, tribus cre-* Ranuncul. alpin. albo flore. *nis ad vmbilicum vsque, deinde aliis minus profundis diuisa, sapore primùm dulci, deinde nonnihil amaro, pediculis firmis & crassis innitentia pedalis longitudinis: caulem cubitalem, nudum, nullis ramis brachiatum, firmum, hirsutū aliquantulum, intus cauum, qui in summo trina habet folia contigua, profundè laciniata, Anemones fere modo, deinceps diuiditur in quatuor aut quinque oblongos pediculos, singulos vnicum florem sustinentes album, quinis foliis satis magnis constantem,*

multis



Ranunculi montani 1. species altera.





multis in medio staminibus luteis, vtcumque odoratum: flore excusso, capitula apparent semine plano & magno onusta: radix veluti præmorsa, & multis nigricantibus fibris prædita est.

Frequens est in Sneberg, Snealben, aliarumq; Alpium pratis: floretq; Iunio, semen maturitatem adipiscitur Augusto.

In celsioribus tamen earundem Alpium iugis nascitur multo humilior & hirsutior, pedalem altitudinem non excedens, flore paulo maiore, & qui Narcissi medio lutei florem æquare possit, atque odoratiore, foliis amarioribus & acrioribus, tametsi gustata, initio quandam dulcedinem præ se ferant. Serius floret altero. 2. Ranuncul. alpin. Narcissi flore.

PROXIME huc sequi debet pulcherrimus ille Ranunculus alpinus, cuius iconem & descriptionem D. Thomæ Pennæi liberalitate consequutus sum. III.

Quatuor autem, quinque vel sex à radice profert folia longis pediculis nitentia, in quinque, sex, vel aliquando septem præcipuas partes Ranunculi more diuisa, parte prona fere cæsia, supina verò ex nigro viridia: ex horum medio vnicus caulis ab radice oritur, longitudine pedem æquans, nudus, folia in summo fere emittens oblonga, maxima ex parte in tres lacinias per extremum diuisa, è quorum medio pediculi tres, quatuor, quinque, interdum sex vel septem oriuntur, duos digitos transuersos longi, vnico vel duobus foliolis subinde ornati, quorum singuli florem sustinent pulchrum, ex quinque foliis orbicularibus constantem, quæ inferius purpurascunt, superius iuxta latera ex albo purpurea sunt, reliqua parte albissima, multis luteis staminibus medium occupantibus, calycéque ex quinque foliolis herbaceis constante: semina vt in ranunculis compacta, ex nigro purpurea & mucronata, parum compressa, Ranuncul. mont. purpurascente flore.

paulo



paulo quàm in aliis ranunculis maiora: radix in summo setosa, multipliciter diuisa, sæpius cruciatæ modo dissecta, & in multas fibras diuaricata. Tota verò planta pilosa est.

Crescit copiosè in monte Iura, è regione vrbis Geneuensis. Floret Iunio & Iulio, semina Augusto matura.

FOLIA *Quarto magna in quinque lacinias secta, viridia & per ambitũ serrata, inferne dilutiora & splendentia, dura, neruosa, quæ præmãsa nullam manifestam acrimoniam, sed amarorem potius exerunt: caulis cubitalis, firmus, licet tenuis, læuis, nodosus aut geniculatus, in multas alas à medio ad summum sparsus: in quibus flores vtcunque magni, secundo tamen minores, quinque foliis constantes, tenelli, toti lactei, aliquantulum odorati, staminibus in medio pallentibus, capituli rudimentum ambientibus, quod ex seminibus aliis ranunculis ferè similibus simul congestis constat: radix præmorsa videtur quemadmodum secundi, multasq; longas & candicantes fibras habet.* IIII. Ranuncul. alpin. maior albo flo.

Prouenit copiosè in ascensu Wechsel, Sneberg, aliorumq; vicinorum montium locis siluosis. Floret cum Secundo: sed in cultis Maio, semen verò maturescit Iunio.

Iisdem quoque locis inuenitur Ranunculus ille albo flore, quẽ Clariss. Dodonæus libro de Deleteriis & Perniciosis descripsit. Sed ab isto differt: etenim humilior est, folia habet læuiora, & nonnihil atriora, flores rariores & minores, in obliquum nascentibus pediculis inhærentes: maturius etiam floret. 2.

Huic congenerem flore pleno niueo, vt alebatur à Mag° D. Ioanne vander Dilft amico mihi obseruando, qui illius iconem è Belgica vsq; mihi huc misit, nusquam in istis iugis obseruare potui. Arbitror illi natam Ranunculus flore polyphyllo albo.



fuisse ex iis plātis, quæ paulo ante quàm à Cæsare Maximiliano II. huc accersitus, è Belgica discederem, Illri viro D. Joanni de Brancion eius consanguineo ex Burgundicis alpibus missæ fuerant. Eius deinde planta à C.V. Ioachimo Camerario mihi communicata est.

QVINTVS, *omnium quos vnquam viderim maximus, multa admodum ampla & densa habet folia, ficulneis haud minora, quinque profundis incisuris diuisa, per ambitum nihilominus serrata, colore dilutius virente splendentia, subhirsuta, acria admodum & linguam vellicantia: cubitales caules, digiti crassitie, firmos, hirsutos, superiore parte in aliquot ramos diuisos: qui multos flores sustinent quinque foliis constantes reliquorum ranunculorum modo, & luteo auri splendore fulgentes: semen reliquis vulgaribus simile, in capitula congestū: radicum loco multas candicātes fibras habet.* V. Ranunculus platyphyllos flo. luteo.

Crescit in nemoribus & vmbrosis locis atq; decliuibus omnium istarum alpium iuxta riuulos è liquescente niue profluentes: in nonnullis item vmbrosis pratis ad Viennensem saltum, & vltra Drauum. In hortis & pratis Maio floret: in Alpibus verò Iunio aut serius.

IOSIAS *Simlerus cōmentario de Alpibus Prioris meminisse videtur, quem ab Helueticarum alpium accolis* Jegerkraut, *hoc est, Venatorum herbam appellari scribit: Montani isti pastores & venatores,* fieberkraut *vocant, & ad febres pellendas (vnde nomen) contusis foliis carpo admotis vtuntur. Secundo & Quarto venatores* Abbeiss, *et* Teuffel abbeis, *id est, Pramorsæ & Diaboli morsus nomen indiderunt. Quintus nullam peculiarem appellationem quod intellexerim habet: non incommodè tamen meo iudicio* πλατύφυλλος *à foliorum amplitudine cognominabitur. Vngari Ranunculum in genere* Beka fiu *vocant.*

Trollius flos. PORRO *Ranunculi illius quem Gesnerus in descriptione Montis fracti Trollium florem vulgo dici scribit, quiq; quintus inter externos est Dodonæo lib 4. de Deleteriis & perniciosis herbis, flore in globum collecto,*
1. *duo in istarum alpium pratis obseruaui genera: maius*
2. *vnum, ampliore flore & aureo: alterum minus, flore paulo minore & colore quasi ex viridi pallescente, foliorũ alioqui forma, capitulis, semineq; nigro & radicibus inter se conueniunt. Eum etiam superiore anno in Anglia inter primulas flore rubro erutum vidi.*

Ranuncul. illyric. *Eius Ranunculi quem vulgo Illyricum cognominãt, quemq; primus in Hamburgensi monte sponte nascentem deprehendi anno 1574. historiam lib. 2. Rariorum stirp. à me per Hispanias obseruatarum dedi.*

Thora Valdensium. ETIAM *inter Ranunculi genera referenda videtur ea planta, quæ apud rei herbariæ studiosos Thoræ Valdensium nomen obtinuit, & à Doctiss. Gesnero plerisque locis Aconitum primum Dioscoridis esse censetur: de quo peculiaris Asseueratio post ipsius epistolas opera Casparis Wolfij editas, inserta est, vbi Plinij Cyclaminum tertiam lib. 25. cap. 9. & Limeum eiusdem lib. 27. cap. 11. descripta, esse contendit.*

Illum etiam anno 1578. obseruauimus in Etscheri summi iugi præcipitiis atque scopulis tenui terra coopertis, ad meridiem obuersis mense Augusto: atque paulo pòst in alio iugo Sneberg vicino frequentiorem & vberiorem. Folio tamen breuiore esse quàm Valdensium Thoræ, siue illius quæ ex monte Baldo eruitur, superna etiam parte magis inciso & latiore deprehendi. Huius prætereà flos quinis foliis constat, cùm illorum quaternis duntaxat foliis exprimatur. cetera satis conueniunt.

DE RA-

De Ranvncvlo Byzantino siue Asiatico. cap. LI.

Qvoniam de Ranunculis iam egimus, non incommodè in hunc locum reuocari posse existimo elegantis illius et verè rari Ranunculi cuius in Appendice ad Hispanicas obseruationes memini, historiam: quoniam post aliquot tandem annos Constantinopoli planta missa est illius quidem nomine insignita, sed quam ab ipso nonnihil differre experientia nos docuit, vt ex eius historia cuilibet patebit.

Pedalem *igitur ille, quemadmodum diximus, habet caulem, in duos aut plures ramos diuisum, quorum extremitatibus insident flores magni, multiplicique foliorum glomeratione constantes (vt in Ranunculo vulgari tuberoso flore multiplici) sed pulcherrimo cocci colore rubentes: folia circa radicem quina aut sena diluto virore nitentia, media forma inter palustris & echinati Ranunculorum folia: quæ verò per caulem sparsa sunt, minora, nec adeò incisa, nec admodum frequentia: multæ illi radices simul congestæ, Lusitanici Ranunculi radicibus persimiles, asphodeliformes, flauescentes.* I. Ranũcul. polyphyll. flore coccineo.

Hanc descriptionem concinnaui non ex viua planta, sed ex icone viuis coloribus expressa, quã generosus Dn. Carolus Rym Dn. de Eeckebeke defuncto quinquennali Cæsarei Legati apud Turcarum Imperatorem munere Constãtinopoli rediens mihi liberalissimè cõmunicauit.

Ranvncvli *antẽ Constãtinopolitani siue Byzantini cognomen illi dedi, quòd quibusdam hortis Byzantio vicinis & in eius Vrbis conspectu, vltra tamen Bosphorum sitis inueniri intellexissem; qua fortè ratione Asiaticum vocare præstaret.*

Huius iconem tametsi ego & alij aliquot Constanti-

polim postea miserimus, vt plantam quam hac pictura referebat, ad nos perferendam curarent; nunquam consequi potuimus. Sed Anemonem latifoliam pleno flore miserunt, negantes eum ranunculum aut notum, aut vnquam sibi conspectum.

ANNO *tamen 1580. curante Mag^co Dn. Wolfgango Christophoro ab EntZestorf, qui iconem Cōstantinopolim praecedente anno miserat, aliquot radices allatae sunt Ranunculi Constantinopolitani, & Tarobolos* catamer *nomine insignitae.*

Tarobolos catamer.

VERVM *ex duabus plantis quas mihi reliquit fur domesticus & fugitiuus (qui meum hortulum, dum superiore anno abfui, suo decore spoliauit) vna hoc anno 1582. quo meae historiae descriptionē absoluo, binos flores Maio mense protulit, quorū alter vitium fecit, nec ad frugem peruenit: alter autem magna cum mea laetitia sese explicauit, cuius historiam & iconem rei herbariae studiosis hoc loco communicandam esse censui.*

II. Ranunculus Byzantin. simpl. rubro flore.

ALIQVOT *à radice producit folia vnciam lata, duabus paruis laciniis diuisa, atque in ambitu serrata, oblongis pediculis nitentia, vtcumq. densa & succulenta, glabra, aut quam minimè hirsuta, & venis ex viridi pallescentibus praedita, gustu initio subacido & ingrato, postea tamē acri & linguam vellicāte: foliū quod imum caulē amplectitur maius est caeteris, atq. in tres altiores lacinias diuiditur, quarū singulae reliqua folia aequant, atq. tribus minoribus laciniis vt illa diuisa sunt, & in ambitu serrata. Ex horū medio pedalis assurgit caulis, teres, viridis, quādā tamē lanugine obsitus, quem per interualla bina aut terna ambiūt folia minora magisq. laciniata quàm id quod imo cauli adhaerebat, summa sui parte amplū sustinēs florē, Pannonicū magnitudine quidē superantē, at einsdē quodāmodo forma, quinq. aut sex*

foliis



PINGVICVLA, *inquit, vt ficto à nobis nomine appellatur, florem cæruleum vt viola martia profert, inodorum: folia humida, mollia, læuia, absque neruo (ni fallor) vt lingulaca vel ophioglossus: nascitur in palustribus. Hæc ille.*

Lingulaca Plinij. *Quid si verò Lingua vel Lingulaca Plinij sit, quam lib. 24. cap. 19. & lib. 25 cap. 11. circa fontes nasci tradit! Verùm nos nihil hîc asserimus, sed inquirendi dũtaxat causâ hæc scribimus. Nullum vulgare nomen à montanis pastoribus, neque à Viennensis agri incolis, quod intellexerim, obtinuit. Et haud scio an apud illos aliquo medico in vsu sit.*

Retulit mihi anno 1581. C.V. Pennæus Londinensis medicus hanc plantulam tam quæ flore cæruleo est, quàm quæ albo, plerisque Angliæ locis inueniri (vt ipsa experientia verum esse postea me docuit, quẽadmodum capite 46. huius libri annotauimus) & à Borealibus, apud quos Primula veris rubro flore permista crescit, Butterwort/ *id est, butyri radicẽ à pinguedine butyro simili qua fissuras in vaccarum vberibus sanare solent, appellari: à Meridionalibus verò Anglis (apud quos etiam crescit)* Whyt root *vocari, quia oues interficit, si ob cibi penuriam illa vescantur.*

DE RANVNCVLIS MONTANIS.

CAP. L.

NASCVNTVR *in vtraque Pannonia Noricíq́; parte varia Ranunculi genera, quæ passim in aliis Prouinciis crescunt. Sed aliquot alia in harum prouinciarum altissimis iugis conspeximus, quæ à reliquis herbariæ rei Scriptoribus vix obseruata esse animaduerto. Itaque omnibus medicæ materiæ studiosis gratum me facturum existimaui, si eorum historiam illis etiam communicarem.*

MVLTA *parua, rotunda & quasi circino circumscripta habet Prior folia, aliquot crenis diuisa, & per ambitum serrata, atro virore superne splendentia, crassa, carnosaq; & gustu feruidissimo: ex horum medio flos emicat quinque albis foliis constans, staminibus in medio croceis, inodorus, qui pediculo tenui, singulari, vixque dodrantem aquante innascitur: quo defluente succedit capitulum quemadmodum in aliis ranunculis immaturo frago simile, quod ex minuto semine simul congesto constat: radix multis albicantibus fibris prædita est.* I. Ranunculus minimus flo. albo.

Eius altera species est, cuius folia in tres profundas lacinias diuisa, eaq; denuo aliquoties incisa sunt: flos amplior, & interdu quasi duplici foliorum ordine constans: alioqui & colore, & florendi tempore superiori par: radix etiam quemadmodum in illo superna parte nonnihil extuberat, & fibris donata est. 2.

Exit vtraque species in summis Sneberg & vicinarum Alpiu iugis confragoso solo, & fere in ipsis scopulorum fissuris: Iunioq; interdum floret, nonnunquam serius, statim post solutas istic niues: in hortis verò maturè admodum, & ante alios ranunculos Aprili.

ALTER *quina aut sena promit folia, magna, viridia, dura, Ranunculi foliis qui Trollius flos à nonnullis vocatur, haud absimilia, nonnihil hirsuta, tribus crenis ad vmbilicum vsque, deinde aliis minus profundis diuisa, sapore primum dulci, deinde nonnihil amaro, pediculis firmis & crassis innitentia pedalis longitudinis: caulem cubitalem, nudum, nullis ramis brachiatum, firmum, hirsutu aliquantulum, intus cauum, qui in summo trina habet folia contigua, profundè laciniata, Anemones fere modo, deinceps diuiditur in quatuor aut quinque oblongos pediculos, singulos vnicum florem sustinentes album, quinis foliis satis magnis constantem,* II. Ranunculus Alpin. albo flore.

multis



Ranunculi montani I. species altera.





multis in medio ſtaminibus luteis, vtcumque odoratum: flore excuſſo, capitula apparent ſemine plano & magno onuſta: radix veluti præmorſa, & multis nigricantibus fibris prædita eſt.

Frequens eſt in Sneberg, Snealben, aliarumq; Alpium pratis: floretq; Iunio, ſemen maturitatem adipiſcitur Auguſto.

Incelſioribus tamen earundem Alpium iugis naſcitur multo humilior & hirſutior, pedalem altitudinem non excedens, flore paulo maiore, & qui Narciſſi medio lutei florem æquare poſſit, atque odoratiore, foliis amarioribus & acrioribus, tametſi guſtata, initio quandam dulcedinem præ ſe ferant. Serius floret altero. 2. Ranuncul. alpin. Narciſſi flore.

PROXIME *hūc ſequi debet pulcherrimus ille Ranunculus alpinus, cuius iconem & deſcriptionem D. Thomæ Pennæi liberalitate conſequutus ſum.* III.

Quatuor autem, quinque vel ſex à radice profert folia longis pediculis nitentia, in quinque, ſex, vel aliquando ſeptem præcipuas partes Ranunculi more diuiſa, parte prona ferè cæſia, ſupina verò ex nigro viridia: ex horum medio vnicus caulis ab radice oritur, longitudine pedem æquans, nudus, folia in ſummo ferè emittens oblonga, maxima ex parte in tres lacinias per extremum diuiſa, è quorum medio pediculi tres, quatuor, quinque, interdum ſex vel ſeptem oriuntur, duos digitos tranſuerſos longi, vnico vel duobus foliolis ſubinde ornati, quorum ſinguli florem ſuſtinent pulchrum, ex quinque foliis orbicularibus conſtantem, quæ inferius purpuraſcunt, ſuperius iuxta latera ex albo purpurea ſunt, reliqua parte albiſſima, multis luteis ſtaminibus medium occupantibus, calycéque ex quinque foliolis herbaceis conſtante: ſemina vt in ranunculis compacta, ex nigro purpurea & mucronata, parum compreſſa, Ranuncul. mont. purpuraſcente flore.

paulo



paulo quàm in aliis ranunculis maiora: radix in summo setosa, multipliciter diuisa, sæpius cruciatæ modo dissecta, & in multas fibras diuaricata. Tota verò planta pilosa est.

Crescit copiose in monte Iura, è regione vrbis Geneuensis. Floret Iunio & Iulio, semina Augusto matura.

FOLIA *Quarto magna in quinque lacinias secta, viridia & per ambitũ serrata, inferne dilutiora & splendentia, dura, neruosa, quæ premãsa nullam manifestam acrimoniam, sed amarorem potius exerunt: caulis cubitalis, firmus, licet tenuis, læuis, nodosus aut geniculatus, in multas alas à medio ad summum sparsus: in quibus flores vtcunque magni, secundo tamen minores, quinque foliis constantes, tenelli, toti lactei, aliquantulum odorati, staminibus in medio pallentibus, capituli rudimentum ambientibus, quod ex seminibus aliis ranunculis fere similibus simul congestis constat: radix præmorsa videtur, quemadmodum secundi, multasq; longas & candicantes fibras habet.* IIII. Ranuncul. alpin. maior albo flo.

Prouenit copiose in ascensu Wechsel, Sneberg, aliorumq; vicinorum montium locis siluosis. Floret cum Secundo: sed in cultis Maio, semen verò maturescit Iunio.

Iisdem quoque locis inuenitur Ranunculus ille albo flore, quẽ Clariss. Dodonæus libro de Deleteriis & Perniciosis descripsit. Sed ab isto differt: etenim humilior est, folia habet læuiora, & nonnihil atriora, flores rariores & minores, in obliquum nascentibus pediculis inhærentes: maturius etiam floret. 2.

Huic congenerem flore pleno niueo, vt alebatur à Mag^co D. Ioanne vander Dilft amico mihi obseruando, qui illius iconem è Belgica vsq; mihi huc misit, nusquam in istis iugis obseruare potui. Arbitror illi natam Ranunculus flore polyphyllo albo.

à *fuisse*



fuisse ex iis plãtis, quæ paulo ante quàm à Cæsare Maximiliano II. huc accersitus, è Belgica discederem, Illri viro D. Joanni de Brancion eius consanguineo ex Burgundicis alpibus missæ fuerant. Eius deinde planta à C.V. Ioachimo Camerario mihi communicata est.

QVINTVS, *omnium quos vnquam viderim maximus, multa admodum ampla & densa habet folia, ficulneis haud minora, quinque profundis incisuris diuisa, per ambitum nihilominus serrata, colore dilutius virente splendentia, subhirsuta, acria admodum & linguam vellicantia: cubitales caules, digiti crassitie, firmos, hirsutos, superiore parte in aliquot ramos diuisos: qui multos flores sustinent quinque foliis constantes reliquorum ranunculorum modo, & luteo auri splendore fulgentes: semen reliquis vulgaribus simile, in capitula congestũ: radicum loco multas candicãtes fibras habet.* V. Ranunculus platyphyllos flo. luteo.

Crescit in nemoribus & vmbrosis locis atq; decliuibus omnium istarum alpium iuxta riuulos è liquescente niue profluentes: in nonnullis item vmbrosis pratis ad Viennensem saltum, & vltra Drauum. In hortis & pratis Maio floret: in Alpibus verò Iunio aut serius.

IOSIAS *Simlerus cõmentario de Alpibus Prioris meminisse videtur, quem ab Heluetiçarum alpium accolis* Jegerkraut, *hoc est, Venatorum herbam appellari scribit: Montani isti pastores & venatores,* fieber-kraut *vocant, & ad febres pellendas (vnde nomen) contusis foliis carpo admotis vtuntur. Secundo & Quarto venatores* Abbeiss, *et* Teuffel abbeis, *id est, Præmorsæ & Diaboli morsus nomen indiderunt. Quintus nullam peculiarem appellationem quod intellexerim habet: non incommodè tamen meo iudicio* πλατύφυλλος *à foliorum amplitudine cognominabitur. Vngari Ranunculum in genere* Beka fiu *vocant.*

Trollius flos. PORRO *Ranunculi illius quem Gesnerus in descriptione Montis fracti Trollium florem vulgo dici scribit, quiq; quintus inter externos est Dodonaeo lib 4. de Deleteriis & perniciosis herbis, flore in globum collecto,*
1. *duo in istarum alpium pratis obseruaui genera: maius*
2. *vnum, ampliore flore & aureo: alterum minus, flore paulo minore & colore quasi ex viridi pallescente, foliorũ alioqui forma, capitulis, semineq; nigro & radicibus inter se conueniunt. Eum etiam superiore anno in Anglia inter primulas flore rubro erutum vidi.*

Ranuncul. illyric. *Eius Ranunculi quem vulgo Illyricum cognominãt, quemq; primus in Hamburgensi monte sponte nascentem deprehendi anno 1574. historiam lib. 2. Rariorum stirp. à me per Hispanias obseruatarum dedi.*

Thora Valdensium. ETIAM *inter Ranunculi genera referenda videtur ea planta, quae apud rei herbariae studiosos Thorae Valdensium nomen obtinuit, & à Doctiss. Gesnero plerisque locis Aconitum primum Dioscoridis esse censetur: de quo peculiaris Asseueratio post ipsius epistolas opera Casparis Wolfij editas, inserta est, vbi Plinij Cyclaminum tertiam lib. 25. cap. 9. & Limeum eiusdem lib. 27. cap. 11. descripta, esse contendit.*

Illum etiam anno 1578. obseruauimus in Etscheri summi iugi praecipitiis atque scopulis tenui terra coopertis, ad meridiem obuersis mense Augusto: atque paulo post in alio iugo Sneberg vicino frequentiorem & vberiorem. Folio tamen breuiore esse quàm Valdensium Thorae, siue illius quae ex monte Baldo eruitur, superna etiam parte magis inciso & latiore deprehendi. Huius praeterea flos quinis foliis constat, cùm illorum quaternis duntaxat foliis exprimatur. cetera satis conueniunt.

DE RA-

De Ranvncvlo Byzantino siue Asiatico. cap. LI.

Qvoniam *de Ranunculis iam egimus, non incommodè in hunc locum reuocari posse existimo elegantis illius et verè rari Ranunculi cuius in Appendice ad Hispanicas obseruationes memini, historiam: quoniam post aliquot tandem annos Constantinopoli planta missa est illius quidem nomine insignita, sed quam ab ipso nonnihil differre experientia nos docuit, vt ex eius historia cuilibet patebit.*

Pedalem *igitur ille, quemadmodum diximus, habet caulem, in duos aut plures ramos diuisum, quorum extremitatibus insident flores magni, multiplicique foliorum glomeratione constantes (vt in Ranunculo vulgari tuberoso flore multiplici) sed pulcherrimo cocci colore rubentes: folia circa radicem quina aut sena diluto virore nitentia, media forma inter palustris & echinati Ranunculorum folia: quæ verò per caulem sparsa sunt, minora, nec adeò incisa, nec admodum frequentia: multæ illi radices simul congesta, Lusitanici Ranunculi radicibus persimiles, asphodeliformes, flauescentes.* I. Ranũcul. polyphyll. flore coccineo.

Hanc descriptionem concinnaui non ex viua planta, sed ex icone viuis coloribus expressa, quã generosus Dn. Carolus Rym Dn. de Eeckebeke defuncto quinquennali Cæsarei Legati apud Turcarum Imperatorem munere Cõstãtinopoli rediens mihi liberalissimè cõmunicauit.

Ranvncvli *autẽ Cõstãtinopolitani siue Byzantini cognomen illi dedi, quòd quibusdam hortis Byzantio vicinis & in eius Vrbis conspectu, vltra tamen Bosphorum sitis inueniri intellexissem; qua fortè ratione Asiaticum vocare præstaret.*

Huius iconem tametsi ego & alij aliquot Constanti-



 Ranunculus tripolitanus phœniceo flore.



folijs constantem qui foris phœnicei sunt coloris, internis verò miniati elegātis & splēdentis, mediū florē occupantibus plurimis crassiusculis staminib. initio pullis, deinde cinereis, pediculo tamē tenui & rubro nitētibus, extuberante intermedia stamina capitulo purpuræ nigræ villis obsito, quod in semuncialem tandem longitudinem excrescit, & seminis frequentis rudimento obsitū est, quod an fertile futurum sit, subsequēs mensis docebit: flos planè inodorus est, multas habet radiculas ex vno capite dependentes breues & crassiusculas, à Lusitanici ranunculi, siue Pannonici (qui Jllyrici cognomen vulgo adeptus est) radiculis non multum differentes, extrema tamen parte non obtusas, sed singulas in tenuem fibram paulatim desinētes, solidas, colore exterius fusco, interius albo, gustu initio ingrato, deinde acri. Porro cum Pānonico tuberoso ranunculo illud fere cōmune habet, ut sub caule inter medias radices veluti crassiusculus ramulus enascatur, qui in latus per radicū interstitia se porrigēs, in nouū caput extuberet, vnde multæ aliæ radices paulo superioribus minores dependent, è quarum medio caulis exilit, sub quo deinde alius similiter ramulus prodit, in obliquū vti superior per radicū spacia se spargēs, & nouam radicularum congeriem generans: qua sanè ratione satis feliciter se propagat: sed et albas quasdam fibras habet per crassiorum radicum spacia sese explicantes & spargentes.

Tarobolos catamer, *vt dixi, nomine,* vel Tarobolos catamer lalé *(quod Tripolitanum plenum florem significat) missa est Byzantio hæc planta: sed hac etiam appellatione superiore autumno nōnulli ex amicis semen inde acceperunt, quod mihi communicatum, nouo elapso Vere terræ credidi. Verùm non ranunculus, uti sperabam, sed legitima Vrtica, siue Romana nuncupata enata est.* Tarobolos catamer lalé.

De Ranvncvlo Thalietri folio.

CAP. LII.

Ad quam potissimùm classem hanc herbã referrem, diu mecũ deliberaui, & adhuc dubito Ranunculíne an Thalictri vulgo existimati generibus adscribere debeam: etenim aliquot notas cum vtrisque conuenientes habet. Eius verò descriptionem minimè negligere volui, quoniam elegans est planta, & à nemine, quod sciam, adhuc obseruata: liberum cuique relinquens nomen illi pro arbitrio imponendi, & in quam velit classem referendi.

Ranunculi Thalietri folio historia.

Pedali *assurgit altitudine, gracili caule, ex viridi rubescente, in quo terna, quaterna, aut quina folia, maioris Thalietri flore albo foliis forma & colore admodum similia, sed minora & teneriora, gustu amaro: flosculi in singulis alarũ sinubus singulares, candidi, quinque foliolis constantes, suis pediculis innitẽtes: quibus decidẽtibus semẽ succedit, in duobus aut tribus corniculis, rotundum, subruffum, Aconiti hiemalis semẽ referens: è radice exeunt bina aut terna folia, singularibus dodrantalibusq́; pediculis, eiusdem cum caule coloris, innitentia: radix verò impensè amara est, multis albis fibris hirsuta, ex quarum capite alia propagatur radicula nodosa, subinde ad singula internodia nouas fibras agens, & repens, ideoq́; perennis. Verùm primaria duntaxat radix à pictore expressa est, reliquis omissis.*

Copiosè nascitur in saltu Leytenberg vicino Manderstorf vltra Leytam flumen, quinto ab vrbe Vienna miliari, & quibusdam aliis vmbrosis siluis Viennensi agro: inueni etiam apud Zollonock Ill. Herois Dn. Balthasaris de Batthyan oppidum. Floret Aprili: semen Maio, nonnunquam Iunio maturescit.



Thalietri variagenera. SED quoniam in Thalietri mentionem incidimus: proueniunt in harum Prouinciarum pratis, siluis, & montanis, varia eius genera, omnia videlicet ea quæ in Belgicis hortis aluntur, præter Hispanicũ, quod etiam
1. his prouinciis mea opera vulgare factum est. Eius autem folia, licet in modum aliorũ diuisa & incisa, Aquilinæ seu Aquilegiæ foliis adeò respondent, vt ab imperitis plantæ discerni nequeant, ante quam caules in flores abeant: flores verò muscosi vt reliquorum, sed coloris lutei sunt. Tria genera montana foliis inter se conue-
2. niunt: sed vnum altius excrescit, floreq; candido est, ad-
3. modum grauis odoris: alterum paulo humilius, flore e-
4. tiam albo, minus tamen ingrati odoris, à quo tertium differt solo floris colore qui purpurascit. Pratensia duo foliis sunt longioribus & atrioribus, & quodammodo
5. splendentibus: alterum pallido colore floris, elatius: alte-
6. rum candicante & humilius. Septimum omnium mini-
7. mum foliis minoribus, cinerei coloris. Omnium radices flauæ sunt, & serpunt, subinde noua germina producentes: sed minoris omnium maximè.

DE ANEMONE SILVESTRI

CAP. LIII.

RANVNCVLOS proximè sequi debere Anemone videtur, propter formæ & facultatum cognationem. Eius verò cum ab aliis, tum à me varia genera descripta sunt. Non inutilem tamen rem me facturum existimaui, si siluestris duas species, ab aliis licet obseruatas, paulo diligentius describerem, quoniam in his prouinciis sæpius à me sunt erutæ, & illarũ semina collecta.

1. PRIMÆ ex vna radice multa germinant folia, Ranunculi cuiusdam palustris foliis ferè similia, tribus vsque ad vmbilicum incisuris, deinde aliis minoribus laciniata,

Anemone siluestris Ranunculi folio.



laciniata, viridia, mollia, & hirsuta, gustu primùm ingrato, deinde nonnihil acri: caulis palmaris, interdum etiam pedalis, nudus, satis crassus, cãdida lanugine pubescens, tria alia folia sustinẽs prioribus ferè similia, sed minora: è quorum medio flos exilit oblongiore pediculo insidens, vnicus (rarissimè bini) primùm, ante quàm aperiatur, lanuginosus, deinde vbi expãsus est, parte interiore læuis, colore lacteo, quinq. foliis maxima ex parte cõstans, Pulsatillæ paulo minoribus, cuspide orbiculata, in cuius medio capitulũ rotundum extuberat multis croceis staminibus cinctũ, quod tandẽ resoluitur in exiguum semen, planum, alba quadam lanugine inuolutum, quemadmodum in ea Anemone latifolia secunda, cuius historiam lib. 2. Rariorum stirpium Hispanicarum dedi: radix ex vno capite multas nigricantes & capillares fibras spargit, nonnullas etiam crassiores, quæ serpentes, subinde nouas ex lateribus plantas procreant: est verò ingrato & acri sapore.

Vicinis vrbi Viennæ pratis, & plerisque montanis vtriusque Pannoniæ locis, atque etiam interamnis vltra Drauum nascitur. Floret Maio: in hortis etiam Aprili: semen Iunio facilimè vento excutitur, nisi quis maturè colligat.

II. SECVNDA *ex villoso summoq; radicis capite multa fundit folia, quemadmodum id Anemones siluestris genus, quod vulgus Pulsatillam appellat, illius foliis quod dilutiore præcocioreq; flore præditum est, ferè similia, latiora tamen, & in tres foliorum alas diuisa, supina parte viridia & læuia, prona autem paulo candidiora & villosa, sapore ingrato & acri admodũ: inter quæ caulis emergit palmaris, firmus, hirsutus, quem circa summum terna vt in Anemones generibus coniunctim amplectuntur folia, laciniata, & multis diuisuris*

Anemone montana Pulsatillæ folio.



nisuris secta: flos in summo caule sex foliis constat intus lacteis, foris nonnihil interdũ purpurascentibus & villosis, minor quàm in pulsatilla, sed non paucioribus, quàm illius flos, luteis staminulis scatens, quæ tandem in plumati seminis congeriem, quemadmodum in pulsatillis, transeunt: radix oblonga, minimi digiti crassitudine, paucis fibris prædita, foris nigro cortice tecta.

Crescit hæc in celsioribus Etscher & Durrenstein iugis, inter scopulos, tenui & leui terra tectos: plerumque verò inter scopulorum fissuras, et commissuras adeò altè radices agit, vt summa difficultate, & vix vnquam, nisi auulsis scopulorum fragmentis, integras mihi eruere licuerit. Floret autem istic Iulio, interdum etiam Augusto, pro æstatis maturius aut serius incipientis natura, solutis videlicet niuibus: nam ex primis floribus est: semen maturum est plerumque sub Augusti finem. Difficulter autem cicurari vult, & mitiorem aërem ferre potest, quemadmodum & pleraque alia elegantes stirpes in summis istarum Alpium iugis natæ, quas aliquoties frustra in hortis conseruare studuimus, tametsi omnem curam & diligentiam adhibuerimus.

Anemone 3. Matthioli.

ANEMONES *tertiæ nomine Priorem exhibere videtur Matthiolus, iconem tamen negligentius expressit pictor. Alterius iconem Lobelius reddit in Plantarum historia. Vtraque autem Belgicorum hortorum inquilina mea opera facta est, missis hinc ad Dn. Brancionem & Dn. Ioannem Dilfum plantis & seminibus. Est verò posterior sine dubio Anemones siluestris siue Pulsatillæ species, & Pulsatilla alpina flore niueo appellari potest.*

Eius etiam meminit Gesnerus in descriptione Montis fracti libello De Lunariis herbis in hunc modum. Anemone quædã alpina, radice nigra, capitulo seminis hirsuto,

hirsuto, & lanugine instar vitis sylvestris caustica referto, Pulsatillæ, quam Itali vocant, cognata. Pastores aliqui Bitzwurtz *appellant, quòd cataplasmatis instar venenatis morsibus imposita, pecori salutaris sit.*

CETERVM *Pulsatillæ vulgaris passim hîc inueniuntur duo genera: vnum præcocius crassiore folio, flore ampliore & dilutiore, quod ab Vngaris* lo kewkewrchin, *id est, equina Pulsatilla dicitur: alterũ non adeò præcox, folio minutius inciso, floreq; minore & saturatius purpurascente, quod Vngari* lean kewkewrchin, *hoc est Virginis Pulsatillã appellant. Inuenitur hæc posterior interdum flore omnino niueo. Vtraque autem floret primò Vere.* Pulsatilla vulgaris. dilutior saturatior. albo flore.

V V L G A R E S *sunt in Pannoniæ & Austriæ syluis illæ stirpes multis aliis Prouinciis communes, quæ inter syluestres Anemones proculdubio recensendæ sunt, & à nonnullis syluarum Ranunculi nuncupantur, foliis propemodum Anemones tenuifoliæ flore cæruleo.*

Eæ autem primo ineunte Vere florere solent, foremq; habent aut omnino niueum, aut purpurascentem, aut cui in candore leuiter aspersa sit dilutior purpura, vel carneus color, aut totum luteum, atque is plerumque aliis minor est & præcocior. Anemone sylvestris vulgaris varij generis.

De ANEMONE flore polyphyllo & pleno.

CAP. LIIII.

SED *longè omnium elegantissima sunt duo illa Anemones genera, quæ singulis ferè annis, ab eo quo huc concessi tempore, Constantinopoli perferuntur. Quorum historiam licet in Appendice ad Hispanicas obseruationes dederim; eam tamen huc reuocare libuit, quòd*

b *non-*





nõnulla postea de his stirpibus obseruauerimus, quæ minimè tunc mihi fuêre cognita: deinde quòd hinc primùm mea opera Belgicæ prouinciæ magna ex parte communes sint factæ.

I. Anemone latifolia polyphyllo flore. PRIOR *igitur multa ex vna radice promit folia, latifoliæ primæ mihi in Hispanic. obseruat. descriptæ foliis initio similia, deinde alterius latifoliæ flore purpureo, aut Saniculæ foliorum quodammodo æmula, dura, neruosa, in tres lacinias altius diuisa, ac insuper per ambitum serrata, supina parte nigricantia, prona candidiora, feruidissimo sapore, &, si gustentur, illico linguam vrente, ante hiemem etiam germinantia, quemadmodum in nonnullis aliis Anemones generibus. Nouo iam vere vnus aut alter caulis inter folia prodit palmaris, nonnunquam etiam pedalis, nudus, subhirsutus, qui circa cacumen tria exigua folia minimè, aut quam rarissimè laciniata ab eodem fere exortu prodeuntia, & simul caulem amplectentia profert, deinde in summo binas vncias supra iam dicta foliola, magnum ac latè expansum florem, numerosis foliis constantem, quorum externa & maiora dena & duodena colore viridi prædita sunt, mucronibus eorum purpura leuiter & virgatim infectis, interna verò minora & angustiora, dilutiore purpura ex rubro nitent, & quæ medium florem occupant, ad vmbilicum reflexa & glomerata eiusdē etiam sunt coloris. Radix crassa, & in aliquot capita extuberans Anemones latifoliæ purpureo flore in modum, foris nigra & scabra est, intus alba & solida, gustu ingrato & fauces constringente, multis tenuibus fibris capillata.*

II. Anemone tenuifolia flore polyphyllo. ALTERIVS *folia numero quina, sena, aut plura sunt, multifida, & Oenãthes primæ, siue Bulbocastani fere foliorum instar, in multas tenues lacinias diuisa, dilutius quàm superioris virentia: caulis etiam pedalis,*

priori



priori similis, sed minus crassus, quem item circa summum tria tenuius incisa ambiunt folia, florem etiã (quẽadmodum in omnibus Anemones generibus) ante quàm aperiatur, occulentia, qui summo cauli supra minora illa folia, ad binas vncias succrescenti insidens, in dena aut plura hirsuta longaq́ue, latiuscula, & maiuscula folia explicatur cocci modo rubentia, quæ numerosa tenuiaq́; foliola colore coccineo saturatiore nitentia amplectuntur. Radix non multum à superiore discrepat, paulo oblongior interdum, & licet foris nigricans, nitidior tamen est, & tenuibus capillamentis fibrata, intus etiam candida, & eiusdem cum superiore gustus: Tenerior hæc est radix priore, & facilius corrũpitur. Vtraq; etiam temporis diuturnitate quemadmodum latifoliæ flore purpureo cariosa fit; & nisi interdum alternis videlicet ad minimum annis, in fragmenta rumpatur, atque ea ratione pangatur, prorsus plerumq; perire solet.

Vtraque Vere cum aliis Anemones generibus floret, aut paulo serius interdum. Sed prior apud nos rarissimè, cuius per id octennium quo Viennæ vixi, semel duntaxat florem conspicere licuit: anno sanè 1581. Cassellis in cultissimo horto Ill[mi] *Principis Wilhelmi Landgrauij Hassiæ &c. vtraque maximum & amænissimũ florem protulit, quem suis coloribus ipsius iussu expressum, dum apud ipsius Celsitudinem superiore Octobri essem, mihi conspiciendum præbuit.*

Tenuifolia sanè in proferendo flore liberalior esse solet, nec vt altera vitium facit, aut certè rarissimè. Illa autem interdum florem tam amplum mihi præbuit, qui Germanicum tallerum fere magnitudine æquaret, & ternos aut quaternos crassitie, hoc est duas fere vncias latum, et vnam densum. In neutra autem semen hactenus obseruaui, & an seminiferæ sint, plurimum dubito.

Anemones flos amplæ magnitudinis.

NOBIS

NOBIS *primùm eas cõmunicarunt Constantinopoli quidem vsque missas Ill. Dn. Dauid Vngnad Cæsareus apud Turcarum Imperatorem orator et Liber Baro in Sonneck: atque Constantinopoli redeuntes Generosus Dn. Carolus Rym Cæsaris Consiliarius, eiúsque affinis Dn. Philibertus de Bruxella p.m. Tenuifoliã verò aliquot annis Constantinopoli etiam delatam acceperat Ill. Dn. de Brancion p. m. amicus mihi fratris loco semper habendus. Deinde, vt dixi, singulis fere annis eodem Byzantio vtraque Viennam missa fuit, cum Generosis viris, tum Nobilibus matronis, quibus exoticæ stirpes & elegantes flores nunc sunt in deliciis, modò* Giul *vel* Gul catamer *appellatione, qua, vt iam antè retulimus, roseos propemodum omnes flores & multiplici foliorum textura constantes exprimunt: at Tenuifoliam plerumque* Lalé benzede *&* Galipoli lalé *proprio nomine vocant.* Giul catamer. Lale benzede Galipoli lale.

Quod autem Anemones aliquod genus ad Adonidis florem Ouidio lib. 10. Metamorph. descriptum referendum est, nullum hactenus conspicere memini, quod eius descriptioni proximius accedat, quàm quod secundo loco hic exhibemus: etenim sanguini cõcolorem habet florem, siue præmaturi mali punici, eius præsertim quod dulce seu vinosum est, succo similem. Adonidis flos

PORRO *superiore Autumno Constantinopoli accepit Generosa Dn. de Heysenstain cum Cyclamino illo antè memorato, quem verno tempore florentem esse non dubito, aliisq; multis exoticis plantis aliquot Anemones radices, quas mihi retulit fuisse integras adhuc, & minimè rugosas, planeq; Anemones tenuifoliæ flore polyphyllo similes; quas qui mittebat, adscribebat florẽ habere etiam polyphyllum, sed coloris cærulei: illæ terræ concreditæ, folia adhuc ante hiemem produxerunt te-* Anemone tenuifolia flo. polyphyllo cærul.

nuifoliæ quæ flore pleno coccineo eſt omnino ſimilia, & multifida, præter colorem qui in hac vegetior & ſaturatius virens mihi eſſe videtur quàm in coccinea: Biniſante *nomine miſſa eſt.*

Accepit etiam (quam tamen Conſtantinopoli prius miſſam non memini) Anemonem latifoliæ ſecundæ flore purpureo, à me in Hiſpanicis obſeruat. deſcriptæ omninoparem. An verò ſimilem florem dabit, proximum ver nos docebit, quemadmodum, & an ſuperior cæruleum proferet.

Anemone latifolia Byzantina ſimp. flo.

ALTERAM *porrò latifoliam Anemonem quæ anno 1581. Autumno, vt dixi,* ἀνώνυμος *ByZantio allata fuit, initio dum folia è terra prodeuntia conſpicerem, ſimilem illi eſſe exiſtimaui, quæ in Belgicis hortis latifolia flore purpureo 12. aut pluribus foliis conſtante alitur. Sed flos ſubſequēte Aprili, & hoc anno 1583. cum reliquis ſeſe explicans, diuerſam eſſe, illiúſque duo diuerſa inueniri genera me edocuit. Vtriuſque igitur hiſtoriam ſubiicere hîc libuit.*

1. ALIQVOT *autem Primum genus etiam ante hiemem folia profert Latifoliæ flore purpureo apud Belgas naſcentis foliis ferè ſimilia, aut certè non magnopere ab eis differentia: inter quæ caulis, vt in illa, exoritur palmaris, nudus, lanugine pubeſcens, tribus foliis minimè, aut quam leuiſſimè inciſis, tamquam inuolucro florem primùm (quod in Anemones generibus vulgare eſt) occulentibus præditus, qui tandem ad binas vncias, ſiue binos pollices ſupra illa folia excreſcens, in octona aut plura folia vulgaris latifoliæ floris foliis paulo latiora expanditur, elegantiſſimo rubro, dilutiore tamen & ad carneum quodammodo tendente colore interius nitētia, albicantibus vnguibus, foris autem obſoletè rubeſcentia & lanugine pubeſcentia, multis in vmbilico violaceis*

Anem. latifo. carneo flore.

ſtami-

ſtaminulis hirſutum capitulum ambientibus: radix tuberoſa & nodoſa eſt, foris nigricans, intus candida, Latifoliæ belgicæ ſimilis, & tenuibus aliquot fibris donata.

SVPERIORI *reſpondet Alterum genus cum foliorum forma & colore, tum caulis lanuginoſi craſſitie & altitudine, atque etiam radice nigra & nodoſa: at illius flos octonis latiuſculis foliis conſtans (quorum vngues ex parte flaueſcunt atque ex parte rubent, tandem etiam maiores fiunt et exalbidi) longè elegantiſſimo coccineo colore interius nitet, foris autem quadam lanugine pubeſcit, plurimis in vmbilico nigricantibus ſtaminulis hirſutum capitulum cingentibus, quod an in ſemen abeat, nondum obſeruare potui.* II. Anem latifol. coccineo flore.

QVAM *verò foliis tenuifoliæ polyphyllo flore ferè ſimilem eſſe dixi* Binizate & Binizade, *vel* Binizante *nomine miſſam: ea non cæruleum plenum florem, vti adſcriptum fuerat, protulit; ſed diuerſum omnino, eumq́ colore in diuerſis plantis variantem.* Anemone tenuifolia Byzantina ſimp. flo.

PRIOR *multa ante hiemem promit folia, Bulbocaſtani, aut Anemones tenuifoliæ polyphyllo flore foliis quodammodo ſimilia, paulo tamen atriora, & multifida, inter quæ caules exeunt terni aut quaterni, ſingulares, pedales, firmi, purpuraſcentes atque lanugine pubeſcentes, tribus foliis valde diſſectis & laciniatis vt in Anemone tenuifolia pleno flore, tanquam inuolucro florem initio occultantibus præditi, qui deinde, vt in Polyphylla, aut quæ purpureo ſiue violaceo eſt flore, ad dodrantalem longitudinem ſupra ea folia ſuccreſcentes, vnicum ſinguli ſuſtinent florem, magnum, illi qui violaceus eſt æqualem, ſimplici ſex foliorum textura conſtantem, quæ elegantiſſimo coccineo colore, vt in eo qui polyphyllos eſt, interius nitent, foriſq́ lanugine etiam pubeſcunt, exalbidis, vbi ſeneſcunt, foliorum vnguibus,* I. Anem tenuifol. coccineo flore.

 & multis

 Anemone latifolia Byzantina coccineo flore.



& multis purpurascentibus siue violaceis staminulis medium capitulum ambientibus: radix nodosa, tuberosa, polyphyllo flore Anemones radici similis.

RADICE *atque foliis Altera huic respondet, licet folia paulo crassiora & magis succulenta videantur, atque auersa parte splendeant: inter quæ caulis nascitur palmaris, tenuis, firmus, lanuginosus, terna etiam folia florem initio obuoluentia, sed superioris ternis foliis minora, minusque laciniata obtinens, è quorum vmbilico excrescit pediculus, vncialis, aut paulo longior florem sustinens, magnitudine inferiorem superiore, seu tamen vt ille foliis latioribus constantem, colore primùm exalbido, deinde nonnihil ad carneum tendente, multis in vmbilico staminulis carnei coloris nigros apices sustinentibus, & hirsutum capitulum cingentibus.* II. Anem. tenui. fol. carneo flore.

Omnes Aprili flores inodoros proferunt: easque in cultissimo Magce Dn. de Heysenstain horto, annis 1582. & 1583. primùm florentes non sine voluptate cōspexi.

De HACHAL Indi, siue Admirabili Peruana.

CAP. LV.

QVANQVAM *huius stirpis descriptionem & iconem in Notis ad Aromatum Garciæ historiam superiore anno exhibuerim: attamen cùm illa mihi & plerisque aliis superiore æstate Viennæ elegantissimè floruerit, operæ precium me facturum existimaui, si quæ circa eam postea obseruaui, & ab aliis obseruata intellexi, omnibus rei herbariæ studiosis patefacerem, & illius historiam retextam ad calcem Lib. II. Pannonicarum mearum Obseruationum adiicerem.*

PRIMVM *igitur emergit Ocymi quod Cereale nonnulli cognominant, aut Circeæ Lutetianæ fere modo, deinde caulem promit cubitalem, interdum etiam bicubitalem* I. Hachal indi historia.

bitalem aut ampliorem, pollicari crassitudine, ſucculentum, firmum, ex viridi flaueſcentem, frequenter, vti Balſamina femina, geniculatum, & in frequentes ramos eoſdémque ſimiliter nodoſos diuiſum, qui ex ipſis prodeunt, non bini vtrinque & ex aduerſo oppoſiti, ſed ſingulares duntaxat, alternatim modò in vnam, modò in alteram partem vergẽtes, & quem primum ſeruarunt ordinem aut ſeriem, perpetuò deinde retinentes, hoc eſt, vt tertius, quintus, & ſeptimus ramus in eandem partem ſpectent quam primus, quartus verò, ſextus & octauus (ſi modò tot primariis ramis planta ſit prædita) eodem latere naſcantur quo ſecundus: folia in ſingulorum ramorum geniculis bina ex aduerſo ſemper naſcentia, Siliquaſtri ferè foliis ſimilia, viridia, ſatis carnoſa & ſucculenta, circa baſim ampla, per extremum mucronata, quæ trita Siliquaſtri grauem odorem, guſtata verò ingratum ſaporem, et tandem illius vel foliorum Tabaci etiam acrimoniam propemodum referunt: flores in extremorum ramulorum alis ſinguli, oblongi, concaui, in quinque ſinus ante quàm aperiantur complicati, at vbi explicati ſunt Tabaci floribus ferè ſimiles, nequaquam tamen in mucronatos angulos, vt illi, deſinentes, ſed in obtuſos quemadmodum Conuoluoli flores, Tabaci floribus etiam ampliores, elegantiſſima interdum purpura ſiue kermeſino colore nitentes, nõnunquam latericei, aliquando flaui aut pallentes, interdum obſoletè rubentes aut flaueſcentes, nonnunquam etiam exalbidi, & ſæpiſſimè binis coloribus ſimul eluceſcentibus, vel purpureo mediam floris partem occupante, vel virgatim totum florẽ intercurſante, vel radiis alternis modò flauis, modò purpureis totum diſtinguentibus, aut interdum magnis nonnunquam exiguis purpurantibus maculis vario ſitu & mixtura toto flore vel flaueſcente, palleſcentéve aut

téve aut

téve aut exalbeſcente, aut obſoleto aſperſis, odoris ſuauis & Narciſſinum quiddam referentis, ſex oblongis ſtaminulis, ſtilóque paulo longiore è medio flore emergentibus: caduci verò admodum ſunt flores, nam noctu explicantur, & poſtridie ſub horam octauam ante meridianam, per æſtus præſertim, ſeſe contrahere incipiunt florum conuoluoli modo: at temperatiore aura integro nonnunquam die expanſi permanent, & ſub noctē duntaxat cõtrahuntur: ephemeri nihilominus cùm ſint, nec vltra diem perdurent, ſingulis tamen diebus recentes explicantur, qui cum pridie decerptis atque inter chartas repoſitis collati, iiſdem quidem coloribus conſtare quibus illi deprehenduntur; at eorundē ſitu & mixtione ab iis variare quiſquis diligenter obſeruauerit animaduertet: tertio item die & reliquis ſubſequentibus ſimiliter. Quæ ſanè inſignis varietas quotquot iſtum florem obſeruant, in ſummam admirationem non immeritò rapere debet: etenim diutiſſimè viret, & ab Iulio ad Octobrem vſque menſem, primáſque pruinas numeroſa florum ſobole luxuriare ſolet. calyculi flores amplectentes in quinque mucronatas lacinias ſunt diuiſi, virides, & quaſi membranei, in quibus vnicum ſemen nulla membrana ſiue pericarpio incluſum, mucrone, cui flos inſedit, obtuſo, infima verò qua calyculo adhæret parte, tãquam exigua corona ornatū, pentagonū, baccæ myrti fere magnitudine, initio viride, deinde vbi maturuit, fuſcum, & quibuſdã veluti tuberculis obſitū, ſpõte, vel leuiſſima agitatione excedens, nucleumq; continens album, qui tritus in candidiſſimã & amyli inſtar niueam friabilémq. pulpã reſoluitur: radix ſatis craſſa, & ῥαφανώδης, foris nigra, intus alba, aliquot fibris prædita, guſtu nõnihil acri, cui admiſta ſit ſuperficialis quadam dulcedo. Eam licet hactenus annuam cenſuerimus, viuacem

nacem tamen esse ab optimo & peritissimo viro Sebastiano Volmario Ill^mi Ducis Wirtembergici pharmacopœo et horti præfecto, superiore Augusto candidè sumus admoniti. Is enim cùm superiore anno sub Autumni exitum aliquot plantas eruisset, & caule præciso ex illis vnam propter formæ elegantiam exsiccãdam seruasset, initio autem Martij cuidam amico ostendere vellet, eam succulentam & quasi reuirescentem deprehendit, terra igitur in fictili ab ipso obruta, paucos post dies folia proferre cœpit, atque circiter Cal. Iulij subsequentis etiam flores. Cuius rei, Deo volente, nos quoque hoc anno periculum faciemus.

II. Admirabilis vnicolor rubraque. A L I V D *autem genus habuimus, quod licet à superiore caulis magnitudine & crassitie, ramorumq; situ, & foliorum florumq; forma non differat, caulis tamen atque etiam florum color dissimilis est: etenim dum primùm terra emergit, cauliculi foliorumq; pediculi, vti betæ rubræ iam recens nascentis purpurascunt, manetq; is color in adultæ etiã caule & ramis, flores verò ex rubente & elegantissima purpura infecti sunt, sex etiam tenuia stamina longioremq; stilum cõtinentes, eiusdemq; cum superiore odoris. Hi verò non mutantur, sed vnius perpetuò sunt coloris, & quem primi habuerunt, reliqui deinceps retinent. semina item in singulis calyculis singularia, superioribus respondentia, paulo tamen minora: radix non dissimilis.*

Hoc genus è superioris semine cui rubri flores insederunt, originẽ trahere arbitror: seorsim proximè sequente anno, si Deus vitam concesserit, vtriusque generis semina terræ mandabo, vt diligentius istam varietatem obseruare queam.

III. Admirabilis tertia Iasmin rosso. T E R T I V M *porro genus superiore Vere ex Italia allatum fuit* Iasmin rosso, *hoc est, Iasmini rubri nomine. Bre-*

ne. Breuiore craſſioreq́, id conſtabat ſemine, non minus tamen quàm ſuperius anguloſo tuberculiſq́, obſito. Quo terræ commiſſo nata ſunt nobis plantæ, in fictilibus quidem puſillæ & humiles, latè nihilominus ramos fundentes: in horto autem ſuperioribus generibus longè ampliores, & latiſſimè ramos ſpargentes, qui eadem ſerie qua in ſuperioribus alternatim naſcuntur, eundemq́, ordinem ſeruantes alternis in idem latus ſemper vergunt & ſpectant, ipſi ſimiliter cum ſuo caule ſucculenti admodum, & frequentibus nodis geniculiſq́, cincti, atque purpuraſcentes (magna ex parte): folia in hoc genere atriora, magis ſplendentia, atque etiam interdum maiora, altera parte magis prominula, & inferius ſuum exortum in neruo habentia; ſimilis tamen cum ſuperioribus & odoris & ſaporis: flores aliis forma pares, eodemq́ue modo ex poſtremarum alarum ſinubus naſcentes, oblongiores tamen, tenuiores, & colore dilutius rubente, minuſq́, extrema parte ampli, ſex ſimiliter ſtaminula cum ſtilo in meditullio continentes, ſuauemq́, odorem ſpirantes.

Serotina admodum nobis fuit hæc planta, nec ante Septembris finē flores explicare cœpit, qua de cauſa minimè ad frugem peruenire potuit. Mihi tamen adhuc in horto cum vtroque altero genere nunc Cal. Nouembr. viret: at flores caloris Solis inopia haud quaquam explicantur, licet noctu tegã, & ab aëris iniuria muniam, atque ſub horam nonam ante meridiem retegam.

Illud autem in his omnibus plantis mirum & obſeruatione dignum, quòd dum contabeſcere incipiunt, primùm folia, deinde integri articuli ſimul decidant, & circa iam nuda remanentia genicula interdum candida quædam efflore ſcētia adnaſcatur, quæ temporis ſucceſſu concreta, ſalis ſaporem referat: cuius poſtrema nota C. Admirabilis mira natura.



ta C.V.D. *Ioachimus Camerarius pro nostra amicitia me primus admonuit.*

CETERUM *peregrina & perelegans hæc planta varia pro regionum diuersitate obtinuit nomina: etenim ex Hispaniis semẽ primùm missum est* Marabillas del Peru *appellatione, propter admirabilem florum in eadem stirpe varietatem: ex Italia nunc* Indici *nũc* Mexicani Iasmini *nomine, ob suaue mvidelicet eius florum odorem: Belga* Solanum odoriferum, *à foliorum cum solani foliis similitudine, & florum odoris gratia appellarunt: Peruanos, à quibus initio semen ad Hispanos peruenit*, Hachal indi *crassa & in palato formata pronuntiatione nominare intelligo: Mulierculæ Viennenses apud quas nunc in deliciis est*, Geschecket indianische blumen, *hoc est, versicolores Indicos flores nuncupant.* Marabillas del Peru. Iasminum indicum siue mexicanum. Solanum odoriferum. Hachal indi. Geschecket indianische blumen.

AN *apud incolas vbi sponte nascuntur hæ stirpes medico in vsu sint, nondum intelleximus, magísque elegantiæ & hortos exornandi causa ab omnibus ali arbitror, quàm facultatum ratione. Scripsit tamen ad me Patauio vsque amplissimus vir Iacobus Antonius Cortusus, eius quæ vario est flore radicis binas drachmas intro sumtas egregiè aquas educere. Cuius rei herbarũ cognitione sese oblectãtes etiã admonitos volui.* Admirabilis facultates.

De PÆONIA BYZANTINA rubro flore.

CAP. LVI.

ELEGANS *porro Pæoniæ genus semine natum, quod à quibusdam Nobilibus Matronis alitur, haudquaquam prætermittendum est. Id Pæoniæ vulgaris fœminæ, aut eius quæ* πολυφυλλάνθη *est, foliis similia fere habet folia, paulo tamen crassiora, atque cum prona tum supina parte leuia & splendentia: caules alteri similes,* Pæonia flo. rubro simpl.

miles, cubitales, aut ampliores: florem in ſummo ſuſtinentes vnicum, ſimplici 8. 10. aut plurium interdum foliorum textura conſtantem, non purpureorum vt πολυφυλλάνθης, ſed ſaturatius rubentium & elegantiſſimorũ, multis ſtaminulis carnei coloris luteos apices ſuſtinentibus medias ſiliquas ſiue cornicula ambientibus: ſemen ex quo nata eſt hæc planta Byzantio mitti ſolet Schakaïck *nomine, nigrum, ſplendens, vulgaris Pæoniæ ſemini reſpondens.*

Floret Maio menſe cum aliis Pæoniæ generibus.

CAROLI



CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM PER PANNONIAS obſeruatarum Hiſtoriæ

LIBER TERTIVS.



BVLBOSAS, & *Coronarias, atque nonnullas illis congeneres ſtirpes Secundo libro deſcripſimus. Iis reliquas addere animus erat: ſed quoniam in iuſto maiorem molem excreuiſſet, illas in plures libros diſtribuere commodius eſſe duximus.*

DE ACONITO LYCOCTONO.

CAP. I.

VARIA *admodum naſcuntur in his Prouinciis Lycoctoni genera nuſquam alibi mihi conſpecta, quæ omnia ordine hoc primo Tertij libri capite deſcribemus, nonnullis etiã additis, quæ aliunde miſſa, in hortis aluimus. Initium autem faciam ab eo, quod Lycoctono pallente flore (pleriſque huius regionis montibus vmbroſis, præſertim verò quodã iugo ſupra Petelſtorf ad Septentrionem obuerſo, ſecundo ferè à Vienna miliari copioſiſſimè creſcenti) foliorum ſimilitudine maximè reſpondet, & florum elegantia inſigne eſt.* Aconiti Lycoctoni varia genera.

PRIMVM *igitur cubitali aut ampliore aſſurgit caule, firmo, læui intus cauo, foris ex purpura vireſcente, & quaſi farina polline leuiter aſperſo, ſiue eo coloris* 1. Lycoctonum flo. delphinij cæruleo.

 flore



flore qui in prunis & plerisque aliis fructibus, tulipa-rumq; foliis & caule elucescit, leuissimoq; contactu detergitur: folia longis pediculis inhærentia, confuso ordine caulẽ ambiunt, longè ab eius Lycoctoni quod flore Delphinij vulgo cognominatur, foliis diuersa, subhirsuta, minoribusq; & minus profundis incisuris diuisa, Lycoctoni pallido flore foliis similia, supernè tamen atriora: summum caulem exornat oblonga florum spica, qui pediculis inhærentes, ante quàm aperiantur, locustas aut paruos lacertos æmulantur, oblongis caudis & sub extremum incuruis insignes, aperti verò quaternis foliis, quemadmodum aliorum aconitorum flores constare deprehenduntur, duobus ad latera, binis parte inferna, & superiore quinto, quod in oblongum corniculum rugosum & extima parte inflexum desinit, omnibus foliis parte externa rugosis purpureisque, internè verò læuibus & cæruleis elegantissimis, atque singulorũ oris parte anteriore introrsum nonnihil reflexis, coloreq; è viridi pallescente: medium florem occupant quatuor alia foliola fusca & nigricantia, duo superiora dura & quasi in vnum coëuntia fornicem referentia, duobus aliis infernè propendentibus mollioribúsque, & partim luteo villo, partim candido hirsutis, multis staminibus capillaceis subtus delitescentibus: flore excusso succedunt ternæ siliquæ simul iunctæ vt in aliis aconitis, in quibus semen inæquale, fuscum, rugosum: radix crassa, tuberosa vti alterius Lycoctoni flore Delphinij quod apud Belgas alitur, nigra, rugosa, concaua, grauiter olens, multis tenuibus fuliginosaq; lanugine pubescentibus fibris prædita, ad cuius latera secundum infimum caulem singulis annis noua germina repullulant.

Nascitur referente eruditissimo viro Achille Cromero, qui eius plantas anno 1578. nobis misit, frequens

in montibus territorij Freywaldensis in Silesia, & ab incolis Wolfwurtz/ *id est, lupina radix appellatur, vbi in tricubitalem interdum altitudinem excrescere & Augusto florere ait: quod ab eo certè missum in horto colimus, Iunio floret, & sesquicubitalem altitudinem anno 1579. non superauit, at subsequentibus bicubitalem aut maiorem attigit.*

II. Lycoctonum præcox tauricum. FOLIA *Secundo emergunt ineunte vere satis crassa, quinque incisuris vsque ad pediculum diuisa, & in multas deinde profundas lacinias dissecta, minus tamen quàm Napelli vulgaris folia, atro virore supernè prædita, infernè minimè, sed vtrimque splendentia: quæ alternatim caulem ambiunt, tenuius aliquantum incisa sunt, eodem tamen modo splendentia: caulis cubitalis aut sesquicubitalis plerumque, firmus, medullosus, læuis & splendẽs, superiore parte in aliquot ramos diuiditur, qui paucos flores ferunt, vulgari Napello forma similes, quatuor videlicet foliis cõstantes et humili galea, sed colore violæ saturatissimo, & elegãtissimo: succedunt deinde vti in vulgari tria cornicula nigricãtia, angulosum, fuscum, rugosum semen continentia: radix exigui napi magnitudine, multis longis fibris, quæ plerumque tenui fuliginosiq́; coloris lanugine pubescunt, prædita est; atque in lateribus alias similes radices promit, quæ singulis annis nouos caules proferunt.*

Inuenitur in Tauricis iugis non procul à Salisburgo: floréţque istic Iulio, sed in cultis multo maturius, præcociúsque reliquis Lycoctonis, nempe Maio interdum.

III. Lycoctonum neubeigense. LATIORA *vulgari Napello habet Tertium folia, licet similiter incisa & laciniata, atriora item & splendentia: caulem rectum, firmum, rotundum, trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos sæpenumero ramulos superiore parte diuisum, qui flores in*





flores in spica modum congestos ferunt, purpureos, Napelli vulgaris floribus planè respondentes, hoc est, quatuor foliis constantes, quinto veluti galeola supereminente, & duo circumuoluta cornicula occulente, staminum tamen media congeries magis fusca est: florum spica quæ in extremo caule nascitur, reliquis oblongior est, & supereminet: singulis floribus terna succedunt cornicula, interdum quaterna & quina, semen atrum & inæquale continentia: radicem habet vulgaris Napelli modo, paruo napo similem, cui in lateribus adhærent alij napi fibris præditi, quibus se propagat.

Crescit in montis Neuberg Ducatus Styriæ iugo, vbi vaccarum æstiuo tempore istic pascentium stabula sunt. Floret paulo post vulgarem, videlicet Iulio.

V V L G A R I S *aut Napellus frequentissimus est in Snealben & aliorum quorundam montium iugis, vbi trimestri illo æstiuo Iunio, Iulio, & Augusto, boues & vaccæ sua stabula habent, sic vt fimi pinguedine & stercoris eluuie cum præcedente delectari videatur.* Napellus vulgaris.

M E D I V M *quodammodo inter vulgarem Napellum, & proximè descriptum Lycoctoni quartum genus est, etenim folia illis simillima obtinet: caulis inter illos medius est, sed infirmior, & superiore parte aliquantulum nutans: flores vtriusque floribus planè responderent, nisi galeâ supra quatuor folia magis subleuaretur & hiaret, atque rostro magis mucronato esset: semina in ternis corniculis simul iunctis similia: radix etiã non multùm variat.* IIII. Lycoctonum lyncæanum.

Missum fuit hoc genus à C.V. D. Stepio p.m. è Lyncæi montanis erutum, quod postea in hortis cum reliquis generibus aluimus. Floret cum superioribus aut paulo serius. Videtur proximè accedere (si ex icone indicare licet) ad id Aconitum quod Matthiolus septimo loco depingit.

V. *Trivm interdum cubitorum altitudine assurgit Quintum genus, caule tamen satis gracili; rotundo, superiore parte in multos ramos diuiso & nutante: summo caule oblongam florum spicam fert Lycoctoni cærulei vulgaris siue Napelli floribus similium, sed paulo dilutiore purpura splendentium, quibus singulis succedũt vti in aliis Lycoctoni generibus terna oblogiuscula cornicula, semine inæquali fusco plena: folia ampla & oblonga, in multas profundas tenuésque lacinias magis diuiduntur, quàm in vllo alio Lycoctoni (præter id quod à Belgis flore Delphinij nomine alitur) genere, quæ supernè atro virore prædita quidem sunt, non tamen splendent: radix crassa & oblonga napi magnitudine, foris nigricans, & per interualla multis fibris donata, superiore parte in multa capita extuberat, vnde caules emergunt: subinde tamen nouos napos exiguos ad latera adnatos habet, quibus se propagat.*

Lycoctonum maximũ nutante coma.

A Cl. V. Friderico Sebizio medico primùm ex Italia huc delatum est, & nobis communicatum.

Floret Iulio. Fortè IX. *erit Matthioli.*

VI. *Habet etiam Sextum Lycoctoni genus folia in quinque profundas lacinias (quæ denuò in ambitu diuisæ sunt) scissa, Thoræ Italicæ foliis adeò similia, vt si quis plantas, ante quàm in flores abeant, conferat, nullum ferme discrimen deprehendere queat, nisi Italicæ folia splenderent, huius minimè: caulem bicubitalem interdum, rotundum, non admodum crassum, firmum tamen & rectum, atque ex viridi purpurascentem, qui supernè quinos aut senos fert flores inter omnia Lycoctoni genera maximos, quatuor foliis constantes, vt Napellus vulgaris, supereminente galea longè maiore & vncialis longitudinis, elegantis ex cæruleo purpurei coloris, sub qua oblonga duo cornicula superiore parte la-*

Lycoctonum Iudenbergense.





tiora, & litui veterum Romanorum fere more inflexa, colore dilutius purpurascente occuluntur, stamina nigra medium florem occupant: illis succedunt tria vt plurimum corniculа, interdũ etiam quaterna & quina simul iuncta, vt in tertio genere, sed longè maiora, semen inæquale, fuscum, continentia: radix parui napi similitudinem æmulatur, & nigricantibus fibris prædita est: alias insuper similes radices in lateribus adnatas habet, tenuioribus adhuc fibris præditas, quæ singulis annis nouos caules proferunt: adnascuntur etiam infimi caulis nodis tubercula, quemadmodum in Italica Thora.

Sponte prouenit in Iudenberg, altissimo totius Styriæ mõte, vbi Spica celtica legitur: floretq; istic Augusto, in hortis sub Iulij finẽ, seruis reliquis superioribus.

ITALICA *Thora (quo nomine aliquando ad nos in Belgicam misit Cl. V. Alphonsus Pancius) huic admodum, vt retuli, similis, florem minorem dilutioremq; habet, cuius galea licet cæteris altior sit, ad sexti tamen longitudinem & amplitudinem minimè accedit.* Thora Italica

Vbertim ea nascitur ad monasterium Neuberg secundum torrentem qui monasterium alluit, & proximè altissimum illum lacum magno supra Gamingam miliari, ad Zeehof villam (quæ ab ipso nomen sumsit) situm. Floret istic Augusto. Fortè VIII. *erit malè pictum Matthioli aconitum.*

SEPTIMI *folia media quodammodo sunt inter hoc & tertium genus, huius quidem foliis quodammodo similia, nonnihil tamen ad tertij generis similitudinem accedentia, nec illis minus ampla, atro virore splendentia supernè: caulis bicubitalis, crassus, firmus, striatus, virescens & splendens: summa sui parte florum spicam tertio generi similem fere gestans, quibus etiam succedunt pares siliquæ siue capita, & simile semen: radix* VII. Lycoctonum autumnale.

tertio



tertio generi par, perennis & multis ad latera adnatis se propagans.

Aluimus hoc genus diu in Belgica, à Petro de Ouerstraete diligenti pharmacopola Bruxellensi primũ communicatum, & deinde mea opera huc delatum, Viennenses hortos ornare cœpit. Floret Augusto, qua de causa Napellum autumnalem appellare solebamus.

Illius haud meminissem, nisi à nostris, qui de re herbaria scripserunt, neglectum animaduertissem.

De Geranio montano.

Cap. II.

FECIT *similitudo foliorum huius Geranij cũ nonnullorum Ranunculorũ foliis, vt post Anemones, quas à Ranunculis seiungere non potui, collocare cuperem. Sed cùm illa Secundum nostræ Historiæ librum clauserit, in hunc Tertium post Lycoctoni descriptionẽ reiiciendum fuit. Eius verò plura sunt genera.*

CVBITALES *frequentesq́ ex vna radice producit Primum caules, firmos, geniculatos, aliquot alis brachiatos, virides, sanguineis tamen veluti guttis aspersos, hirsutos: in quorum summitatibus ad singula genicula oblongi enascuntur pediculi, in quibus bini flores, quinque foliolis (præter reliquorum Geraniorum vsitatam formam) laciniatis constantes, colore saturatius rubente & quasi atro, medium florẽ occupantibus multis staminibus circumvolutis cum stilo prominente: semen deinde succedit in falcatis valuulis (quæ maturitate vti in reliquis Geraniis dissiliunt) fuscum: folia illi ex radice multa, ampla, mollia, lanuginosa seu hirsuta, exteriore parte neruosa, Geranio batrachiodi similia, quinis, senis, aut septenis profundioribus incisuris diuisa, non tamẽ vsque ad vmbilicum, deinde per ambitum serrata,* I. Geranium φαιὸν siue pullo flore.



ſerrata, qualia etiam in ſingulis geniculis ex aduerſo ramorum enaſcuntur, atque ſubinde ad ſingulas inciſuras nigricãtibus maculis inſignita: radice nititur magna, in multa craſſa capita rubentiaq́; & multas fibras ſpargentia extuberante, ſingulis etiam annis augeſcente, & nouos ſtolones producente.

Inuenitur in Styriæ alpibus, vbi ſilua deſinere ſolet; & floret Iunio: in hortis verò vbi fœliciſſimè prouenit & luxuriat, Maio. Poſtea etiam anno 1579. maxima copia obſeruaui Maio menſe ſuis floribus onuſtum in montibus illis ſiluoſis Sclauoniæ vulgo vocatæ ſupra Drauum fl. Primùm autem mea opera Belgis innotuit, ſemine hinc vſque amicis miſſo.

ALTERVM *frequentibus è radice prodeuntibus, longoq́; pediculo nitentibus foliis præditum eſt, Ranunculi maioris aut Aconiti Lycoctoni pallido flore reſpondentibus fere, rugoſis & ſubhirſutis, in aliquot profundiores lacinias diuiſis, & deinde per ambitum ſerratis, quæ guſtata primùm adſtringunt & linguam exſiccãt, deinde nonnihil calida deprehenduntur: caule cubitali plerumque, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diuiſo, ad quas ſubnaſcuntur folia ſuperioribus minora, minoreque laciniarum numero diuiſa, ſimiliter tamen in ambitu ſerrata: ſummi rami in oblongis pediculis flores geſtant quinque foliis conſtantes, Geranij batrachiodis Belgici floribus forma pares, niſi paulo minores eſſet, nec vt illi cærulei, verùm ex purpura rubentes, decem ſtaminulis cum ſtilo è medio prodeuntibus: deinde oblonga rectaque roſtra, non inflexa & inclinata, quinis vtriculis ad eorum baſim ſemẽ continentibus, quod maturitate exilit, vt in reliquis: radix ſuperiori fere reſpõdet, et ſumma tellure in plura craſſa intusq́; rubẽtia capita extuberat, quæ fibras etiam agunt, ſingulisq́; annis augentur.*

II. Geranium βατραχιοειδὲς alterum.



Crescit hoc in Pannonicis Styriacisq; alpibus, nusquam tamen abundantius quàm supra Gamingam, in ascensu ex Herrenalben iugi ad scopulos Durrenstain. Floret illic Iulio & Augusto, in hortis Maio.

GERANIVM *autem illud Batrachiodes cæruleo flore quod Belgicis hortis alitur, copiosè nascitur in pratis apud Corenneuburg non procul à Danubio, aliisque Austriæ pratis, tum etiam Bohemiæ, non procul à Werawn oppido tertio à Praga miliari.* Geranium βατραχιῶδες primum.

TERTII, *quod foliorum similitudine cum secundo conuenit, iconem mihi anno 1581. communicauit Londini Cl. V. Thomas Pennaus Medicus cum hac descriptione.* III.

Geranium bulbosum radicē habet bulbosam ex multis paruis & oblongis bulbis constantē, versus summū fibratam, caulē cubitalē, geniculatum, iuxta radicē & genicula parum rubentem: è singulis geniculis duo folia longiusculis pediculis nitentia in quinq. præcipuas partes dissecta, quarum singulæ in ambitu inæqualiter incisæ sunt: è singulis iuncturis iuxta foliorum exortum quinque foliola mucronata exoriuntur: flores in summis ramulis coniugatim paruis pediculis insistentes rosei, ex quinque foliis constantes, colore ex purpureo rubescentes, Geranij cæruleis floribus similes, sed paulo minores. Geranium bulbosum Pennæi.

In Dania prouenit agro Hafniensi, vnde doctissimus & mihi amicissimus Turnerus Medicus Anglus attulit, & mihi dono dedit.

QVARTO *multi sunt caules admodum ramosi & frequentibus nodis cincti, hirsuti, supernè, qua solem spectant purpurascentes vel rubentes: folia ad singula genicula bina, Geranij columbini alterius foliis haud multum dissimilia, in quinque lacinias ad vmbilicum ferè diuisa, quæ plerumque in tres alias minores lacinias in-* IIII. Geranium αἱματῶδες.

in montibus territorij Freywaldensis in Silesia, & ab incolis Wolfwurtz/ *id est, lupina radix appellatur, vbi in tricubitalem interdum altitudinem excrescere & Augusto florere ait: quod ab eo certè missum in horto colimus, Iunio floret, & sesquicubitalem altitudinem anno 1579. non superauit, at subsequentibus bicubitalem aut maiorem attigit.*

II. Lycoctonum præcox tauricum. FOLIA *Secundo emergunt ineunte vere satis crassa, quinque incisuris vsque ad pediculum diuisa, & in multas deinde profundas lacinias dissecta, minus tamen quàm Napelli vulgaris folia, atro virore supernè prædita, infernè minimè, sed vtrimque splendentia: quæ alternatim caulem ambiunt, tenuius aliquantum incisa sunt, eodem tamen modo splendentia: caulis cubitalis aut sesquicubitalis plerumque, firmus, medullosus, læuis & splendēs, superiore parte in aliquot ramos diuiditur, qui paucos flores ferunt, vulgari Napello forma similes, quatuor videlicet foliis cōstantes et humili galea, sed colore violæ saturatissimo, & elegātissimo: succedunt deinde vti in vulgari tria cornicula nigricātia, angulosum, fuscum, rugosum semen continentia: radix exigui napi magnitudine, multis longis fibris, quæ plerumque tenui fuliginosiq́ coloris lanugine pubescunt, prædita est; atque in lateribus alias similes radices promit, quæ singulis annis nouos caules proferunt.*

Inuenitur in Tauricis iugis non procul à Salisburgo: florétque istic Iulio, sed in cultis multo maturius, præcociúsque reliquis Lycoctonis, nempe Maio interdum.

III. Lycoctonum neubeigense. LATIORA *vulgari Napello habet Tertium folia, licet similiter incisa & laciniata, atriora item & splendentia: caulem rectum, firmum, rotundum, trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos sæpenumero ramulos superiore parte diuisum, qui flores in*





flores in ſpica modum congeſtos ferunt; purpureos, Napelli vulgaris floribus planè reſpondentes, hoc eſt, quatuor foliis conſtantes, quinto veluti galeola ſupereminente, & duo circumuoluta cornicula occludente, ſtaminum tamen media congeries magis fuſca eſt: florum ſpica quæ in extremo caule naſcitur, reliquis oblongior eſt, & ſupereminet: ſingulis floribus terna ſuccedunt cornicula, interdum quaterna & quina, ſemen atrum & inæquale continentia: radicem habet vulgaris Napelli modo, paruo napo ſimilem, cui in lateribus adhærent alij napi fibris præditi, quibus ſe propagat.

Creſcit in montis Neuberg Ducatus Styriæ iugo, vbi vaccarum æſtiuo tempore iſtic paſcentium ſtabula ſunt. Floret paulo poſt vulgarem, videlicet Iulio.

VVLGARIS *aut Napellus frequentiſſimus eſt in Snealben & aliorum quorundam montium iugis, vbi trimeſtri illo æſtiuo Iunio, Iulio, & Auguſto, boues & vaccæ ſua ſtabula habent, ſic vt fimi pinguedine & ſtercoris eluuie cum præcedente delectari videatur.* Napellus vulgaris.

MEDIVM *quodammodo inter vulgarem Napellum, & proximè deſcriptum Lycoctoni quartum genus eſt, etenim folia illis ſimillima obtinet: caulis inter illos medius eſt, ſed infirmior, & ſuperiore parte aliquantulum nutans: flores vtriuſque floribus planè reſponderent, niſi galeà ſupra quatuor folia magis ſubleuaretur & hiaret, atque roſtro magis mucronato eſſet: ſemina in ternis corniculis ſimul iunctis ſimilia: radix etiã non multùm variat.* IIII. Lycoctonum lyncæanum.

Miſſum fuit hoc genus à C.V. D. Stepio p.m. è Lyncæi montanis erutum, quod poſtea in hortis cum reliquis generibus aluimus. Floret cum ſuperioribus aut paulo ſerius. Videtur proximè accedere (ſi ex icone iudicare licet) ad id Aconitum quod Matthiolus ſeptimo loco depingit.

V. *Lycoctonum maximũ nutante coma.* TRIVM *interdum cubitorum altitudine assurgit Quintum genus, caule tamen satis gracili; rotundo, superiore parte in multos ramos diuiso & nutante: summo caule oblongam florum spicam fert Lycoctoni cærulei vulgaris siue Napelli floribus similium, sed paulo dilutiore purpura splendentium, quibus singulis succedũt uti in aliis Lycoctoni generibus terna oblogiuscula cornicula, semine inæquali fusco plena: folia ampla & oblonga, in multas profundas tenuésque lacinias magis diuiduntur, quàm in vllo alio Lycoctoni (præter id quod à Belgis flore Delphinij nomine alitur) genere, quæ supernè atro virore prædita quidem sunt, non tamen splendent: radix crassa & oblonga napi magnitudine, foris nigricans, & per interualla multis fibris donata, superiore parte in multa capita extuberat, vnde caules emergunt: subinde tamen nouos napos exiguos ad latera adnatos habet, quibus se propagat.*

A Cl. V. Friderico Sebizio medico primùm ex Italia huc delatum est, & nobis communicatum.

Floret Iulio. Fortè IX. *erit Matthioli.*

VI. *Lycoctonum Iudenbergense.* HABET *etiam Sextum Lycoctoni genus folia in quinque profundas lacinias (quæ denuò in ambitu diuisæ sunt) scissa, Thoræ Italicæ foliis adeò similia, vt si quis plantas, ante quàm in flores abeant, conferat, nullum ferme discrimen deprehendere queat, nisi Italicæ folia splenderent, huius minimè: caulem bicubitalem interdum, rotundum, non admodum crassum, firmum tamen & rectum, atque ex viridi purpurascentem, qui supernè quinos aut senos fert flores inter omnia Lycoctoni genera maximos, quatuor foliis constantes, vt Napellus vulgaris, supereminente galea longè maiore & vncialis longitudinis, elegantis ex cæruleo purpurei coloris, sub qua oblonga duo cornicula superiore parte la-*

tiora, &





tiora, & litui veterum Romanorum fere more inflexa, colore dilutius purpurascente occuluntur, stamina nigra medium florem occupant: illis succedunt tria vt plurimum cornicula, interdū etiam quaterna & quina simul iuncta, vt in tertio genere, sed longè maiora, semen inæquale, fuscum, continentia: radix parui napi similitudinem æmulatur, & nigricantibus fibris prædita est: alias insuper similes radices in lateribus adnatas habet, tenuioribus adhuc fibris præditas, quæ singulis annis nouos caules proferunt: adnascuntur etiam infimi caulis nodis tubercula, quemadmodum in Italica Thora.

Sponte prouenit in Iudenberg, altissimo totius Styriæ mōte, vbi Spica celtica legitur: floretq; istic Augusto, in hortis sub Iulij finē, serius reliquis superioribus.

ITALICA *Thora (quo nomine aliquando ad nos in Belgicam misit Cl. V. Alphonsus Pancius) huic admodum, vt retuli, similis, florem minorem dilutioremq; habet, cuius galea licet cæteris altior sit, ad sexti tamen longitudinem & amplitudinem minimè accedit.* Thora Italica

Vbertim ea nascitur ad monasterium Neuberg secundum torrentem qui monasterium alluit, & proximè altissimum illum lacum magno supra Gamingam miliari, ad Zeehof villam (quæ ab ipso nomen sumsit) situm. Floret istic Augusto. Fortè VIII. *erit malè pictum Matthioli aconitum.*

SEPTIMI *folia media quodammodo sunt inter hoc & tertium genus, huius quidem foliis quodammodo similia, nonnihil tamen ad tertij generis similitudinem accedentiā, nec illis minus ampla, atro virore splendentia supernè: caulis bicubitalis, crassus, firmus, striatus, virescens & splendens: summa sui parte florum spicam tertio generi similem ferè gestans, quibus etiam succedunt pares siliquæ siue capita, & simile semen: radix* VII. Lycoctonum autumnale.



tertio generi par, perennis & multis ad latera adnatis se propagans.

Aluimus hoc genus diu in Belgica, à Petro de Ouerstraete diligenti pharmacopola Bruxellensi primũ communicatum, & deinde mea opera huc delatum, Viennenses hortos ornare cœpit. Floret Augusto, qua de causa Napellum autumnalem appellare solebamus.

Illius haud meminissem, nisi à nostris, qui de re herbaria scripserunt, neglectum animaduertissem.

DE GERANIO MONTANO.

CAP. II.

FECIT *similitudo foliorum huius Geranij cũ nonnullorum Ranunculorũ foliis, vt post Anemones, quas à Ranunculis seiungere non potui, collocare cuperem. Sed cùm illa Secundum nostræ Historiæ librum clauserit, in hunc Tertium post Lycoctoni descriptionẽ reiiciendum fuit. Eius verò plura sunt genera.*

CVBITALES *frequentesq; ex vna radice produ-* 1.
cit Primum caules, firmos, geniculatos, aliquot alis brachiatos, virides, sanguineis tamen veluti guttis aspersos, hirsutos: in quorum summitatibus ad singula genicula oblongi enascuntur pediculi, in quibus bini flores, quinque foliolis (præter reliquorum Geraniorum vsitatam formam) laciniatis constantes, colore saturatius rubente & quasi atro, medium florẽ occupantibus multis staminibus circumvolutis cum stilo prominente: semen deinde succedit in falcatis valuulis (quæ maturitate vti in reliquis Geraniis dissiliunt) fuscum: folia illi ex radice multa, ampla, mollia, lanuginosa seu hirsuta, exteriore parte neruosa, Geranio batrachiodi similia, quinis, senis, aut septenis profundioribus incisuris diuisa, non tamẽ vsque ad vmbilicum, deinde per ambitum serrata,

Geranium φαιὸν siue pullo flore.



ſerrata, qualia etiam in ſingulis geniculis ex aduerſo ramorum enaſcuntur, atque ſubinde ad ſingulas inciſuras nigricãtibus maculis inſignita: radice nititur magna, in multa craſſa capita rubentiaq́; & multas fibras ſpargentia extuberante, ſingulis etiam annis augeſcente, & nouos ſtolones producente.

Inuenitur in Styriæ alpibus, vbi ſilua deſinere ſolet; & floret Iunio: in hortis verò vbi feliciſſimè prouenit & luxuriat, Maio. Poſtea etiam anno 1579. màxima copia obſeruaui Maio menſe ſuis floribus onuſtum in montibus illis ſiluoſis Sclauoniæ vulgo vocatæ ſupra Drauum fl. Primùm autem mea opera Belgis innotuit, ſemine hinc vſque amicis miſſo.

II. Geranium Σατραχιώδες alterum.

ALTERVM *frequentibus è radice prodeuntibus, longoq́; pediculo nitentibus folijs præditum eſt, Ranunculi maioris aut Aconiti Lycoctoni pallido flore reſpondentibus fere, rugoſis & ſubhirſutis, in aliquot profundiores lacinias diuiſis, & deinde per ambitum ſerratis, quæ guſtata primùm adſtringunt & linguam exſiccãt, deinde nonnihil calida deprehenduntur: caule cubitali plerumque, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diuiſo, ad quas ſubnaſcuntur folia ſuperioribus minora, minoreq́ue laciniarum numero diuiſa, ſimiliter tamen in ambitu ſerrata: ſummi rami in oblongis pediculis flores geſtant quinque folijs conſtantes, Geranij batrachiodis Belgici floribus forma pares, niſi paulo minores eſſet, nec vt illi cærulei, verùm ex purpura rubentes, decem ſtaminulis cum ſtilo è medio prodeuntibus: deinde oblonga rectaq́ue roſtra, non inflexa & inclinata, quinis vtriculis ad eorum baſim ſemẽ continentibus, quod maturitate exilit, vt in reliquis: radix ſuperiori fere reſpõdet, et ſumma tellure in plura craſſa intusq́; rubẽtia capita extuberat, quæ fibras etiam agunt, ſingulisq́; annis augentur.*

Crescit hoc in Pannonicis Styriacisq; alpibus, nusquam tamen abundantius quàm supra Gamingam, in ascensu ex Herrenalben iugi ad scopulos Durrenstain. Floret illic Iulio & Augusto, in hortis Maio.

GERANIVM *autem illud Batrachiodes cæruleo flore quod Belgicis hortis alitur, copiose nascitur in pratis apud Corenneuburg non procul à Danubio, aliisque Austriæ pratis, tum etiam Bohemiæ, non procul à Werawn oppido tertio à Praga miliari.* Geranium βατραχιῶδες primum.

TERTII, *quod foliorum similitudine cum secundo conuenit, iconem mihi anno 1581. communicauit Londini Cl. V. Thomas Pennaus Medicus cum hac descriptione.* III.

Geranium bulbosum radicē habet bulbosam ex multis paruis & oblongis bulbis constantē, versus summū fibratam, caulē cubitalē, geniculatum, iuxta radicē & genicula parum rubentem: è singulis geniculis duo folia longiusculis pediculis nitentia in quinq. præcipuas partes dissecta, quarum singula in ambitu inæqualiter incisa sunt: è singulis iuncturis iuxta foliorum exortum quinque foliola mucronata exoriuntur: flores in summis ramulis coniugatim paruis pediculis insistentes rosei, ex quinque foliis constantes, colore ex purpureo rubescentes, Geranij cæruleis floribus similes, sed paulo minores. Geranium bulbosum Pennæi.

In Dania prouenit agro Hafniensi, unde doctissimus & mihi amicissimus Turnerus Medicus Anglus attulit, & mihi dono dedit.

QVARTO *multi sunt caules admodum ramosi & frequentibus nodis cincti, hirsuti, supernè, qua solem spectant purpurascentes vel rubentes: folia ad singula genicula bina, Geranij columbini alterius foliis haud multum dissimilia, in quinque lacinias ad vmbilicum fere diuisa, quæ plerumque in tres alias minores lacinias in-* IIII. Geranium αἱματῶδες,





cisæ sunt, hirsuta, supernè virentia, infernè nonnihil canescentia, gustu linguam exsiccante: ex superioribus alis oblongi nascuntur pediculi, vnicum sustinentes singuli florem, inter reliqua Geranij genera maximum, quinq. foliis constantem, Cisti maris flori ferme parem, colore rubro, decem intus staminulis: deinde capita pentagona semen, vt alia, in valuulis continentia, quod maturum cum crepitu exilit, circumuoluentibus se, queadmodum in reliquis generibus valuularum mucronibus: radix satis crassa, rubescens, nonnullisq; fibris donata, nouas sub terram propagines singulis annis ad latera spargit, quæ similiter fibras agunt.

Nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ infra Anisum cæduis montanis siluis, editioribusq; gramineis locis: insuper vltra Drauum, vbi mons arci Greben vicinus, qua parte occidentem spectat, eo fere consitus est. Floret Maio, & plerumque tota reliqua æstate.

2. *Simili flore disparibus tamen foliis & Batrachiodis Geranij potius æmulis inuenitur aliud genus ad pratorum margines umbrosos interque vepres, ad pagum Calzeret supra Noribergam itinere Pragensi.*

Geranium αἱματῶδες alterum.

TRAGO *quartum genus ignotum minimè fuisse videtur: sed ab eo* Blutwurtz *appellari. Reliquorum nullum vulgare nomen noui. Vngari vulgare Geranium* Varyu lab, *id est, Cornicis pedem nuncupant, vt columbinum* Golia korem, *hoc est, Ciconiæ vnguem.*

Slauonicæ mulieres quarti decoctum ex profluente aqua mirificè cōmendant in capitis grauedine, si syncipüt, vbi dolor est, eo abluatur, deinde herba decocta superimponatur, postremò (quod superstitione non caret) in profluentem, vnde aqua fuerit hausta, abiiciatur.

D 2

DE QVINQVEFOLIO.


CAP. III.

COPIOSE *hîc nascuntur varia Pentaphylli genera, multis aliis Prouinciis vulgaria: quæ cùm ab aliis descripta sint, superuacaneum duximus eorum historiam hîc inserere. De iis igitur hoc capite solùm acturi sumus, quæ à nemine, quod intellexerim, adhuc sunt prodita.*

VNVM *multa folia habet Quinquefolio vulgari similia, quinquepartitò vsque ad pediculum diuisa, per ambitũ minime, vt illa, serrata, sed extremis duntaxat foliorum oris, subtus incana quadam lanugine hirsuta, gustu primùm gummoso & emplastico, deinde nonnihil amaricante: aliquot sub his exoriuntur cauliculi graciles & tenues, dodrantales, humi procumbentes, in summo ternos aut quaternos flores proferentes Pentaphyllo vulgari similes, sed omnino candidos, quibus succedit calyx hirsutus, semen continens planum ranunculi fere seminis æmulum, in caput congestum: radix crassa nigricat, in ambitu sese diffundit, & multis fibris hirsuta est.* I. Pentaphyllũ maius albo flore.

Prouenit nõ modò in colle illo nemoroso supra Manderstorf oppidum tepidarum aquarum scaturigine nobile: sed etiam in omnibus illis siluis montosis quæ à Danubio procurrẽtes, ad Alpes vsque pertingunt. In siluis item supra Nemethwywar & Zollonock, atque etiam apud Entzestorf, & plerisque pratis siccioribus primo ab vrbe Vienna miliari, & in Morauia: tum in montibus vltra Drauum. Floret Aprili & Maio, interdum denuò Autumno.

ALIVD *ex eadem radice, quæ nigra est, multos plerumque cauliculos proferre solet confertim nascenti-* II. Pantaphyllũ minus albo flore.











gi rudimentum congestum, fuscum: radix longa, dura, satísque crassa, foris nigricans, & tenuibus fibris donata: sed & rami illi humi fusi plerumque fibras agunt, & vicina loca occupant.

Nihil illo vulgatius secundum vias locis siccis & nudis Pānoniæ, Austriæ inferioris, Morauiæ & Bohemiæ. Florere incipit ineunte propemodum vere.

2. *Eius genus inuenitur humi similiter fusum, cuius cauliculi non virent, sed purpurascunt, gracilioresq. sunt, folia angustiora, hirsutiora, & altius per oras serrata: flores etiam magis aurei: cetera conueniunt.*

Pentaphyl. repens minus aureo flo.

Cum superiore nascitur, & floret, minus tamen frequens est.

V. QVINTVM *habet quinque, sex, aut plures foliorum alas à radice prodeuntes, hoc est oblongas costas, rubentes, quibus quinque vt plurimum folia, interdum verò etiam septem inhærent, contrario inter se foliorum exortu nascentia, vno, quod extremæ alæ insidet, imparitatem semper faciente: sunt autem ea rugosa, hirsuta, per oras serrata, supina parte virentia, prona aliquantulum incana, fragariæ vulgari fere similia, minora tamen, sapore aliquantulum adstringente: caulis deinde assurgit gracilis, firmus, ruber, pedalis aut amplior, in quo sparsa sunt pauca folia superioribus minora, quinq. tamen vt illa numero, & arctius coniuncta, in summo autem vbi in quosdam ramulos diuiditur, terna tantum vni pediculo inhærentia: ferunt verò ij ramuli siue virgulæ albos flores, vulgari fragariæ similes, & paulo minores, quinque foliis constantes, & in medio lutea staminula obtinentes: quibus succedit fructus frago similis, minor tamen, nec vlla saporis gratia commendabilis, deinde exigua ruffescentia semina: radix satis crassa, longa, dura & lignosa rubescit, & nigro adstringente cortice obducta est.*

Pentaphyllū fragiferum.

Nascitur



Nascitur in Leytenberg locis vmbrosis ad arcem in media silua supra Manderstorf sitam, quo loco duntaxat aliquot annis obseruaueram. Sed anno 1579. copiosè nasci vidi inter Rabam, Muram, & Drauũ flumina Pannoniæ, omnium autem abundantissimè circa Sachtyrnia Ill[mi] *Dn. Comitis de Zrinio arcem munitissimam, quæ sita est inter Muram & Drauum: nascitur verò istic non modò in siluis cæduis, sed etiam gramineis campis. Anno autem subsequente etiam supra Petelstorf in siluis secundo fere à Vienna miliari obseruaui. Floret Maio, fructus paulo serius maturescit, effluuntque semina quemadmodum in reliquis Quinquefoliis.*

PRIORIS *meminisse videtur diligẽtissimus Anguilara opinione 12. Alterũ fortè describit noster Lobelius in doctissimis aduersariis: nostrum tamen flores habet fragariæ floribus magnitudine nõ inferiores. Poterit autẽ eodem nomine quo ille suum vocauit insigniri,* Pentaphyllon minimũ & petræum. *Tertio,* Pentaphylli alpini flore aureo *nomẽ indidi: licebit verò studiosis pro arbitrio nomen mutare. Cõmodè Quartũ dici poterit* Pẽtaphyllon repens minus. *Quintũ Plinio non incognitum fuisse videtur: Etenim lib. 25. cap. 9. Natural. Hist. sic scribit. Quinquefolium nulli ignotũ est, cùm etiam fraga gignendo cõmendetur. Vulgaris certè fragaria tria duntaxat folia habet, quare ad eam plantam cuius Plinius iã dicto loco meminit, minimè referri posse arbitror. fructus verò huius, esui nõ admodũ aptus, facit, vt Quinquefolium Plinij esse nostrũ hoc quintum, asserere non ausim. Quæ autem postea addet, ad Quinquefolium vulgare proculdubio spectant. Vt vt sit, hoc meum* Pentaphyllon fragiferum *tantisper appellabo, donec aliud aptius nomen mihi aut aliis succurrat.*

Porrò

Porro neminem existimare velim hoc meũ idem esse cum Pentaphyllo supino Tormentillæ facie, cuius iconem & historiam in suis obseruationibus Lobelius exhibet. Nam illud etiam frequens est agro Viennensi in extremis pratorum marginibus secundum siluas: & nõnihil affinitatis cum Anserina Tragi, seu Potentilla Fuchsij habere videtur, tametsi neque incanum sit, neque repat. Pentaphyllũ supinum potentillæ facie.

De Caryophyllata montana.

Cap. IIII.

DVO *Caryophyllatæ elegantia genera in harum Prouinciarum montibus inueniuntur à vulgari diuersa, quorum historiã Quinquefoliis subiicere voluimus.*

PRIMVM *radicem habet digitali aut pollicari interdum crassitudine, summa tellure crescentem, crasso & purpurascente cortice tectam, impensè adstringentem, nodorum vestigiis, quemadmodum in Acori radice alternatim distinctam, anterius vti illa progredientem, & multis nigricantibus fibris odore non iniucundis & proximè ad vulgaris radices accedẽtibus firmatam, suprema parte in aliquot capita diuisam: vnde oblongæ vt in Eupatorio emergunt foliorũ alæ, multis minoribus, virentibus & in ambitu serratis foliis nunc æqualiter, nunc confuso ordine vtrinque nascentibus constantes, extrema ala in maiora tria folia aliquantulum per oras laciniata, & vt reliqua in ambitu serrata semper desinente, quorum tertium & postremum reliquis maius est, & magis orbiculare gustu exsiccante: inter has alas emergunt pedales, aliquando etiam maiores caules, firmi, rotundi, breuioribus minoribusq́ foliorum alis lata sede eos amplectentibus obsiti, superiore parte purpurascentes, in aliquot ramulos simili colore praditos & deorsum inflexos siue nutantes diuisi; qui propen-* I. Caryophyllata alpina nutante flore.

dentes



dentes sustinent flores, quinque vt plurimum foliis nonnunquam senis aut septenis suauiter rubentibus constantes, orbiculatis fere, at vngue oblongiore & angusto, nunquam se explicantibus, aut calyculum superantibus, sed quodammodo ipso inclusis, medium occupante villosa congerie luteis staminulis obsita, quæ paulatim purpurascentem colorem contrahit, & tandem sese erigens & explicans, maturitate semen vt in vulgari Caryophyllata cui inhæret ostendit. Tota planta cum suis etiam calyculis lanugine pubescit.

Crescit media fere montium regione locis vdis & riguis cum Sanicula proximo capite describenda & Ranunculo platyphyllo sub arboribus. Floret istic Iunio: at in hortis Maio, vel etiam maturius interdum.

II. Caryophyllata alpina aureo flore.

SIMILI *etiam propemodum radice serpit. Alterius radix, superiore non minor: at rarò in tam multa capita extuberans: è quibus multæ similiter foliorũ alæ nascuntur superioribus non breuiores, sed frequentioribus minoribus foliis in ambitu serratis vtrinque ornatæ, vnico dantaxat, & quodammodo circinato folio, in tres tamen plerumque lacinias diuiso & in ambitu serrato extremam alam occupante, quæ splendet & dilutius viret quàm primi generis: nascuntur etiam inter ea pedales rami superiore graciliores, & minoribus magisq; laciniatis foliis obsiti, singulares plerumque, nonnunquam etiam plures calyculos sustinentes, in quibus flores aurei, quinque foliis vulgari maioribus præditi, floris Cisti feminæ amplitudinem interdum æquantes, medium occupantibus multis luteis staminulis, inter quæ latet villosa quædam cõgeries, quæ excusso flore sese explicans mollior est superiore, & semen planum adnatum ostendit, quod maturitate fuscum est. Tota etiam hæc plãta lanugine obsita est, & adstrictoriæ facultatis.*



Caryophyllatæ II. flores.



Hoc genus in summis duntaxat iugis, nec in omnibus tamen, sed inter gramina vel sub fruticibus nascitur. Floret istic Iunio, Augusto semen maturum est: in hortis maturius cum superiore.

M ERITO *his coniungenda est elegans hæc planta, quam nascentem nunquam conspexi, nec is qui iconem suis coloribus depictam mihi communicauit Pennæus noster: sed ex C. V. Conradi Gesneri depicto herbario desumsisse fatetur.* III. Geum aquaticũ Gesneri.

Folia quidem Caryophyllatæ sunt, sed an lanugine



pubeſcant, ex pictura colligere non licet, quemadmodum nec qua ſit radice prædita, nec qualia ſint quæ ex ea emergunt folia: ſoli enim caules cum floribus fuêre depicti, qui ſanè elegantis & ſanguinei ſunt coloris veluti Byzantinus ranunculus. Duorum autem eſt generum: nam alter flos multiplici foliorum textura & ſerie conſtat, alter ſimplici, vtriuſque medium, quemadmodum in aliis Caryophyllatis, occupante villoſa congerie.

NVLLVM *vulgare nomen iſtarum plantarum intellexi: ſed ſecundum genus à Matthiolo deſcribitur Caryophyllatæ montanæ nomine commentariis in 4. lib. Dioſcoridis: pictura tamen non admodum feliciter eſt expreſſa. Tertiæ iconi adſcriptum fuit Geum aquaticum flore ſimplici & multiplici.*

DE SANICVLA MONTANA.

CAP. V.

TAMETSI *non ignorem Auriculas vrſi vulgo nuncupatas Saniculæ alpinæ aut montanæ nomine à nonnullis appellari: de iis tamen hôc capite minimè ſermonem inſtitui (nam inter Primulas deſcriptæ ſunt) ſed de alio quodam Saniculæ genere alpibus familiari, quod ob elegantiam negligendum non fuit.*

HABET *verò id multa folia circinatæ ferè rotunditatis, ſaxifragæ aureæ æmula, oblongis pediculis inhærentia, per ambitum inciſa, ſuperne viridia, inferne aliquantulum exalbida & valde hirſuta, ſapore adſtringente: caules deinde promit pedales, aut interdum ampliores, virides, hirſutos, & in his folia ſuperioribus reſpondentia: ſummi caules in plures alas diuiduntur, & ſingulis ramis inſident terni aut quaterni floſculi odore oxyacanthæ, quinque foliolis albis cõſtantes, quæ veluti ſanguineis punctis interiore parte diſtincta ſunt, capitulis biſi-* I. Sanicula mõtana ſiue guttata.



lis bifidis cum decem ſtaminibus medium florem occupantibus: continent verò ea capitula Saxifragæ albæ vulgo appellatæ capitulis perquam ſimilia per maturitatem ſemen minutum & exile admodum, nigrum: radix multis fibris candicantibus prædita eſt, & à lateribus propagines agit.

Creſcit in omnibus harum Prouinciarum alpibus loco vmbroſo, hoc eſt vbi plerumque ſiluæ in Alpium iugis deſinere incipiunt, cum Ranunculo platyphyllo, Geranio primo, ſiue pullo flore, & ſimilibus ſtirpibus quæ vmbra quàm Sole magis gaudent. Floret Iunio, interdum etiam ſerius, in hortos verò tranſlata, multo maturius.

SIMILE *fere genus inuenitur in Snealben, viciniſque alpibus: ſed minus, anguſtiore folio, & per extremum ſerrato, hirſuto etiam & guſtu adſtringente, colore ex herbaceo palleſcente: è medio foliorum prodeunt cauliculi dodrantales, nudi, qui circa ſummum in plures ramulos ſeſe explicant candidis floſculis ſuperiori ſimilibus onuſtos, verùm ſanguineis guttis haudquaquam, vt illi, aſperſis: capitula deinde ſuccedunt, quemadmodum in ſuperiore, bifida, exiguum nigricans ſemen continentia. Floret Iunio, in hortis autem Maio, aut etiam maturius.* II. Sanicula mõtana minor.

MIHI *Prior aliquando miſſa fuit Ferraria Machliniam à Cl. V. Alphonſo Pancio,* Saniculæ guttatæ *nomine, quoniam eius flores, vti dixi, ſanguineis veluti maculis aſperſi ſunt. Dubito an ea ſit quam Lobelius in Aduerſariis Geum alpinum vocat. Montani paſtores & venatores* Weyſs Sanikel *appellant. Nullum autem, quod ſciam, nomen vulgare Altera obtinuit apud ipſos: ſed cum pleriſque aliis negligitur.*

Quibus verò facultatibus vtraq. ſit prædita, nõdum intellexi.

ABVNDANT *etiam Pannoniæ vtriusque & vicinarum Prouinciarum prata, vmbrosæ siluæ, & montes, Sanicula vulgari Diapensia dicta, Sanicula fœmina Fuchsij, quam vtramque Vngari* Sanicor *appellant, Alchimilla, & congeneribus plantis: & ad montium radices locisque aliis humidis & vmbrosis Saxifraga aurea cognominata: aperti autem gramine consiti colles Saxifragam albam tuberosa radice alunt, cui, quas modò descripsi, congeneres videntur.*

Diapensia.

Alchimilla.

Saxifraga aurea.

Saxifraga alba.

De SANICVLA alpina siue montana altera.

CAP. VI.

NATALIVM *communio facit vt hanc elegantem plantã Saniculæ iam descriptæ subiiciam, tametsi temperamenti & facultatum ratione commodiorem proximum ab Auriculis locum forsitan obtinuisset.*

Sanicula alpina rubro flore.

I. MVLTA *folia promit nouo vere satis crasso pediculo nitentia, adeò sese per oras initio contrahentia, prona parte, vt orbiculata videantur, admodum neruosa & rugosa, atque supina parte tumentia & crispa vt Lusitanici ranunculi, aut Lactucæ capitatæ folia, deinde vbi sese explicarunt in ambitu non modò serrata, sed etiam in sex aut plures lacinias diuisa, omnino virentia, supernè quodammodo splendentia, infernè minimè, gustu feruido: inter quæ palmaris exit cauliculus, firmus, erectus, nudus & sine foliis, subpurpurascens, qui in summo Primularum & Auricularum instar è medio quorundam foliorum capite, octo, nouem, aut plures producit flosculos concauos, campanulæ modo pensiles & deorsum spectantes, quinque crenis diuisos eleganti rubro colore intensiore & ad purpuram tendente, fundo interiore albo, & quinque angulis prædito, prodeuntibus ex imo quinq. staminulis luteis album fundum non*

superanti-

Sanicula montana altera.



ſuperantibus, & medium oblongum ſtilum complectentibus, odore ſuaui, quemadmodum fere Auriculæ vrſi rubræ ſiue ſecundæ flores: quibus defluentibus ſuccedunt capitula, tenue, fuſcum, vt illa, ſemen continentia: radix numeroſis, oblongis, tenuibus, & nigricantibus fibris ex vno capite prodeuntibus cõſtat, ſingulis annis ad latera augeſcens & incrementum ſumens, vt temporis ſucceſſu veluti Auriculæ & Primulæ aliæque ſimiles in plures ſtirpes diuidi & pangi poſſint. Tota planta hirſutiore lanugine pubeſcit.

Promiſcuè naſcitur cum ſuperiore, & interdum, quando adhuc tenella eſt, altera pro altera eruitur: eodem etiam tempore cum illa floret, licet in hortis hæc paulo maturius, videlicet Maij initio.

Cortuſa Matthioli. I L L A M *eſſe omnino arbitror quam C. V. Matthiolus ab ampliſſ. Cortuſo acceptam Cortuſam nuncupauit, & Caryophyllatis ſubiecit: verùm cùm neque facie, neque temperamento vllam affinitatem cum iis habere videatur, commodius meo iudicio Auriculis, vt dixi, coniungetur, quibus diſſimiles nõ habet facultates. Eam autem florum varietatem quam ipſe in Cortuſa inueniri ſcribit, in hac noſtra nondum deprehendi. Sed illud obſeruaui peculiare quoddam exiguæ erucæ & virentis atque tumidæ genus in ipſa gigni vberrimè.*

DE DENTARIIS VVLGO DICTIS.

CAP. VII.

S A N I C V L Æ *nomen aliam plantam hîc ſubiicere me cogit, quæ Viennenſi agro à pleriſque ruſticis vicinarum ſiluarum & montium incolis Sanicula etiam appellatur: tametſi ad Dentarias potius referri debere videatur, cui alia ſimiliter genera coniungemus.*

I. Dentaria baccifera. O B L O N G A *autem ſerpit Prior radice, dentata, &*

veluti



veluti ex multis geniculis constante, alba, interdũ etiam purpurascente, subinde ex lateribus nouas propagines generante, sapore ingrato & linguam primùm siccante, deinde acri: ex cuius lateribus prodeunt folia oblongo pediculo & costæ (quæ secundum terram purpurascit, postea viridis est) inhærentia, quina plerumque, interdum plura, inter se opposita maiore ex parte, alteráque tantum latere crenata, eo quòd imparem numerum facit & extremæ costæ insidet, duntaxat vtrinque crenato, gustu primùm acido, postmodum acri & feruente: caulis cubitalis est, gracilis, nudus, quem circa medium binæ aut ternæ alæ, interdum plures, ex tribus solùm foliis modò descriptis respondentibus cõstantes ambiunt, superior verò pars oblongis angustisq́; foliis, nunc leuiter, nunc minimè crenatis, confuso ordine obsita est: extremo cauli insident quaterni, quini, aut plures flores, Leucoij aut Hesperidis florum æmuli quidem, sed minores, quatuor foliis albis, aut ex candido leuiter purpurascentibus præditi: quibus succedunt siliquæ Sinapi ferè æmulæ, breuiores tamen, quæ vnà cum suis pediculis inanes plerumque decidunt & pereunt, nonnunquam tamen crassiores euadunt, semenq́; ferunt Hesperidi ferè simile, aut iis Dẽtariis, quas Cl. V. Remb. Dodonæus Cæs. Maximiliani II. & Rudolphi II. olim Medicus veteri amicitia mihi coniunctus in Appendice Purgantium historiæ exhibet, quod dissilientibus siliquis excutitur. Sed præter id semen, ad singulorum ferè foliorum quæ caulem ambiunt alas & exortum tubercula quædam adnascuntur bulbulis Martagonis vulgo vocati, siue Lilij rubri bulbiferi haud absimilia, ac veluti ex squãmis cõpacta, initio viridia, deinde nigra aut pulla, ingrati admodũ saporis: ea verò facilimè decutiũtur, sponteq́; præmatura decidunt, & terra sepulta nouellas plantas gignunt.

Pro-

Prouenit in vtriusque Pannoniæ vicinarumq́; regionum opacis siluis: atque, vti arbitror, totius Germaniæ montanis saltubus. Nam ante annos triginta cum Cl. V. Andrea Hyperio in siluis nō procul Marpurgo sitis eruere memini: & Doctiss. Ludouicus Ioachimi F. Camerarius in Misnia inuenirí mihi significauit.

Floret autem Aprili: Bulbuli Maio nigricantes conspiciuntur.

II. Dentaria ἐννεάφυλλος.

ALTERA *pedalem profert caulem, firmum, rotundum, læuem, quem in summo ferè ambiunt tres pediculi (rarissimè quatuor) singuli terna folia sustinentes, ampla, mucronata, in ambitu serrata, saturatius virentia, gustu feruido: summum caulem exornant quini aut seni flores quatuor foliis constantes, Dentariæ heptaphylli æmuli, colore ex herbaceo pallescente, deorsum spectantes; flores sequuntur oblonga cornicula, torosa, mucronata, qualia sunt Dentariarum Pentaphylli & Heptaphylli, iam memoratarum, & in his etiam simile semen, hoc est Hesperidis fere, sed crassius atque virescens, quod dissiliētibus corniculis exilit ante quàm probè maturum videatur: alia item folia à radice profert, terna tantùm in singulis oblongis pediculis nascentia, superioribus multo ampliora, sed breuiora: radix nouella alba est, vetusta nigricat, multis articulis sic distincta, vt è plurimis dentibus coagmētata videatur, Dentariæ ἀφύλλου radici haud absimilis.*

Exit in vtriusque Pannoniæ vmbrosis siluis nō modò ad montium radices, sed etiam circa mediam eorum regionem, vbi prealtarum arborum siluæ plerumque in Alpibus desinere solent. Inueni & vltra Drauum, in monte Grebén imminenti cum primo genere: atq. etiam in Hercinia silua Bohemiam ambiente.

Floret Aprili vicinis Viennæ locis, & aliis humilioribus: se-



bus: semine pragnans est Maio & Iunio: ast in montibus serius floret.

NIHIL habet cõmune cũ superioribus Tertia, præter dentatam radicem. Tota autem tenella est, & cauliculum promit dodrantalem, aut paulo ampliorẽ, succi plenum, & quasi transparentem, candicantem, sine foliis, sed veluti quibusdam articulis distinctum: flores promit in summo binos aut ternos, alternatim dispositos, ex albo purpurascentes, nigræ violæ siue potius orchidis florum æmulos, admodum tenellos: radix cãdida e multis veluti denticulis congesta est. III. Dentaria ἄφυλλος altera.

Florentem Augusto mense inuenimus ad radicem Etscheri iugi, dum illud anno Domini 1578. per siluam conscenderemus, sub abietibus aliisq; huius generis arboribus quò sol vix vnquam penetrat, nullæq; fere aliæ stirpes nascuntur.

QVARTÆ flores minores sunt, orchidis pumilæ floribus pares, similiterq; ex herbaceo pallescẽte (labro tamen propendente exalbido, & circa vmbilicum purpureis radiis insignito) inodori, quinque aut sex, spicæ in modum in dodrantali caule enascentes, qui foliis caret, & veluti subfuscis vaginulis reconditus est: radicẽ habet ramosam corallij modo, omnino candidam, succi plenam, nullis fibris cohærentem, sapore amarusculo. IIII. Dentaria ἄφυλλος tertia siue κοραλλοειδής.

Hanc duntaxat obseruaui anno 1580. in silua recens cæsa paulo supra EntZestorf Generosi Dn. Wolfij Christophori ab EntZestorf arce, Maio mense florentẽ.

HARVM regionum incolæ Priorem appellant Weyss Sanickel, id est Saniculam albam: rhizotomæ vero mulierculæ, quæ multas stirpes in Viennensi foro venales proponere solent, Grimwurtz, nomine ab effectu sumto vocant, quòd pueris tormina patientibus eius radicis decoctum propinatum vtile esse credatur. Ego

Dentaria coralloide radice. III.



Dentaria Matthioli pentaphyllos IIII.



Dentariam bulbiferam siue bacciferam appellari posse arbitror: videtur autem ea esse quam Cordus l. b. Histor. stirpium 2. cap. 111. Coralloidem appellat. Alteram Dentariam ἐννεάφυλλον cognominaui, quoniam summo caule nouem folia profert. Tertia mihi erit Dentaria ἄφυλλος altera, seu minor, ad Anblati Cordi vel Dentariæ maioris Matthioli differentiam, quam Dentariam ἄφυλλον primam vel maiorem posthac nominare licebit. Ea autem frequẽs est in Leytano saltu siue Leytenberg supra oppidum Manderstorf, & Viennensi silua, vbi Aprili flore carneo pulcherrimo & iucundissimo onusta conspicitur, inter frutices loco vmbroso nascens: atque à rhizotomis mulierculis St Georg wurtzel, *S^ti Georgij radix nuncupatur. Quarta nullũ vulgare nomen apud rusticos inuenit: sed ἄφυλλος κοραλλοειδὴς, à radice, quæ corallini rami speciem refert, non incommodè cognominari poterit.*

Dentaria ἄφυλλος prima.

CETERVM *Dentaria minor Matthioli, & Coralloides altera Cordi a nonnullis existimata in Alpibus supra Lacum Lemanum ante 28. annos a me sunt obseruatæ: in Pannonia verò nusquam eas conspexi. Prior Dentaria πεντάφυλλος, posterior Dentaria ἑπτάφυλλος, meo iudicio non inepte vocari possent. Nam vna quinque foliis vni pediculo inhærentibus prædita est: altera septena plerũq. folia in vna costa ex aduerso nascentia habet, quemadmodum & baccifera, dissimilia tamen.*

Dentaria πεντάφυλλος. Dentaria ἑπτάφυλλος.

VTRIVSQVE *huius generis meminit Iosias Simlerus ad finem Commentarij de Alpibus his verbis.*

Wilder Zenff, *herba eius nominis duarum specierum reperitur. Prior vno pediculo septena habet folia, supremo caule multos flores purpureos & partim albos,*

[albos

Dentaria heptaphyllos v.



[albos ego duntaxat conspexi] *post quos cornicula subnascuntur semen continentia minutum,* [non satis exactè obseruasse videtur, nam Hesperidis semini simile est] *cōpressum: radix subest alba, alabastri modo splendens, squammea. Altera quinque folia habet vno pediculo,* [florem qui Hesperidis purpurascente flore vel lunariæ græcæ inodoræ est, minimè obseruasse existimo] *alias superiori nō dissimilis: tota substātia vtriusque acris est, sinapi æmulans aut raphanum. Ad cubiti altitudinem crescunt, vmbrosa loca amant, & latices, primo vere statim emergunt. Aliqui Pulmonariam hanc vocant.*

Hæc Simlerus, ea Gesnero, Ioanni Fabricio, & Benedicto Aretio meo veteri amico accepta referens.

NVLLAS *porro istarū facultates comperi, præter eas quas mulierculæ primo generi attribuunt: & quas Matthiolus pentaphyllo Dentariæ adscribit in Diosc. lib. 4. caput de Symphyto commentariis, vbi in potionibus ad enterocelas & ad interna vulnera, præsertim ad ea quæ in thoracis cauitatem penetrauerunt, radicum vsum esse docet.*

DE CARDAMINE ALPINA.

CAP. VIII.

ALIQVOT *Cardamines non vulgaria genera in Pannonicis Noricisque iugis obseruaui.*

I. Cardamine alpina trifolia. VNVM *nigricantibus ex purpura ramulis per terram serpit, in quibus oblongo eiusdem coloris pediculo terna perpetuò folia innituntur, circa pediculum angustiora, & per extremas oras latiora, atque quasi orbiculata, in ambitu nonnihil crenata, initio tenella & viridia, deinde dura, & nigricantia, gustu primùm acidulo, postmodum acri: cauliculi teretes inter folia erumpunt ex*

punt ex

punt ex purpura nigricantes, palmares, nullis aut rarissimis (quæ terna etiam eidem pediculo inhærent) foliis præditi: flores extremis ramis insident candidi, quatuor foliolis constantes, Cardamines pratensis, quam Fuchsius Iberide nuncupauit, persimiles: his succedunt torosæ & oblongæ siliquæ Dentariarum corniculis ferè similes, sed minores, semine etiam minore licet simili plenæ: radix summa tellure serpit, & subinde paruulas candidásque fibras agit, sic vt facilè ramulis terra obrutis pangi possit.

Inuenitur in siluosis montibus nudo solo potius quàm herboso ad Abietum & aliarum prealtarum arborum radices, tota hieme etiam virens.

Floret Iunij initio, in cultis verò etiam Aprili.

ALIVD *habet folia elegantissimo ordine in orbem dispofita, duorum digitorum transuersorum longitudine, profundioribus crenis incisa, & laciniata, vti in Sisymbrio cardamine siue Nasturtio aquatico vulgo nuncupato, hirsuta & aspera, superne veluti cinereo colore aspersa, infernè verò viridiora, sapore primùm acido aliquantulũ, deinde calidiusculo: ex quorum medio prodit cauliculus dodrantalis aut amplior, tenuis, albos flosculos in summis ramulis ferens: deinde siliquas teretes, paruas, semen obseruare non licuit: radix longiuscula est, alba, quibusdam fibris capillata.* II. Cardamine alpina media.

Nascitur in scopulis ad monasteriũ Neuberg (quod alpium iugo illi imminenti nomẽ imposuit) in Styria inferiore. Florebat Augusto.

MINIMA *& tenerrima est Tertij plantula, cauliculis vnciam longis in quibus vmbellæ flosculorum candidorum quatuor foliolis constantium: folia alata, ex ternis, quinis, aut septenis foliolis vni costæ adhærentibus conflata, viridia,* III. Cardamine alpina minima.



Cardamine alpina minima III.



gustu acri & feruido habet: & radicem albam, satis longam, quibusdam fibris capillatam.

In ipsis scopulis summi iugi Sneberg, dum per niuem glaciali duritie constrictam ferreis uncis ad pedes alligatis delabor (istic enim quemadmodum & in reliquis vicinis iugis perpetuæ sunt niues à multis sæculis collectæ, eæque radiis solaribus summam superficiem resol-



uentibus adeo lubricæ, vt sine vncis per eas ingredi nemo queat) inueni mense Augusto florentem, vbi niues iam primùm dissolui incipiebant. Inuenitur autem & in Tirolensibus atque Saltzburgensibus montibus, teste Domino Ioachimo Camerario, qui eam siccam mihi misit.

NVLLVM *nomen vulgare istarum plantarũ accepi: sed proculdubio ad Cardamines siue Sisymbrij alterius genera referendæ sunt. Priorem memini ante multos annos ab Alfonso Pancio nobis missam Machlinia vsque Saniculæ trifoliæ nomine: à quo tempore in nonnullis Belgicis hortis perdurat. Eam commodius meo iudicio noster Matthias de Lobel inter Cardamines recensuit, trifoliamq; cognominauit. Tertiam Gesnerus, ni fallor, in Epistolis Nasturtiolum appellat.* Sanicula trifolia. Nasturtiolum.

OBSERVATA *mihi alia plantula in Etscheriano iugo scopulis inhærens, quam an ad Cardamines an ad Thlaspi genera referre debeam, nondum apud me constitui.* Sinapi pumilum alpin.

Sena autem aut septena humi secundum radicem expansa habet foliola Bellidi ferè similia, teneriora tamen & leui acrimonia prædita: è quorum medio tenellus prodit cauliculus, paucis foliolis septus, dodrantalis, in cuius summo senæ aut septenæ erant siliquæ oblongæ, duplici serie quemadmodum in Sinapi semen continentes exiguum, planum, ruffescens, nonnulla acrimonia præditum: radix summa tellure serpens, noua germina subinde profert.

DE DRA-

De Draba.

CAP. IX.

DRABA *fatis vulgaris est notitia, & ab aliis etiã descripta: quoniam tamen hic admodum frequens est, non potui eius historiam aliis cõgeneribus stirpibus non adiicere, præsertim cũ duas alias stirpes obseruauerim, sub eius classem, meo iudicio, referendas.*

I. Draba vulgaris. PEDALES *igitur habet Draba caules, striatos, tenues, firmos, quos inæquali ordine ambiunt vncialia folia, in ambitu dentata, basi latiore, ex viridi cinerea, sapore acriusculo, at secundum radicem maiora & frequentia sunt: supremi caules in multos ramulos æqualis lõgitudinis diuidũtur, qui flosculis quatuor albis foliolis constantibus onusti, sambuci vmbellam quodammodo repræsentant: floribus succedunt exigua capitula, turgidula, & veluti duobus vtriculis constantia, mucrone, qui eos diuidit, prominente, singuli vtriculi vnicum semen continent: radix candicans, tenuis, longe lateq; serpit, & fibris quibusdam prædita est.*

Nulli fere agrorum margines circa Viennam, totaq; adeò inferiore Austria, hac planta non sunt obsiti, quæ subinde in ipsos etiam agros latè irrepit. Floret Maio & Iunij initio. semen sub Iunij finem maturescit.

II. Draba altera. MVLTOS *ex eadẽ radice ramulos humi fusos profert Prior illa planta Drabæ generibus adnumeranda, qui terra obruti, aut sub illa sese condentes, atque etiam summa tellure serpentes, subinde fibras agunt: ij deinde summo capite numerosa folia producunt hirsuta, Drabæ foliis forma & colore similia, sed minora, nonnihil in ambitu dentata, subacido sapore initio, deinde acri: ex horum medio cauliculi exeunt palmares, nõnunquam maiusculi, recti, teretes, virentes, hirsuti, aliquot minoribus*

foliis





foliis latiore basi eos amplectentibus donati: flores in extremis cauliculis spicatim nascentes, quatuor albis foliolis constant, quibus decidentibus, planæ, oblongæq; vti in Sinapi succrescunt siliquæ, duplici serie pusillum, planum, ruffum semen cōtinentes: radix candida fibrosaq; est, ex qua ad cauliculorū exortum alij enascuntur ramuli similibus foliis præditi, in latera sese diffundentes.

Inuenitur in Tauro monte: memini & Ferrariæ in Belgicā nobis missam ab Alphonso Pancio, Leucoij mōtani nomine. Floret maturius superiore nēpe Aprili. Leucoium montanum.

FREQVENTIBVS *etiam ramulis constat Altera ex eadem radice prodeuntibus, tenuibus deinde in caput extuberātibus, vnde aliquot folia quasi in orbem disposita prodeunt, crassa, succi plena, atro virore splendentia, Auriculæ vrsi quartæ (quæ flore est coloris carnei) foliis magnitudine & forma fere respondentia, sed nonnihil in lateribus dentata, acri gustu, & illico linguam vellicante: ex horum medio pedalis aut maior prodit caulis, gracilis, quem per interualla ambiunt & amplectuntur folia superioribus minora, & ad pediculum latiora: flores spicatim supremum caulem ambiunt vti in priore, & quatuor albis foliolis constant, quibus succedunt teretes & oblongæ siliquæ, duplici ordine ruffum, pusillum & planum semen continentes: radix tenuis & repens latè sese diffundit, & nouas plantas producit, ideoque viuax & perennis.* III. Draba tertia succulenta.

Crescit in decliui montis Herrnalben supra Zeehof. Tota hyeme viret: montanis locis serò floret; at in hortos translata, maturius cum præcedente, nonnunquam etiam ante hyemem. Ea forsitan est quam Lobelius in Appendice exhibet, pag. 463.

SPONTE *etiam producunt plerique colles lapidosi* Turrita.
Turri-



Turritam vulgo appellatam, inter Sinapi genera forsitan referendam.

De Thlaspi montano.

CAP. X.

Ad *eandem classem pertinet Thlaspi, cuius quædam genera in Pannonia obseruaui nunquam antè mihi conspecta.*

Pedali *caule primum assurgit, nonnunquam altiore, gracili, firmo, foliis ferè Brassicæ campestris, minoribus & mollioribus, supernè virentibus, infernè candicantibus, odore propemodum allij: flos extremis ramulis copiosus, albus, quatuor foliolis constans, odoris expers: quibus decidentibus, latæ, planæq́; propendent siliquæ, non bifidæ vt in aliis Thlaspi generibus, sed circinatæ ferè rotunditatis, & in orbē peltæ modo efformatæ, vnicum in ipso centro continentes semē, flauum, gustu amaro & acri: radix alba, tenuis, interdum summa tellure serpens, & noua germina proferens.* I. Thlaspi montanum peltatum.

Inuenitur locis vmbrosis ad arcem Stichenstain, & qua iter est ab ea arce ad Sneberg, nusquam alibi mihi obseruatum: nunc verò mea opera, missis hinc eius plantis & semine Belgicis & Anglicis hortis inquilinum factum. Floret Iunio, semen Iulio & Augusto ad maturitatem peruenit.

Illius iconem tametsi non admodum feliciter expressam, ne Typographum nimiis expensis grauaremus, retinere libuit, & hic inserere.

Numerosa *sunt Secūdo folia, humi strata, parua, crassa, atróue virore nitentia, & quasi casia, Globulariæ, siue Aphyllanthi Angulara proxima, cuspide orbiculata, acri gustu: caules plures, rotundi, pedales, aut minores, foliis stipati paulo breuioribus, & viri-* II. Thlaspi badense.

 dioribus





dioribus, & onusti floribus albis ex quatuor foliolis compositis, quibus succedūt compressæ siliquæ, Thlaspi vulgaris vasculis similes, in quib. semē subrufum. Thlaspi cretico simile, sed minus: radix candicans, fibrosa, & lateribus in propagines sese explicans & fundens.

Prouenit in decliui montis illius glabri, qui vrbi Badensi (in qua calidarum aquarum scaturigines sunt) imminet, quarto à Vienna miliari. Floret Aprili, semenque profert Maio & Iunio.

III. TERTIVM *singulari assurgit caule, dodrantali, rarò maiore, aliquot foliolis supra terram sparsis, campestri Brassicæ mihi in Hispanicis obseruationibus descriptæ forma & colore similibus, sed longè minoribus, quæ per caulem sparguntur, rara sunt, latioreque basi ipsum quodammodo amplectuntur, Brassicæ cāpestris modo, gustu aliquantulum acri prædita: flores pusilli, albi, quatuor foliolis constantes summis cauliculis insident, deinde compressa capitula Thlaspi cretico similia, superiore parte fissa, duobusq; vtriculis planis constantia, & in singulis bina aut terna granula flauescentia acri sapore prædita continentes.*

Thlaspi montanum minus

Crescit in petris & siccis quibusdam, vmbrosis tamen Austriæ collibus. Floret Aprili, semen Maio maturum est.

VVLGARE *nomen an habeant, & vtrum in medicū vsum adhibeāt huius regionis incolæ, non intellexi.*

NASCITVR *etiam plerisque huius Prouinciæ locis secus vias, & agrorum margines, gramineisque incultis locis, non minus quàm in Belgica, Thlaspi genus illud, quod nonnulli Mechliniense cognominant, quoniā iuxta vrbem Belgicæ Machliniam plurimū nascatur.*

Thlaspi incanum siue Mechliniense.

Habet verò folia vnciam longa, dimidiam lata, inæqualiter







qualiter caulem pedalem aut ampliorem amplectentia cinerei coloris, acris saporis: caules in ramulos diuisi albos flores proferunt, quatuor bifidis foliolis constantes, vmbellatim quasi nascentes: radix albicans, & quibusdam fibris sub terra late serpens.

Thlaspi clypeatum.

SED *& supra Badenses thermas viciniisq; collibus, & in Leytenberg supra Manderstorf copiose nascitur illud Thlaspi genus foliis hirsutis, laciniatis, flore in tenuibus ramulis, summisq; cauliculis ex luteo pallescente, deinde binis folliculis clypeatis subnascentibus, quale noster Lobelius in Aduersariis describit.*

DE ALYSSO MINIMO.

CAP. XI.

Alyssum minimum.

MVLTOS *ex eadem radice (interdum vnicum tantum) ramulos proferre solet dodrantales, tenues, plerumque purpurascentes, per quos sine vllo ordine sparsa sunt numerosa foliola, lini foliis haud maiora, incana, gustu subacido, & salinam quodammodo ciente: summi ramuli coma flosculorum exornantur, quinque perpusillis luteolis foliolis constantium: ea coma paulatim veluti in spicam explicatur, floribusq; succedunt orbiculares & compressa quidem, sed in medio turgentes peltulæ, primùm virides, deinde subflaua, semen exiguum continentes: radix candicat, & fibrosa est, licet annua.*

Nusquam non crescit Viennensi agro, ad aruorum, vinetorum, viarumque margines, & siccis atque gramineis agris non modò Austriæ, sed etiam Pannoniæ. Floret toto Aprili, interdum etiam Maio.

DE AN-



De Androsace altera Matthioli.

CAP. XII.

Animvs non fuerat, istam in hos commentarios inferre, cùm à Matthiolo sit exhibita. Verùm cùm illius duntaxat iconem, & eam quidem non admodum scitè expressam, nulla insuper ipsius historia tradita, ediderit: eam describere non pigebit, vt rei herbariæ studiosi pleniorem illius cognitionem consequi possint.

Androsace Matthiolo credita.

Mvlta sunt illi folia humi expansa, Plantaginis æmula, sed minora, trineruia, colore ex viridi pallescente, in ambitu dentata Ilicis foliorum modo fere, sed mollia, succulenta, & sapore aliquantum calido: inter quæ seni, & plures interdum assurgunt cauliculi, dodrantales, herbidi, nonnunquam purpurascentes, nudi, subhirsuti, qui in summo corollam sustinent quinque vt plurimum rotundorum foliorum, nonnihil etiam dentatorum & lanuginosorum, vnde quini aut plures emergunt pedicelli calyculum ferentes herbaceum & lanuginosum, quinque etiam foliolis constantem, & in medio flosculum albũ quinquepartitò diuisum, deinde in vasculis crassiusculis semẽ inæquale ruffum: capitella cum foliis præmansa, adstringente primùm gustu, & paulo pòst subamara & calida deprehenduntur: radix vnica, tenuis, alba, aliquot tenuibus fibris capillata.

Hanc cur Matthiolus ex Syriæ maritimis accersierit non video, cùm in hac Prouincia facilè inuenire potuisset, si diligens Austriacarum stirpium, dum hîc versaretur, scrutator fuisset: etenim copiosè nascitur inter segetes circa Badenses thermas suprà memoratas, & locis Viennensi vrbi vicinis. Sed Syriæ maritima (in quibus haud scio an nascatur) illã in Germaniã vsq. mittere debuerunt, quoniã Dioscorides iis locis Androsacen gigni tradit.

Annua

Annua est, & Aprili floret, semen verò Maio & Iunio maturescit.

De Lysimachia.

Cap. XIII.

Præter *Lysimachias vulgares cùm lutea, tum purpurea, & siliquosis cognominatis, quarum aliæ annua duntaxat, aliæ perenni & longè lateq́; serpente radice donatæ sunt, & inter has, quæ à C. V. Conrado Gesnero Chamænerion vocata, flore niueo interdum inuenitur, tum quæ cæruleo est flore (nam & hæ omnes in Pannoniis & vicina Austria vel secundum riuos, vel in montanis pratis sponte nascuntur) duo alia genera obseruaui minimè ab aliis descripta.*

Cubitali *plerumque assurgit Prima Lysimachia caule, interdum etiam ampliore, firmo, duro, lanuginoso, & hirsuto: hunc ambiunt quadam serie quaterna plerumque simul, nonnunquam etiam terna aduersis inter se pediculis, folia, mollia, aliquantum incana, alterius luteo flore foliis minora, sapore acido primùm, deinde saliuam ciente, inferna parte nigris punctis distincta: circa summum caulem ex singulorum foliorum sinu prodeunt modò ramuli cum aliquot floribus, modò bini flores, summo verò fastigio singulares, lutei, cum quadã grauitate odorati, veluti quinis mucronatis foliis constantes, sed qui tamen infima sede cohærent, & simul defluunt, cum totidẽ staminibus luteis: radix geniculata, ex singulis vt plurimũ geniculis nouas propagines producens, & subinde agẽs, quibus telluri firmiter inhæret.* I. Lysimachia altera flauo flore.

Crescit in Alpium conuallibus & pratensibus locis, atque etiam in quibusdã caduis siluis, quæ ad montium radices sunt, plurima: similiter non procul Vienna plerisque locis secundum aquas. Floret Iunio.

Hvmi-





II. Lysimachia minor rubro flore. HVMILIOR est Altera vulgari rubra siue purpurea, cubitalem altitudinem rarò superans: cauies teneriores, graciliores, quadranguli, cacumine in plures ramulos ex opposito inter se nascentes diuisi: folia vulgari minora & angustiora, sibi inuicem opposita, si mordeantur gummosa, deinde nonnihil acrimoniæ & amaritudinis exerentia: quæ in summis ramulis sunt, confuso ordine siue serie nascuntur, inter quæ calyculi rariores, minores, neque adeò barbati aut verticillatim caulem ambiētes vt in vulgari, plerumq; hexagoni, ex quibus flos prodit sex foliolis constans, colore rubro, aliquot staminulis ex vmbilico prodeuntibus: radix dura, lignosa, multos caules singulis annis proferens, & subinde lateribus se propagans, & multis fibris inhærens.

Prouenit multis Pannoniæ locis in humidis pratis & Danubij insulis. Floret cum vulgari Iunio & Iulio.

NON dubium est quin ad λυσιμαχίῳ, Lysimachia genera vtraque hæc planta referri debeat: adeò illi facie sunt similes.

DE BISTORTA MINORE.

CAP. XIIII.

Bistorta pumila. CAVLICVLVM promit dodrantalem, tenuem, geniculatum, & in summo exiguam candicantium florum spicam: folia vulgari Bistorta multo minora, vnguis humani latitudinem rarò excedentia, interdum tamen paullo maiora & longiora, dura, venosa, supernè virentia, infernè verò incana non secus ac in vulgari: excusso flore, grandior paullo subinde fit spica, quæ plerumque simili cum maiore semine onusta est, interdum tamen seminis loco multa viridia foliola profert: radix vulgari longè minor, contorta tamen & geniculata, foris nigricans, intus alba, multis tenuibus fibris



bris capillata, gustu, vti tota planta, adstringente.

Nascitur in summis Austriacarum & Styriacarum alpium iugis tenui gramine vestitis: floretq; Iulio. In hortos vero translata (vbi formam & magnitudinem non immutat) maturius.

Bistorta vulgaris. *Inuenitur quandoq. iisdem in iugis, attamen depressiore loco, & circa scopulorum radices Bistorta maior, quæ vulgo in hortis ali solet.*

RVMICIS *porro, qui huic plantæ congener est, non minus varia his in Prouinciis, quàm in aliis regionibus genera inueniuntur.*

Oxalis ampliss. folio. AT ὀξαλίς, *Oxalidis genus in iugo Wechsel inueni satiuo multo amplius, & foliis admodum magnis: cui hoc peculiare est, vt in caulis geniculis subinde nodi quidam & veluti tubera adnascantur, è quibus sese tandem folia explicat: ea terra obruta sui generis plantas proferunt.*

NASCITVR *etiam in omnibus illis iugis, præsertim circa humidiora loca in quibus armenta, quæ æstiuis illis mensibus istic aluntur, ad aquationem conuenire solent, frequentissimè magnum illud Lapathum amplis & circinatis foliis, quod nonnulli Rha perperam esse existimant. At non habet radicem, vt vulgo pingitur Raphani aut Hippolapathi modo in terram recta descendentem: sed summa tellure Acori fere & Iridum in morem, iacentem, brachiali interdum crassitie, fibris subinde se firmantem, anterius vt Acorum, & Polygonata augmentum sumentem & progredientem, intus ex luteo purpurascentem. Ea resiccata Rha substantiam æmulatur, nec minus eo inficit.* Lapathum rotundifoliū.

DE COR-

De Cotyledone altera.

CAP. XV.

Alterivs *Cotyledonis nomine intelligo Sedum maius vulgare, cuius in Pannoniæ montanis alia inueniuntur genera nulli Scriptori quod sciam è Neotericis obseruata.* Sedum maius vulgare.

Pingvia, *crassa, numerosáque habet primùm folia, circa radicem densa, Acetabulo alteri, seu Semperuiuo vulgari similia, minora tamen, & per ambitum leuiter quasi dentata, succulenta et gustu acido: inter quæ multa in ambitu capitella ex similibus sed minoribus foliolis congesta exoriuntur, longo pedicello inhærentia, quæ tandem augescunt atque in plantas efformantur: ex ipsius matris vmbilico emergit caulis dodrantalis, foliosus, rectus, ferens in ramulis, alterius Acetabuli modo, florem albicantem, magnum, sex foliis constantem, cui succedunt siliquæ totidem angulis discretæ, semine exili plenæ: radix Semperuiuo vulgari similis, candicans, minus crassa, & subinde nouas plantas præter iam memoratas è lateribus fundens.* I. Cotyledon altera mōtana.

Frequens est in omnibus iugis vrbi Viennæ vicinis atq. in Austriacis Pannonicisq. alpibus. Floret Iulio.

Inuenitur eius alia species in omnibus minor, cuius etiam folia magis dentata sunt. 2.

Confertis, *frequentibus, pinguibúsque siue crassis atq. in orbē digestis est etiam Alterū foliis, superiore tamen minoribus, nec dentatis, tametsi nonnihil hirsuta appareant, sub quibus è radicis capite aliæ in orbem similes plātæ crassis fibris præditæ sese propagant & radices agunt: è matris vmbilico dodrantalis, nonnunquam & palmaris exilit caulis, succulentus, rubescens, multis crassis succique plenis & mucronatis foliis* II. Cotyledon altera taurica.



cinctus, angustioribus quàm superiora, & mucrone purpurascente, qui suprema parte in ramos diuiditur, multis floribus superiori forma similibus onustos, minoribus tamen, duodenísque magna ex parte angustis mucronatis stellæque in modum decussatis foliis constantibus, colore ex rubro purpurascente, totidem siliquulis in caput & veluti in coronam compactis floris vmbilicum occupantibus, & vicenis quaternis staminibus eam ambientibus: semen in siliquulis adeò exile, vt visum propemodum effugiat: radix mediocriter crassa & fibrosa alterius Cotyledonis modo. Plantæ quæ florem tulerunt tum in hac, tum in superiore intereunt, succedentibus matri reliquis in orbem prolibus, vt in reliquis Cotyledonis alterius generibus.

Crescit in Taurinarum alpium iugis non procul à Saltzburgo. Floret istic Iulio, in hortis etiam Maio, cum reliquis eius generis stirpibus.

NVMEROSA *& conferta huic sunt folia, oblongis ligulis similia, crassiuscula, mucronata, nonnihil per ambitum crenata, candicantia, gustu acido & subadstringente: è quorum centro, seu medio foliorum exortu caulis plerumque cubitalis assurgit, vel pedalis duntaxat, superiore parte hirsutus, breuioribus foliis hinc inde septus, qui in summo ex singulis foliorum alis pedicellos emittit, quibus insident bini aut terni flores colore candidi, è quinque foliolis compositi, internè veluti sanguineis guttis aspersi, vmbilico pallido & splendente, quem decem staminula ambiunt; semen deinde in capitulis perexiguum, nigrum: radix subest nigra, tenuis, fibrosa, cui secundum matrem multæ aliæ in orbem adnascũtur plantæ, vt integrum cespitem interdum tegant vulgaris Sedi modo.* III. Cotyledon altera Matthioli.

Nascitur nõ modò in Sneberg, sed & in reliquis Au-

ſtriæ & Styriæ alpibus, ſaxis & ſcopulis inhærens. Floret Iunio Iulioque: at in hortis Maio: ſemenq; profert Iulio aut maturius.

2. Hvivs *aliud genus inuenitur mollius in Etſchenianis iugis, quod anguſtioribus & longioribus foliis eſt, minimè dentatis, ſed lanugine alba duntaxat hirſutis, minus incanis, cauliculo breuiore, craſſioreque & multis foliis ſepto, quæ plerumque tam ſupernè, quàm infernè ſubhirſuta ſunt: paucioribus floribus hinc inde ſecundum caulem ad ſingulas alas ſparſis.*

Cotyledon altera etſcheriana.

Iſtius Acetabuli deſcriptionem prætermittere non potui, licet à Matthiolo et aliis eius hiſtoria ſit prodita, quoniã meo iudicio breuior apud eos eſt quã oportebat.

Rhodia radix.

Verum *ad Cotyledonis alterius claſſem referri poſſe arbitror Rhodiam radicem, quæ maxima copia in ſcopulis iugi Durrenſtain toties à me memorati naſcitur: Variat iſtic interdum florẽ menſibus Iulio & Auguſto, nunc in palleſcentem, nunc in rubeſcentem colorem: in hortos verò tranſlata maturius floret.*

De Sedo alpino.

Cap. XVI.

Forma *& facultatibus non multum inter ſe differunt Cotyledon altera & Sedum; cuius etiam in Pannonicis Noricisq; alpibus multa haud vulgaria genera conſpiciuntur.*

1. Primvm *ſumma tellure ſerpit aliorum Sedorum modo, numeroſisq; & ſucculentis ramis præditum eſt, quos ambiunt multa oblonga & mucronata foliola, ſecundo Dioſc. generi, quod Galli* Triquemadame *appellant haud multum abſimilia, minus tamen craſſa, planiora, & guſtu admodum exſiccante: flores in cauliculis palmaribus numeroſi, maiuſculi, quinq. foliis conſtantes,*

Sedum alpinum flo. pallido.

Sedum alpinum .1.



ſtantes, ex luteo colore nonnihil palleſcentes: radicem habet in crebros ramos diuiſam, qui per terram ſparſi tenues fibras agunt.

Creſcit in Sneberg aliiſq; Styriacarum alpium iugis, in Tauro monte atque Iudenberg. Floret ſub finem Iulij & Auguſto.

II. Sedum paluſtre.

PROPTER *quandam foliorum cum ſuperiore ſimilitudinem elegans hoc Sedi genus Secũdo loco deſcribemus, licet in alpibus non natum, ſed ſolum à me obſeruatum ſit vliginoſis locis apud oppidulum Freying, qua Pragâ iter eſt Noribergam.*

Dodrantalem autem habet cauliculum, ſubrubrum, ſucculentum, tenerum, foliola ſubhirſuta, ſucci plena, oblongiuſcula: floſculos in ſummis cauliculis purpuraſcẽtes, aut coloris carnei, cum aliquot internis ſtaminibus, quinis foliolis conſtantes: quibus totidem ſuccedũt cornicula initio viridia, deinde purpuraſcentia, ſemen exile continentia: radix exigua eſt & inutilis, ſecundum quam ex infimo caule ſurculorum propagines in orbem humi diffuſæ ſunt, multis exiguis foliolis Semperuiui minoris ferè ſimilibus, minoribus tamen, anguſtioribus, & cuſpide obtuſiore prædita, & ſapore non vrente, ſed aqueo.

Florens id obſeruaui quo iam dixi loco ſub finem Iuny anno 1579. dum in Belgicam & Britanniam proficiſcerer.

III. Sedum alpinum tertium ſiue primum albo flore.

TERTIVM *compactis & ſibi inuicem inſidentibus eſt foliolis admodum exiguis, craſſis, cinereo colore, vt nihil ferè niſi quidam muſcus videatur tota plãta, quæ acidi ſaporis eſt: pedicelli è medio foliorũ proſiliunt duorum digitorum tranſuerſorum longitudine, graciles, iuncei, in quibus terni plerumque floſculi quinque foliolis conſtantes candido colore, cum aliquot intus luteis*

ſtami-

Sedum paluſtre II.



Sedum alpinum III.



ſtaminulis: cũ in ſemen abeunt flores, cauliculi aliquantulum excreſcunt. Mirum in modum propaginibus adnatis ſerpit, & radices agit alterius Cotyledonis ritu, integros ceſpites cuiuſdam muſci inſtar interdũ occupãs. Præruptis Snealben iugi locis atq. inter ſaxa naſcitur, qua deſcenſus eſt ad monaſterium Neuberg, atque etiam in Sneberg. Inuenitur & in monte Fracto teſte Geſnero. Iulio & Auguſto floret.

Sedum Alpinum IIII.



IIII. Sedum alpinum alterum lacteo flore.

QVARTI folia paulo maiora sunt & longiora, densa siue crassa, in ambitu hirsuta, gustu etiam primùm acido, deinde amariusculo & calidiusculo: adnatis etiam se propagat, & è medio foliorum hirsutum pediculum profert longitudine cum superiore parem, in quo seni plerumque velut in vmbella dispositi sunt candidi flosculi, quinque foliolis constantes, vmbilico luteo.

Inuenitur in Sneberg & vicinis iugis. Sub finem Iunij & Iulio floret.

V. Sedum alpinum tertium lacteo flore.

QVINTO oblongiora nonnihil sunt folia, graminis modo angusta, dura, viridia, læuia, gustu primùm acido aliquantulum, deinde ingrato: vnicus aut alter inter folia erumpit cauliculus læuis, gracilis, iunceus, trium ferè vnciarum longitudinis, rarò maior, in quo vnicus interdum bini sunt flosculi, superiore maiores, candidi, medio lutei, quinque foliolis cordis vt vulgo pingitur formam referentibus præditi.

Serpit & hoc reliquorũ modo, iisdemq́; cùm Quarto locis prouenit, atque illo ipso tempore floret.

VI. Sedum alpinum alterum flore luteo.

SVNT & huic angustiora folia, rigidiora, aliquantulum hirsuta, ab vna sede in circuitum sese expandentia, Cotyledonis alterius reliquorumq́ue montanorum Sedorum minutiorum modo, gustu adstringente, sed tamen nonnihil amaro: ex horum medio vnciales exeunt cauliculi, firmi, nudi, qui in summo flosculos quinque aut sex coloris lutei gestant: deinde crassiusculas mucronatasq́; siliquulas, semen pusillum, planum, fuluescens, continentes: radix crassiuscula & longa est atque candicans, quæ ex summo capite multas plantulas simul iunctas producit.

In summis Austriacarum & Styriacarum alpium iugis, inter saxa prouenit. Memini dum olim è Narbonensi Gallia per Heluetios in dulcissimam patriam redirem in

Sedum alpinum VI.



direm in Allobrogum alpibus cum aliis plerisque venustis stirpibus eruere.

Huius etiam obiter meminit Gesnerus in descriptione Montis fracti, historiam vero tradunt Pena *&* *Lobelius Aduersariorum libro: cùm autem in his alpibus frequenter etiam collegerim, huic capiti cum reliquis inserere libuit.*

NVMEROSA *habet Septimum genus foliola, ternis profundis incisuris laciniata, vti Aiugæ fere folia, minora tamen & viridiora, neque vlla lanugine hirsuta, sapore admodum adstringente & exsiccante: cauliculi* VII. Sedum alpinum aiugæ folio.

culi assurgunt exiles, binos transuersos digitos longi siue sesquiunciales, singuli singulares sustinentes flosculos ex herbido pallescentes, quinque foliolis constantes: radice serpit multis exiguis fibris capillata, & multas propagines è lateribus generante, vt interdũ integros cespites occupet, muscumq; quendam ementiatur.

Nascitur in summo Sneberg iugo inter saxa paulo antè à niuibus libera.

Floret Augusto.

Quo nomine à montanis pastoribus & venatoribus omnes istæ plantæ vocentur, hactenus intelligere non potui: & haud scio an illis vllum indiderint, solent etenim ista negligere. Ego Sedi generibus annumerandas esse censeo. Si cui autem mea sententia minimè placeat, alióque nomine insignire malit, per me semper licebit.

De Anagallide flavo flore.

Cap. XVII.

Anagallis flore luteo.

RAMVLI *sunt illi dodrantales, rubentes, teneri, succi pleni, humi sparsi, in quibus multa folia Anagallidis flore phœniceo, maiora, bina semper inter se opposita, acidi saporis: ex alis prodeunt flores Anagallidi vulgari forma similes quinque foliis constantes flauo colore: capitula deinde turgentia alterius Anagallidis, minora, semen etiam simile: tenui & latè serpente est radice: quinetiam ipsi ramuli interdum fibras agunt.*

Nascitur in Hochbergerin summo fere iugo inter arbores, Etscher, Durrenstain, aliisque iugis, sed locis opacis. Floret Iunio, Iulio, & Augusto.

De Gna-

Anagallis luteo flore.



De Gnaphalio alpino.

Cap. XVIII.

Gnaphalium alpinum.

DODRANTALIS *est hæc plantula, plerumque etiam minor, foliis Pilosellæ minoris Fuchsij ferè, interna parte hirsutis, exteriore verò omnino incanis & tomentosis, gustu exsiccante & amaro: cauliculi similiter tomentosi, quos ambiunt folia multo etiam tomento obsita: in summo autem cauliculi sustinent quina, sena, aut plura foliola latiora & expansa, adeò tomentosa, vt nihil nisi tomentum sint: ex horum medio emergunt quaterna, quina, aut plura capitula Gnaphalio similia pallescentibus flosculis constantia, quos intercursant nigri quidam villi, foraminum vestigia quodammodo ementientes: radix satis nigra est, crassa, & aliquot nigris fibris capillata.*

Prouenit in scopulis summorum Sneberg, Durrenstain, & Etscherberg iugorum.

Floret Iulio & Augusto.

VIDETVR *ea planta quam Matthiolus pro vero Diosc. Leontopodio exhibet. Sed sine dubio Gnaphalij duntaxat genus est.*

IOSIAS *Simlerus commentario de Alpibus eius meminit his verbis,* Wulblumen *flos odoratus est, folio Pilosellæ, circa supremum cauliculum folia multa imparia, candicantia, lanuginosa, medio orbe quinq. vel sex flores: inter quos medius plerumque aridus: ex singulis lutei apices emicant: radix arida, parua, summo cespite hærens. Tomenti speciem arbitror. Hæc ille.*

Pseudoleontopodium Matthioli.

VERVM *earundem alpium variis locis inuenitur id Gnaphalij genus quod à Matthiolo Pseudoleontopodium nominatur. Quemadmodum & mitioribus harum*

rum

Gnaphalium alpinum.



rum Prouinciarum montanis & collibus herbosis, duo aut tria eius, quod à plerisque aliis & à Fuchsio Pilosella minor appellatur, genera, flore videlicet aut omnino albo, aut purpureo, aut ex albo purpurascente siue carneo.

Pilosellæ minoris varietas.

H I S *porrò adiungere libet elegantem quandam plantam ex nouo orbe delatam, quam anno 1580. Cl. V. Richardus Gart Londinensis Cancellariæ Primicerius ad me misit: quæ si aureum florem haberet, non ineptè forsitan ad Chrysocomes genera referri posset.*

Ἀργυροκόμη.

Cauliculi etenim cum ramulis qui flores sustinent, multo tomento obsiti sunt, quemadmodum Gnaphalium legitimum quod in mediterranei maris littoribus nascitur, folia oblongiuscula, angusta, Chrysocomes foliis proxima, supernè viridia, prona parte incana & tomentosa: singuli ramuli veluti comam florum ex singularibus pediculis dependentium gestant, qui nihil aliud sunt, quàm capitula numerosis argenteis foliolis sibi inuicem incumbentibus constantia, siccà admodum, & in medio tenuem quandam subflauescentem lanuginem siue pappum continentia, qui leuissimo auræ flatu euolat: radicem cum foliis illi proximis non vidi, superiorem enim cauliculi partem Gnaphalij americani *nomine duntaxat accepi: quoniam verò tota coma argenteo splendore nitet, non incommodè forsitan* ἀργυροκόμην *appellare possemus.*

Gnaphalium americanum.

DE TVSSILAGINE ALPINA.

CAP. XIX.

P E R E L E G A N S *est hæc plantula, cuius duas species in Austriacis & Styriacis iugis obseruaui.*

I.
Tussilago alpina canescente folio.

Q V I N A *aut sena habet Prior folia, circinatæ ferè rotunditatis, Chamaecisso vulgari haud multum absimilia,*

Tussilago alpina. I.



milia, per ambitum nonnihil sinuosa, & crenata, supernè rugosa & nigro virore splendentia, infernè candida & tomentosa, gustu primùm exsiccante, deinde amaro: cauliculus nudus est, dodrantalis, concauus, cana lanugine pubescens, vnicum florem sustinens muscosum, purpurascentem, deinde in pappos euanescentem: breui postea arescit & perit is cauliculus, vt reliquo anni

Tuſſilago alpina II.



tempore ſine caule planta cōſpiciatur: radix fibroſa ſerpit, & in latum ſe diffundens multas propagines agit tenuibus fibris ſeſe firmantes.

Oritur in ſummis Auſtriæ & Styriæ alpium iugis, & totos interdum ceſpites cum Soldanella montana, cuius Secundo libro memini, occupat. Sub Iunij finem nonnunquam floret, interdum verò ſolùm Auguſto menſe, pro aëris ratione & conſtitutione: In hortis autem, maturius, Aprili videlicet, vbi cauliculus etiam magis adoleſcit.

SECVNDA *à Priore non admodum diſſidet, figura enim foliorum eadem eſt, ſapor idem, flos ſimiliter purpuraſcens, radix etiam per ſummam tellurem ſerpens nouasq́ plantas producens: folia duntaxat paulò maiora nonnunquam conſpiciuntur, neque adeò ſplendēt ſupina parte, aut prona candicant: ſed duntaxat nonnihil hirſuta ſunt.* II. Tuſſilago alpina glabro fere folio.

Inuenitur id in ſuperiore collis parte poſt monaſterium Neuberg ad radices celſiſſimi iugi eiuſdem nominis. Poſtea etiā obſeruaui inferioribus iugis aliarum alpium, gramineis locis, & initio Aſarinam eſſe exiſtimabam: conſpecto deinde in nōnullis plantis flore, Tuſſilaginis genus eſſe deprehendi. Maio floret, & in hortos tranſlata, Aprili, vbi neque formā immutat, quemadmodum nec ſuperior: huius etiam cauliculus paulo altius duntaxat excreſcit.

DE CACALIA.

CAP. XX.

AD *Tuſſilaginis genera haud dubiè referenda eſt planta illa, quæ, in omnibus Pannonicis Noricisq́ iugis obuia, à nonnullis Cacalia appellatur, cuius duo genera obſeruantur.*



VNVM, *plura habens folia Tussilagini vulgari fere similia, maiora tamen, mediaq; inter huius & Petasitis vulgo crediti folia, circinatæ fere rotunditatis, in ambitu serrata, supernè dilutiore virore prædita, infernè incana, & multis venis donata, saporis ingrati, amariusculi & calidi, quæ purpurascentibus & striatis pediculis innituntur; caulem bicubitalem interdum, striatum, purpurascentem, cui aliquot alia folia oblongis pediculis prædita per interualla innascuntur, superioribus minora, & magis angulosa, in ambitu etiam serrata: extremus caulis supremiq; ramuli veluti vmbellas siue purpurascentium capitulorum congeriem ferunt, in quibus terni plerumque flosculi quaternis foliolis stiloq; bifido constantes, colore purpurascente, odoreq; admodum tenui, sed non ingrato, qui deinde in papposam lanuginem abeunt, quemadmodum aquatici eupatorij flores, in qua paruum oblongum semen occulitur: radix in multa capita extuberat, multisq; candidis & oblongis fibris donata est, lateribus singulis annis nouos caules proferens.* Cacalia vulgaris incano folio. I.

ALTERIVS *folia magis cutanea sunt & duriora, supernè atriore virore prædita, nec subtus incana, nec anteriore parte simul coëuntia sicut illa, pediculisue striatis innitentia, sed rotundis & læuibus, non minus tamen venosa, aut in ambitu serrata, gustuq; ingrato, amariusculo & calido: caules læuiores, & flosculi dilutiores: in reliquis conueniunt.* II. Cacalia glabro folio.

Nascuntur commemoratis iugis ad siluarum margines, inter fruticeta locisq; vmbrosis.

HVIVS *postremi foliis similibus prædita est planta quædam in montanis pratis nascens, secundum villarum stabula: cuius radix etiam persimilis est. Verùm ἄκαυλον semper deprehendi: nec an florem ferat vnquam scire potui.* Cacaliæ congener planta.

Petasites. *Abunde etiam per Pannoniam Austriamq; & Styriam sponte crescit Petasites vulgo appellatus, qui inter Tussilagines doctiorum iudicio referendus est.*

De Althæa pannonica.

Cap. XXI.

I. Althæa vulg. VVLGARIS *est per Pannoniam agróque Viennensi Althæa illa Belgicæ pratis communis.*

II. Althæa altera. ALIVD *autem genus obseruaui, quod licet foliis totáque reliqua facie cum vulgari conueniat, maiusculos tamen flores habere videtur.*

III. Althæa laciniato folio. VERVM *reperire est tertium quoque genus, cuius folia licet incana & mollia, in tres tamen maiores lacinias diuisa sunt: flores etiam paulo minores superiore, Belgicæ floribus magnitudine respondentes, sed colore differentes, nempe qui toti carnei sint, siue incarnati, multis intus staminibus nigricantibus: cætera vulgari similia habet.*

Gaudent humidis locis & secundum riuulos sitis: florentque Iulio.

VNGARI *vulgarem* feyer malua, *hoc est albam maluam, &* mazola *appellant.*

De Hyoscyamo peregrino.

Cap. XXII.

Hyoscyamus peregrinus rubello flore. CVBITALIS *altitudinis caulem adquirit in hortis, minimique digiti crassitie firmum, molli incanaque lanugine hirsutum per quem alternatim hinc inde sparsa sunt folia, vulgaris foliis non multum absimilia, sed minora, & valde laciniata, tenuique (dum adhuc tenella sunt) & longa lanugine pubescentia: summus caulis in aliquot ramos nutantes & inflexos diuiditur, qui alternatim calyculos ferunt vulgari similes, in quinque*

cuspides

duc



cuspides satis firmas desinētes, niaquib. flores colore quodammodo similes vulgari, hoc est pallentes & purpureis venis distincti initio nascuntur, qui deinde paulo ampliores fiunt, et in elegantem ex rubro purpurascentem colorem mutantur, saturatioribus tamen venis, nec vmbilico purpureo, quemadmodum in vulgari, at candicante, stiloque & quinque staminibus exornato: floribus succedūt bullata vt in vulgari capitula semē etiam simile continentia.

Nobis is primùm natus est anno 1580. semine quod Doctiss. vir Bernardus Paludanus Frisius ex Syriaca Aegyptiáque peregrinatione redux, Patauio ad nos Benze *nomine miserat.*

VVLGAREM. *Hyoscyamum Vngari* belénd *appellant.*

Bella donna duorum generum.

SOLANI *porro genus illud, quod apud vulgus Italorum* Bella donna *nomen obtinuit, multis Pannonia & Austria siluosis montibus sponte prouenit: nusquam verò frequētius vnquam videre memini quàm in silua illa Zollonok Ill. Dn. de Batthyan vrbi vicina, tumulo quodā qui ab vrbe circiter germanicum miliare abest.*

Verùm id duorū generum esse deprehenditur. Vnum amplioribus foliis breuiore pediculo nitentibus, floréque maiore. Alterum minoribus foliis longiore pediculo fultis, atrioribus, & flore minore.

Christophoriana.

FREQVENS *est & plerisque harum Prouinciarum siluis, qua vulgo Christophoriana nomen obtinuit.*

DE PYROLA.

CAP. XXIIII.

VVLGARIS *Pyrola, cuius dua inueniuntur differentia (nam altera satis amplum molléque habet folium, al-*

lium, altera minus & durius Soldanellæ alpinæ minutiore folio ferme æquale) plerisque vtriusque Pannoniæ & Austriæ locis, tum paulo editioribus inter frutices, tum herbidis ad quorundam sicciorum pratorum vmbrosos margines inuenitur: omnium autem copiosissimè nascentē conspexi siluosis quibusdam pratis ad Maurbach Chartusianorum monasterium in Viennensi saltu sitū, atq. etiam in silua arci EntZestorf proxima quinto ab vrbe Vienna miliari. Illius verò historiam, cùm à plerisq. aliis sit prodita, minimè retexere hîc volumus: sed eius duntaxat mentionem fecimus, vt ei tria alia genera subiiciamus à nemine adhuc descripta.

DIFFERT *igitur Primum à vulgari, cauliculorum gracilitate, & foliorum florumq́ tenuitate: etenim huius folia non adeò densa siue crassa carnosáq́ sunt, sed tenuia admodum, mucronata, per ambitum tenuissimè serrata, & atriora, pyriq́ folium referentia: flos in cauliculis alteri similis, minor tamē & frequentior: cui succedunt capitula pentagona vt in vulgari, stilo prominente: radice serpit vt primum vulgare, & subinde noua germina è longis pediculis sub musco latentibus profert.* II. Pyrola tenerior.

Crescit in Alpium iugis loco vmbroso inter frutices muscumq́ terrestrem, & vberrimè in silua illa supra memorata EntZestorf vicina. Memini etiam olim colligere in iugis Lausannæ Allobrogum ad Lemannum lacum proximis. Floret Iunio & Iulio, interdum etiam Augusto.

ELEGANTISSIMVM *est Alterum genus, & quodammodo fruticans interdum: nam nouelli breuesq́ ramuli singulis annis succrescentes, aliquot annis firmi viridesq́ permanent, & supra tellurem eminent, donec tandē pondere suo depressi humi procumbant, & musco* III. Pyrola fruticans.





ſe condant, fibrasq́; interdum agant: folia plerumque ad ſingula internodia vbi nouelli ramuli ſuccreſcunt, bina, terna aut quaterna habet, carnoſa, supernè ex atro virentia & ſplendentia Chamædaphnes (quam vulgus Laureolam vocat) forma & magnitudine fere ſimilia, per ambitum tamen ſerrata, guſtu admodum exſiccante, deinde amaricante, vt reliquarum Pyrolarum folia: ex horum medio ſolent Aprili noua germina prodire, quæ foliolis veluti ſquāmulis prædita, in virgulas tandem deſinunt, quibus terni, quaterni, interdum etiam quini inſident flores, vulgaris Pyrolæ floribus maiores, ex albo purpuraſcentes, quibus excuſſis ſuccedunt pentagona capitula tenui ſemine veluti ſcobe plena, quæ cum ſuis virgulis hieme exareſcunt: radix, ſiue potius cauliculi ſub muſco latentes, longè lateq́; ſumma tellure ſparguntur, & ſubinde fibras agunt.

Abundantiſſimè prouenit in ſiluis EntZeſtorf Generoſi domini de EntZeſtorf arci vicinis, cum vulgari & ſecundo genere, vbi anno 1579. primùm obſeruaui, & ab incolis Wintergruen *(quòd hieme vireat) communi cum vulgari nomine appellari intellexi. Audio et in Bohemicis ſiluis frequentem, vbi tamē minimè obſeruare licuit. Sed & in Sileſia natam ſimilem plantam ſequente anno ad nos miſit Doctiſſ. Vir Fridericus Sebizius Vratiſlauienſis medicus.*

IIII. Pyrola minima. MVLTIS *etiam ſerpit Tertium ſub terra viticulis, quæ terna aut quaterna interdum gerūt foliola, Pyrolæ primæ forma fere ſimilia, ſed longè minora, tenuiora, & per ambitum, vti ſecundæ folia, ſerrata: inter quæ pediculus eminet nudus binas fere vncias longus, tenellus, in quo vnicus flos ſatis magnus, quinque mucronatis albis foliis conſtans, Borraginis flori propemodum forma ſimilis, ſiue potius Graminis Parnaſſi vulgo vocati,*

decem



decem staminulis reflexis medium orbem exornantibus, & capitulo in medio protuberante, stilumq; exerente, qui veluti coronulam quinque radiis constantem sustinet: fiunt ea capitula temporis successu satis crassa, pentagona, quæ matura copiosum semen minutissimum, scobis ligni à vermibus erosi instar continent. Tota planta amara est.

Nascitur vmbrosis locis circa radices alpium Sneberg, Hochbergerin, Durrenstain & aliorum iugorum. Floret sub finem Iunij & Iulio: semen Augusto maturitatem adipiscitur.

Non dubium est quin omnes hæ plantæ similibus cum vulgari facultatibus præditæ sint.

DE LVNARIA MINORE RAMOSA.

CAP. XXIIII.

Lunaria minor.

CRESCIT *etiam in Pannonicis Noricisq; iugis, præsertim verò in pratis quæ siluis cinguntur ante quā ad suprema alpiū supercilia perueniatur, Lunaria illa minor vulgo nuncupata, cuius historiā plerique descripserunt, & facultates admodū cōmendarunt in vlceribus internisq; vulneribus. De ea verò hîc agere non est animus, sed de alia eius specie rarissima, quam quidem in istis iugis minimè obseruauimus: sed in Silesiæ quodam monte natam, & à Doctiss. Viris D. Friderico Sabizio & Achille Cromero Nissensibus, amicis nostris erutam, dono accepimus.*

Lunaria ramosa.

DODRANTALIS *autem est planta, statim à radice vnam aut alteram foliorum alam, siue folium ramosum & multifidum, multis foliis vulgari Lunariæ minori fere similibus, sed lōgioribus, & crassiusculis crebrisq; incisuris diuisis, colore sicut illa viridi dilutiore præditum: secunda foliorū ala, vti tenerior & postremo nata,*



natæ, tenui quadam, ſed rara admodum lanugine pubeſcere videtur, ſucculentiorq́; eſt prima: ex eius quaſi vtero ſecundum radicem emergit cauliculus pinguis & ſucculentus, ſuſtinens multifidam ſpicam & maiorem (floris-ne an fructus dicere debeam ignoro) quàm vulgaris, alioqui admodum ſimilem, quæ an in candidam farinam quemadmodum vulgaris ſpica effloreſcat, affirmare nequeo, quandoquidem ante quàm matureſcerent erutæ fuerant quas accepi plantæ; inter quas vna fuit quæ ternos cauliculos florum plenos produxerat: radix vulgari ſimilis, multis fibris latè ſparſis ſed craſſioribus conſtans.

In altis Sileſiæ montibus naſcitur; florere autem, eodemq́; cum vulgari tempore apparere, nobis ſignificatum eſt. D. Ioannes Aicholtzius aliquot recentes plantas ſæpius in ſuum hortulum intulit: ſed comprehendere noluerunt, omnem quippe culturam reſpuere videtur, quemadmodum pleraque aliæ montanæ. Sileſiis Natter widerthon *appellatur.*

De VALERIANA alpina & ſaxatili.

CAP. XXV.

Valeriana ſil. NON *minus vulgaria ſunt his in Prouinciis duo illa Valerianæ ſilueſtris genera à Neotericis prodita, quã in vniuerſa Germania, & aliis pleriſque regionibus. Verùm duo alia in his Alpibus obſeruaſſe exiſtimo, quæ alibi conſpecta mihi non ſunt.*

1. Valeriana alpina. PRIMVM *aſſurgit palmari cauliculo, interdum etiam pedali, tereti, rotundo, viridi, quem oblonga folia ambiunt, in binas aut ternas crenas nonnunquam profundius diuiſa: alia verò maiora ex radice prodeunt, ad hederæ tracheliíue foliorum formam accedentia, minora tamen & teneriora, amaro ſapore: flores in ſummo caule quaſi*



k

quasi vmbellatim nascuntur, veluti in aliis Valerianæ generibus, exigui, albi, quibus succedit pusillum semen, reliquis alioqui simile: radice serpit nodosa, albicante, odorata, & cum aliqua adstrictione amariuscula, ex qua aliquot capillares fibræ dependent.

Crescit in ipsis Austriæ & Styriæ alpibus locis vmbrosis, inter saxa: nusquã tamen vberius quàm in Durrenstain, in quo omnes alpinæ plantæ magis luxuriare & adolescere videntur. Floret Iunio & Iulio: post quod tempus semen etiam maturescit.

II. Valeriana saxatilis.

ALTERI *bina aut terna à radice exeunt folia, Bellidis fere foliorum æmula, è quorum medio caulis assurgit pedalis, gracilis, rara habens folia inter se opposita, angustiora & minora: supremus caulis in ramulos finditur, qui flosculos sustinent albos reliquis Valerianæ silvestris generibus similes, & semen etiã non diversum.*

Eius radix aliarum Valerianarum silvestriũ modo in saxorum fere commissuris serpit, nec minus odorata est superiore.

Provenit inter saxa ad flumen Myrtz quod monasterium Neuberg alluit, qua ex eo monasterio iter est in Hohebergerin & Spital. Inuenitur & in aliis locis: sed istic primum obseruaui. Floret sub Iunij finem & Iulio, modò maturius, modò serius pro cœli siue aëris natura & temperie.

Nardus montana.

MONTANAM *Nardum in his Alpibus nondum inuenire mihi contigit, tametsi summa diligentia perquisiuerim.*

DE NARDO CELTICA, SEV ALPINA.

CAP. XXVI.

Nardus celtica Valerianæ sil. genus est.

MINIME *dubium est, quin hæc plantula ad silvestrium Valerianarum classem sit referenda, adeò illas odore,*



odore, & nonnihil etiam forma, præsertim alteram modò descriptam, refert.

INTEGROS *cespites interdum occupat serpendo, & latè summa tellure inter muscum sese diffundendo: oblongi procumbentesq́ humi ramuli, tenues, plurimis veluti foliolis aut siccis squammis circumsepti, subinde nigricantes fibras & nonnihil capillatas agunt, & in summo extuberant in vnicum, aut bina ternáue capitula, aliquot oblongis foliis & secũdum caput angustis, deinde in latitudinem paulatim sese laxantibus plena, satis crassis & succulentis, colore dum primum emergunt viridi, deinde, sub Autumni initium aut æstatis finem, flauescente, gustu amariusculo: è mediis istis foliis emergit cauliculus dodrantalis aut palmaris, nonnunquam etiam maior, satis firmus, striatus, quemadmodum in minutioribus Valerianis geniculatus, bina ad singulos nodos inter se opposita habens exigua foliola, cui circa summum ex singulis alis pedicelli enascuntur binos aut ternos flosculos coloris pallidi sustinentes, quibus succedunt semina Valerianæ siluestri, secundæ præsertim superiori capite descriptæ, proxima, paulo tamen minora.*

Tota plantula aromatica est, et Valerianæ siluestris radicum odorem æmulatur.

Copiosè nascitur in Iudenberg summo Styriacarum alpium iugo inter muscum & saxa, vnde plantas cum suis cespitibus erutas, & pleràsque alias elegantes stirpes anno 1576. retulit Cl. V. Ioannes Aicholtzius Medicus ac Professor Viennensis, veteri amicitia mihi coniunctus, & nõnullas in suo horto aliquot annis aluit. Nascitur & in Tyrolensibus atque Saltzburgensibus montibus, teste D. Ioachimo Camerario.

Mense Augusto floret sub ipsis fere niuibus, & folia

deinde promit cùm dissolui & diffluere incipiunt. Legitur autem ab incolis sub Augusti finem & Septembris initium, cùm folia flauescere incipiunt: tum enim summã habet odoris gratiam, qua caret dum folia primùm promit & viridis est.

INCOLÆ Speick *appellant nomine è latina voce desumpto. Pannones quibus frequens eius vsus est in capitis lotionibus*, Betz fiu, *hoc est, Viennensem herbam vocant, quoniam Vienna copiosè ad eos defertur.* Betz fiu Vien. herba.

DE DORONICO.

CAP. XXVII.

VARIA *inueniuntur Doronici genera in Pannonicis Noricisque alpibus nascentia, ab his quæ in Belgicis hortis aluntur, nusquam autem hîc mihi obseruata sunt, diuersa: Belgica nunc mea opera harum regionum hortis communia facta, qui ea ex Belgica vsque huc deferri curauerim.*

Latifolium in Allobrogicarum alpium scopulis supra Lemãnum lacũ colligere memini anno 1554. dum ex Narbonensi Gallia per Heluetios in patriam redirem: id Lobelij tertium est in Obseruationibus. Doronicum latifol.

Eius ordine Primum, longiore folio ad plantaginis folium quodammodo accedẽte, munere Parisiensis cuiusdam Hortulani, qui Burdigalæ vicinis locis delatum afferebat, primus Petro Coldebergio Pharmacopœo doctissimo communicaui, qui tum in Burgenhout vicino Antuerpiæ pago hortum alebat. Doronicum angustifol.

PRIMVM *autem quod in Austriacis Styriacisq́ iugis obseruaui, vt à minoribus initium faciamus, caule breui & pedali duntaxat est, molli, hirsuto, striatoq́ue: folia illi rara, parua, crassa, longiuscula, supina parte admodum viridia, & quodammodo splendentia, omnino* I. Doronicum minus.



nino tamen hirsuta, prona autem læuia & dilutius virentia, peracri sapore, quæ autem caulem ambiunt, angustiora sunt: summo caule vnicum plerumque fert florem tertio Lobelij similem, sed magis aureum, qui maturitate exiguũ fert semen nigricans, lanugine & pappo coronatum, quod facilè vento excutitur, & eius arbitrio fertur: radix parua, geniculata, et internodiis distincta, nigricans, aliquot crassioribus & candicantibus fibris donata, gustu aromatico.

Primũ id obseruaui in Sneberg, deinde in Snealben, & Neuberg: sed nusquã maiore copia quàm in summo Etscheri iugo inter saxa, tenui nigraq; terra leuiter tecta. Floret Iulio, nonnunquam etiam Augusto, quo mense semen etiam maturitatem subinde adipiscitur.

ALTERVM *caulem habet interdum cubitalem, rotundum, striatum, viridem, intus concauum: capitulum in summo caule magnum, ex multis flosculis luteis concauis, & quinque crenis diuisis congestum, quod ab aliis oblongis & per extremum crenatis foliis fulgore auri splendentibus ambitur, non inodorum: semen superiori simile & cum pappis suis facilè euanescens: folia circa radicem longo pediculo inhærentia, orbiculata fere sunt, sensim tamen à pediculo in latitudinem sese explicant, & per ambitum denticulata & serrata sunt; quæ verò caulem ambiunt, longiora, & ab ipsa statim pediculi sede in latum expanduntur, omnia sapore acri & amaro: radix ex virore candicans, minimi digiti crassitie, geniculata, & quasi squammata, sed nodis sursum tendentibus non infernè, ex inferiore geniculorum parte longas agens fibras, albas, satis crassas, & propagines è lateribus, gustu fere succi è glycyrrhizæ radice expressi & densati.* II. Doronicum austriacum alterum.

Inuenitur in Etscher, Durrenstain, & quibusdam

aliis Austriacarum Styriacarumq́; alpium iugis, inter saxa, in profundis scrobibus vbi perpetuæ sunt niues, nusquam tamen abundantius quàm in Durrenstain. Floret Iuly initio aut etiam serius: in hortis verò Maio plerumque.

III. Doronicum austriacum tertium.

TERTIVM *humilius plerumque est, & capite floris maiore: foliis à pediculo statim orbiculatis vt in Cyclamino, in reliquis alteri simile: radicum item propagines neque in hoc, quemadmodum nec in superiore deorsum tendunt, aut ansarum instar longè ab ipsa matre sese spargunt: sed quasi matri contiguæ sursum tendunt, & extra terrã folia promẽtes fibris telluri sese firmant, ne quis sine fibris aut vtrinq. ansatas existimet.*

Nascitur hoc in Veytzalben supra Neuberg in Styria: & eodem quo Secundum genus tempore floret.

IIII. Doronicum austriacum quartum.

DORONICIS *adnumero quandam plantam, quæ in omnibus fere pratis paulo siccioribus cum ad Alpium radices, tum in ipsis Alpibus sitis, frequens est, præsertim verò in Wechsel, ad cuius radices Maio floret: sed in ipso iugo qua Septentrionem & Orientem spectat, serius. Maio similiter florentem & satis copiosè nascentem siluarum decliuibus munitissimæ arci Nemethwywar vicinarum inueni.*

QVATERNA *verò aut sena summa tellure fundit folia, Plantagini latifoliæ fere similia, oblongiora tamen & ad Digitalis luteæ foliorum similitudinem magis accedentia, neruosa, mollia, viridia, & nonnihil hirsuta supernè, candidiora & læuiora infernè bina semper ex aduerso nascentia, gustu nõnihil amaro & acri: caulem cubitalem plerumque, nudum, rotundum & hirsutum, qui superiore parte in aliquot ramulos diuiditur sustinentes calycem hirsutum, ex quo magnus emergit discus multis luteis flosculis in quatuor folia diuisis constans:*

hunc





hunc discum ambiunt quindena aut plura folia Doronico maiori similia, latiuscula, & per extremum fimbriata, colore planè aureo elegantissimo: semen vti reliquorum Doronicorum in pappos euanescit: radix minimi digiti crassitudine ferme est, nodis distincta, multisque fibris donata, lateribus se propagans, & singulis annis noua germina proferens.

QVINTVM *genus omnium maximum caulem habet interdum bicubitalem aut ampliorem, minimi digiti sæpenumero crassitudine, striatum, hirsutum, summo cacumine in aliquot alas expansum: folia circa radicem orbiculata, longo pediculo inhærentia, rugosa, & nonnihil hirsuta, quæ verò confuso ordine caulem ambiunt, ampliora sunt, mucronata, per ambitum leniter dentata, pediculo nullo, sed instar foliorum Peruani hyoscyami latifolij, Tabacum maius vulgo vocati, caulem basi latiore amplectentia, viridia, hirsuta: flores extremis alarum ramulis insident magni, vicenis aut tricenis oblongis foliis, & orbem satis latum ambientibus constantes, luteo colore, nullo verò odore præditi: semen vt aliorũ Doronicorum striatũ, sed virescens, quod cum suis pappis auræ leni flatu defluit, initium ab exteriore ambitu faciens, quemadmodum & in reliquis Doronici generibus: radix ex viridi candicans, nodosa, squillulæ similis est: sed vbi propaginibus aucta est, crassior fit, et ex multis veluti corporibus in vnicũ cõflatur.* V. Doronic. austriac. quintum, siue maximum.

Secundum riuos è montibus labentes locis vmbrosis in descensu iugi Wechsel primùm obseruaui, vnde in hortum translatum mihi egregiè propagatum fuit: sed postea longè maiore copia decliuibus, siluosis tamen, locis Etscher & Herrnalben inueni Augusto etiam florens, cùm in Wechsel floreret Iunij initio. In hortis Maio flores profert, quemadmodum & in montanis siluis vltra



nis vltra Drauum, vbi anno 1579. plurimum etiam obseruaui: semen Iunio maturescit in hortis.

NVLLVM *Primi & Quinti vulgare nomen mihi compertum est: Venatores, pastorésque montani Secundum & Tertium genus* Gemſſwurtz, *hoc est, Rupicaprarum radicem appellant, & aduersus vertigines non minus commendant, quàm Auriculæ vrsi radicem, viribúsque roborandis adprimè vtilem esse ferunt. Quartum genus non absimile videtur illi plantæ quam Matthiolus pro Alismate exhibet. Meminit huius etiã, ni fallor, Iosias Simlerus ad calcem Cõmentarij de Alpibus.* Mutterwurtz, *ait, à quibusdam dicta, veluti plantago quædam alpina, foliis plantaginis, leniter hirsutis, flore Doronici, radice aromatica.* Alisma Matthioli.

Doronici porro facultates, cuius hæ, quas modò descripsi, plantæ haud dubiè genera sunt, satis à reliquis rei herbariæ scriptoribus sunt decantatæ, ideò eas hîc repetere non est operæ precium.

DE CONYZA TERTIA PANNONICA.

CAP. XXVIII.

PEDALES *interdum habet caules, rectos, firmos, duros, incana lanugine tectos, quibus inhærent oblonga folia, Conyzæ maioris foliorum amplitudine, mollia, incana & hirsuta, dorso prominente, oblongo quæ circa radicem sunt pediculo, quæ verò superiorem caulis partem amplectuntur, breui admodum aut nullo, ea trita non iniucundum spirant odorem, gustata verò amara sunt & calida: flores extremo cauli, & ramulis illi inhærentibus insident magni, Helenij floris forma, multis foliolis luteis medium discum pallescentem ambientibus, nullo odore præditi: radix longa, tenuis, nigricans, serpẽs, subinde ad ipsa capita, vnde caules prodeunt, multas candicantes* Conyza tertia pannonica.

dicantes

dicantes fibras vndique ſpargens, reſinaceum quidpiam olens, guſtuque amaro & acri: perennis eſt.

Exit ſponte ſiccis & aridis locis, herbidis tamen, in collibus decliuibus ad Zimmerin qua ad Phaſianorum iter eſt, primo ab vrbe Vienna miliari, deinde ad Badenſes thermas, Radaun, Petronellam, atque ſecundum vias publicas. Floret Iunio.

N O N *incommodè conuenire videtur hæc planta Conyza tertia Dioſcoridi deſcripta, quam locis non riguis naſci aſſerit.*

Conyza tertia vulg. C E T E R V M *frequentiſſima etiam per Pannonias eſt locis riguis Conyza vulgaris, ab omnibus tertia Dioſcoridis aut media appellata, quæ duplex eſt maior & minor. Verùm hæc meo iudicio commodiùs eo nomine appellanda veniet. Vulgare nullum nomen intellexi, & eius facultates mihi ſunt incompertæ.*

De Astere pannonico.

CAP. XXIX.

A D *Aſteris genera referendæ videntur elegantes hæ, nec antè mihi conſpectæ plantæ.*

I. Aster pannonic. maior. H A R V M *Prior ex nigra radice, obliqua, multis albicantibus fibris capillata, & lateribus propagines fundente, multa initio promit folia, Scabioſæ aut Succiſæ potius foliis ſimilia, dilutiore tamen virore, & tenui etiam interdum lanugine prædita, guſtu aliquantulum acri & amariuſculo: inter quæ prodit caulis cubitalis aut amplior, teres, plerumq. rubeſcens, per quem ſparſa ſunt folia ſuperioribus anguſtiora, mucronata, & nonnihil dentata: is ſuperna parte in aliquot ramulos diuiſus eſt, magnos ſuſtinentes flores, ex multis quinq. foliorũ luteis floſculis, atque in orbiculare caput congeſtis conſtantes, quos per circumferentiam ambiunt oblonga &*





longa & latiuſcula folia, plana, elegantiſſimo colore flauo, nullo aut exiguo odore prædita. ſemen deinde inter villoſam quandam capituli materiam continetur, angulosum, & quaſi triquetrum.

Paſſim ad Alpium radices loco aprico, nõnunquam etiã vmbroſo naſcitur. vbi Iulio floret, Auguſto ſemen eius maturum eſt. at in Leytenberg, multisq; aliis collibus Viennæ vicinis, vbi etiam frequens creſcit, Iunio flores producit.

CVBITALES *habet Altera caules, ſtriatos, firmos, virides, multis foliis priore anguſtioribus, & ſaligneis proximioribus, nullaque lanugine pubeſcentibus, ſed viridibus, duriuſque, & in ambitu tenuiter ſerratis præditos, non ſine acrimonia, ſuprema parte in ternos aut plures ramulos diuiſos, ſuſtinentes capita è multis viridibus foliolis ſibi inuicem incumbentibus compacta, quæ tandem in flores ſeſe explicant non minus amplos quàm ſuperioris, ſed minore diſcoſiue orbe et anguſtioribus cum ambientibus foliolis in extremo bifidis præditos, colore luteo. radicem nigricantem fibroſam, & adnatis ſe mirè propagantem, atque ſub tellure ſerpẽtem.* II. Aſter panno. ſalicis folio.

Frequens eſt in montanis ſecciſribusq;, pratis, ſiluis cæduis, montibusq; Viennæ vicinis vna cum tribus ſubſequentibus interdum naſcens. Florere incipit Iunio.

TERTIA *multis etiã ab vna radice aſſurgit caulibus, gracilibus, firmis, cubitalibus, virentibus aut purpuraſcentibus, ſubhirſutiſque, quos confuſo ordine ambiunt frequentia folia, oblonga, ſalignis ſimilia, viridia, tranſuerſum digitum lata, ad terram nonnihil reflexa, lata ſede caules amplectentia, molli lanugine obſita, ſapore aliquantulum amaro & acri: ſummo cauli inſidet capitulum multis foliolis & veluti ſquammis conſtans, orbem ſatis magnum continens, è plurimis luteis &* III. Aſter panno. [illegible] Salicis folio.



muscosis flosculis compactum, nullo odore preditũ, quem numerosa ambiunt oblonga foliola, florem Helenij ambientibus foliolis similia, angustiora tamen, luteo colore, sed dilutiore quàm medius orbis: circa summũ caulẽ à foliorum exortu interdum terni, quaterni aut plures exeunt ramuli, summum ipsum caule superantes, singuli florem priori similem sustinentes. exsiccatis floribus semen exiguum nigrum in iis capitulis continetur, quod maturum cum papposa sua cæsarie auolat: radix admodum fibrosa est, nigricans, subinde nouas propagines è lateribus producens, & nouas fibras agens.

Prouenit plerisque locis ad montium & collium radices secundum vias agro Viennensi & cæduis Pannoniæ siluis. Floret etiam Iunio.

HVMILIOR *est superiore Quarta, pedalem altitudinem rarò superans, numerosas a radice (quæ non minus fibrosa est quàm secunda nec pauciores illa propagines agit) proferens virgas, graciles, duras, virides, quas frequentia sed confuso ordine nascentia ambiunt folia, superiore angustiora, nigriora, duriora, & mucronata, Ptarmicæ vulgari seu pratensi similia, minimè tamen per oras serrata, amariusculo sapore, cui nonnihil acrimoniæ adiunctum sit: summis virgis insident flores superiori forma similes, attamen minores, capite etiam foliato, siue crebris foliolis imbricato: ramosæ etiam circa summum sunt hæ virgæ, sed rami matrem rarius superant: semen superiori est simile.* IIII. After panno. nic. angusti-fol.

In vmbrosis montium vrbi Viennæ vicinorum pratis, in ipsis collibus herbosis atque etiã in filuula ad Danubium sita paulo supra Eberstorf arcem Imperatoriam primo cum semisse ab vrbe Vienna miliari copiose crescit. Floret paulo serius superiore.

V.

MVLTA *sunt Quinto generi folia, circa sedem an-* After pannonic. cærul. flo.





gusta, & per summas oras latiora, cuspide obtusa, & quasi orbiculata, Bellidis foliis non valde dissimilia, superne atq. inferne lanugine quadã nonnihil pubescentia, gustu primũ exsiccante, deinde amaro: ex horum medio caulis exit dodrantalis, foliosus, hirsutus, capitulum in summo gerens è numerosis mollibus & purpurascentibus foliolis costatum, & in eo magnũ florem multis tenuibus oblongisq; ex caeruleo purpurascentibus foliolis flavum orbem vallantibus cõstantem, qui maturus in pappos evanescit: radix est Bellidis aut Scabiosae, lateribus propagines fundens, & albis fibris capillata.

Oritur herbosis Austriacarum alpium iugis. Floret Iulio: in hortos translata haec planta, sub finem Maij & Iunio floruit, subsequens deinde hiems abstulit, & corrupit.

SINE *vulgari nomine sunt istae plantae apud harum provinciarum incolas, & montanos pastores. An prima Lobelio Adversariorum pagina 148. nota fuerit, nescio: sed ille suis unicum florem tribuit, haec plures flores sustinet. Quinta respondere quodammodo videtur Virgiliano Amello, et forsitan Amellus alpinus dici queat: etenim in pratis, quemadmodum dixi, alpinis nascitur.*

Amellus alpinus.

CETERVM *Aster atticus Italorum & Fuchsij, qui purpureis sive caeruleis orbem luteum ambientibus foliis florem habet, cum latifolius, tũ angustifolius, per Pannonias satis notus est: ille quidem & Viennensi agro, & plerisq. aliis siccis nascens: angustifolius vero, cùm in montibus, tum in quibusdam pratis.*

Aster atticus Ital.

DE SCA-

DE SCABIOSA PANNONICA.

CAP. XXX.

NON *minor est Scabiosarum varietas: nam in nulla fere Europæ Prouincia me versatum esse memini, in qua eius aliquod peculiare genus non inuenerim, vt ex iis quæ inter rariores stirpes Hispanicis descripsi videre licet, & illa quorum historiam his Pannonicis obseruationibus propono documento esse poterunt.*

PRIMVM *autem cubitales habet caules rotundos, nodosos siue geniculatos, nonnihil hirsutos, concauos, & in singulis geniculis bina folia inter se opposita, non vti aliarum Scabiosarum multifida, sed lata, per ambitum duntaxat crenata, Vrticæ foliis interdum maiora, breui pediculo, colore viridi diluto, sapore amaro & acri: ex alarum sinu rami etiam prodeunt foliati, qui ex lateribus pediculos exerunt floribus, vulgaris Scabiosæ modo in se congestis, ornatos, colore rubro, nullo odore: deinde semina simul congesta, angulosa, hirsuta, cnici fere interdum magnitudine, stellata corona insignita: radix minimi digiti crassitudinem nonnunquam æquat, longaque est, nigricans, statim à capite quasdam satis magnas fibras spargens, & subinde ex lateribus nouos caules producens.* I. Scabiosa latifol. rub. flore.

Hæc Scabiosa per omnia maior alia inuenitur, maioribus & nigrioribus foliis, purpurascenteque ex rubro flore, alioqui nihil differens. 2. Scabiosa latifol. purpurasc. flor.

Prouenit vtraque in omnibus fere cæduis siluis, & iuxta sepes, locisque vmbrosis per vniuersam Pannoniam. Floret Maio & Iunio, quo tempore semen plerumque maturescit.

QVINA *aut sena habet Alterum genus folia humi sparsa, Scabiosæ vulgatiori & inter segetes nascenti* II. Scabiosa alpina.



fere similia, sed minime hirsuta, admodum vero carnosa & venosa, praeuirore quodammodo splendentia, aliquot crenis incipit superne sinuari, lento & gummoso, deinde aliquantulum acri: ex horum medio prodit palmaris caulis, interdum paulo amplior, gracilis, rotundus, cuius inferiorem partem ambiunt quaterna aut sena folia profundis & tenuibus laciniis dissecta, bina inter se opposita: extremo cauli insidet capitulum vt in vulgari Scabiosa, sed rarius è multis flosculis quinq. foliolis cōstantibus cōfertum, quorum exteriores maiores sunt, colore ex caeruleo purpurascente eleganti praeditum, villis quibusdā intra singulorum florum... ambientibus. radix nigra, longa, ... albis fibris capillata.

Inuenitur in summis Snéberg & Snealben iugis in tenui gramine nascens, vbi floret Augusto: similiter & in depressioribus nudisque circa Viennam collium iugis, vbi Iunio & Iulio floret...

CVBITALES sunt Tertiae caules, rotundi, graciles, firmi, virentes, nodosi, quos per singula genicula semper amplectuntur bina folia ex aduerso respondentia, tenuibus & profundis laciniis adeo diuisa vt alata videantur, colore ex viridi cinereo, sapore amarisculo, quae vero secundum radicem nascuntur, antequam planta in caulem assurgat, latiora sunt minoribusque laciniis diuisa: ex summis caulis ramulos fert tenues, & nudos, qui sustinent plana capitula è candidis inodorisque floribus... constantibus... quinis foliolis quorum tria inferiora maiuscula sunt, constant paucis intus stamiulis: floribus succedunt hirsuta semina vulgaris Scabiosae seminibus respondentia, minora, in orbiculare caput congesta: radix ... minimi digiti crassitiem aequat, multisque exiguis fibris in lateribus praedita est, singulis annis nouos caules proferens. III. Scabiosa multifido folio, albo flore.

 Nullum



Nullum est pratum siccius & editiore loco situm, nullus ager gramineus, nulli fere agrorum margines in quibus non nascatur hoc Scabiosæ genus, adeoque fertile est in gerendis floribus & pertinax, ut sola bruma illius luxuriem coerceat, alioqui Iunio florere incipit.

Memini & in Belgicis hortis simile *m ali : & aliam præterea, cuius folia latiora essent, firmiores caules, capitulaque florum bina aut terna simul nascentia.* Scabiosa latifol. albo flore.

ALIVD *porro genus invenitur quod bicubitali aut ampliore assurgit caule, tereti, firmo, rotundo, multis alis prædito, per quæ sub ipsis nodis sparsa sunt folia iam descriptæ foliis admodum similia, viridiora tamen & duriora, nec tam adeo teneres lacinias divisa: flores extremis ramulis insident in caput compacti, alterius floribus similes, hoc est quatuor foliolis constantes, uno semper (præsertim in exterioribus orbem efficientibus) maiore & ampliore, non ut in sup[illegible], sed omnino nivei, staminulis in omnium umbilico eminentibus coloris cādidi, sed apicibus subcæruleis, qui deinde in subrotunda capitula transeunt, continentia veluti inter squammas oblongiuscula angulosa semina, colore dum maturuerunt fusco.* IIII. Scabiosa maior pannon. albo flore.

Hanc Scabiosam primū observavi anno 1582. Augusto mense florentē & semē maturū proferentem circa Tirnaviam Pannoniæ transdanubianæ urbem, atque etiā secundum ipsius urbis vallū quā Meridiē spectat.

LATE *serpit Quintum genus, & interdum magnos cespites occupat, dura & nigra radice sese per summam tellurem spargente, & fibris tenuibus firmata: ex qua multi undique expanduntur rami humi diffusi, et subinde radicem agētes: folia satis numerosa, densa & carnosa, levia, viridia admodum, Bellidis foliis aut Globulariæ, quam Anguillara Aphyllanthen appellat, similia,* V. Scabiosa montana repens.



mina, nullo mucrone prædita, sed cordis, vt vulgo pingitur, formam referentia, herbaceum quiddam non inamœnum redolentia, oblongo pediculo, gustu amaro & mordicante: aliquot deinde inter folia dodrantales prodeunt cauliculi, teretes, singuli sustinentes capitulum Globulariæ maius & planius, multis crassiusculis villis aut floribus hirsutum, Succisæ siue Morsus Diaboli similibus, colore purpureo, nonnunquam adeo diluto, vt cæruleus quodammodo videatur: semen Globulariæ semini proximum.

Nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ montibus glabris & asperis, inter saxa & salebras sese spargens, atque etiam gramineis quibusdam siccioribus incultísq. agris, veluti supra Neapolim Austriæ. Floret Aprili & Maio: semen Iulio & Augusto maturescit.

PORRO *nullum vulgare nomen illarum Plantarum intellexi, ne tamen prorsus innominatæ essent, & à reliquis Scabiosarum generibus, quorum altera tantum a me descriptis, distinguerem; Priorem, cognominaui Scabiosam latifoliam pannonicam, Alteram, Scabiosam alpinam: Tertiam, Scabiosam tenuifoliam pannonicam flore ex albo flauescente: Quartam, Scabiosam pannonicam maiorem flore albo: Quintam, Scabiosam montanam minorem repentem.*

Non dubium est quin iisdem facultatibus prædita sint cum aliis Scabiosis.

INVENIVNTVR *autem & hic pleræque Scabiosarum genera, aliis etiam Prouinciis communia cum inter segetes, tum in pratis & siluis. Frequentes etiam in gramineis campis, siluisque a fruticibus & arboribus paulo liberioribus, interdum etiam secus vias inter gramina copiose crescit pumilum illud Scabiosæ genus, quod vulgo inter herbariæ rei studiosos Globulariæ nomen inuenit.* Globularia

uenit. Viennenſes muliercula, quæ ob floris elegantiam in ſuis hortis etiam alunt, Blaw Gucktartzu, *id eſt cæruleam bellidem nuncupant.*

De Iacea Avstriaca.

Cap. XXXI.

Ad *Scabioſarum claſſem haud dubie pertinent Iaceæ vulgo vocatæ genera, quorum nonnulla hic proponam, à nemine adhuc literis prodita, vulgarem ſuis Authoribus relinquens, tametſi hîc etiam creſcat.*

I. Iacea montana ſquarroſo capite maior. Prior *Iacea numeroſa ab eadem radice promit folia, oblonga, vulgari Iaceæ haud abſimilia, nec tamen minus aſpera, guſtu nõnihil calido, ſubadſtringente tamen: caules plerumque cubitales, ſtriatos, ramoſos, foliis anguſtioribus, & interdũ paucis lacinus ſecundum pediculum præditis obſitos, vt in vulgari: capitula in extremis ramis vulgari craſſiora, non hirſuta, ſed multis ſquammis tenuibus, &, ſi vel digitis leuiter attingas, crepitantibus prædita, infernè candicantia, ſupernè verò, qua ſe flos explicat, fuſca: flos vulgaris Iaceæ, multis exiguis foliolis ex purpura cãdicantibus, quinquepartito laciniatis conſtat, è quorũ medio purpurāſcens tubulus exilit, in ſummo veluti farina aſperſus, quē ambiunt purpurea maiora longioraq. foliola, quinque inæqualibus laciniis etiam conſtantia vti vulgaris. ſemen cnici exiguum, nigrũ, vulgari ſimile, ſed paulo maius, ſubadſtringente guſtu: radix vulgari Iaceæ ſimilis eſt, fibroſa, nigricans.*

Floret Iulio & Auguſto, & ſubinde ſemen profert, quod maturitate ſtatim ex vaſculis reptat, & florem ſiccum exuit.

2. Iacea montana ſquarroſo capite minor. *Eſt aliud eius genus per omnia fere ſimile, humilius tamē, vtpote quod cubitalem raro ſuperat altitudinem,*

foliis

foliis minus asperis, & aliquantulum incano, sed paulo dilutiore: semine etiam minore, nec nigro, sed albicante & cinereo: sapor autem paulo calidior. Maturius plerumque floret, & semen Iulio perficit.

Prouenit vtrumque copiose in montanis Pannoniæ & Austriæ pratis.

VENVSTISSIMA *est Altera Iacea, latáque & oblonga habet folia, vulgari Iacea maiora, candidiora & molliora leuiter per ambitum dentata, gummosi quidem gustu, sed amaritudinis non exiguæ: caules plures ex eadem radice, cubitales & ampliores, interdum bicubitales, angulosos & striatos: capitula terna aut plura fere contigua, ex multis squammis imbricatim dispositis constantia, quarum cuspides exterius reflexæ in adeo crebra & tenuia filamenta, siue potius multifidam barbulā desinunt, vt ipsa capitula elegantissimo & tenuissimo reticulo inclusa videantur, miro Naturæ artificio: flores superiori Iaceæ similes, paulo* [illegible] *purpureos: semen, quando maturum est, alterius quidē Iaceæ, sed gracilius, oblongiúsque, Cyani semini fere respondens, colore cinereo: radicem superiori similem.* II. Iacea montana villoso capite latior.

Sed huius etiā genus inuenitur longe humilius, quod cubitalem altitudinem vix attingit, alioqui foliis, villosis & reticulatis capitibus, floribúsque simile: semine etiam variat, quod nigricans est & paulo crassius. 2. Iacea montana villoso capite humilior.

Iisdem locis vtrumque nascitur quibus primum genus: & floret Iulio & Augusto, seménq. cum superiore profert, quod similiter florem siccum excutit.

TERTIA *foliis est vulgari Iaceæ similibus, secundum radicem leuiter laciniatis; caulem cubitalem aut ampliorem habet, gracilem, firmum, striatum, nonnihil interdum purpurascentem, in multas alas inæqualiter diuisum, per quem sub singulis alis sparsa sunt folia*

iam dictis III. Iacea montana hirsuto capite.





iam dictis minora, angustioráque: flores in summis alis è squammato, hirsutoq; & nigricante capite prodeuntes, vulgaris Iaceæ floribus omnino similes, & superioribus paulo saturatiores: semen priori æquale: radix fibrosa, aliis similis.

Iisdem locis quibus alia inuenitur, eodémque etiam tempore floret.

IIII. Iacea montana echinato capite. QVARTÆ *molliora sunt folia, quàm Iaceæ vulgari, circa radicem laciniata, ad Calcitrapæ vulgo dictæ siue Cardui stellati folia accedentia: caules cubitales, angulosi, striati, in multas alas diuisi: capitula hinc inde per ramulos temerè & cõfuso ordine sparsa, oblõga, quam plurimis squammis constantia, quæ in molliores tenuioresq; quàm Calcitrapa aculeos, eosq; valde barbatos desinunt: flos Iaceæ aut Cardui stellati purpureus: semẽ non obseruaui: radix Calcitrapæ siue Cardui stellati radicem æmulatur.*

Ad montium radices, & nonnunquam secundum vias nascitur in Austria: & Augusto floret cum Calcitrapa.

Hyosciris Plinij. *Non multum ab similis videtur illi quæ ante plures annos ex Italia nobis in Belgicam missa fuit Hyosciridis Plinianæ nomine.*

IACEÆ *nomine hanc plantam appello, propter similitudinem quam habet cum ea quæ vulgo Iaceæ appellationem obtinuit, quam immutare nolui donec aptiorem aliquam inueniamus. Primum verò genus, Iaceam montanã squarroso capite: Alterum, Iaceã montanam villoso retiformiq; capite: Tertium, hirsuto capite: Quartum autem, echinato capite cognominaui.*

FREQVENTISSIMVM *agro Viennensi in agrorum marginibus, siccioribusq; gramineis locis id Iaceæ siue*

sine Stœbes genus esse dixi Hispanicarum obseruationum libro secundo, quod semine è Galliis misso nobis in Belgica natũ fuit: nec iniuria, cùm nihil aut certè minimùm inter se differant. Hallucinantur verò qui eam plantam cum Cyano minore confundunt, diuersæ enim sunt: neq. minore altitudine excrescit Austriaca sponte hìc in agrorum marginibus nascens, quàm Gallica in Belgicis hortis. Stœbe gallica.

In collibus autem & montibus Viennensi vrbi vicinis prouenit aliud genus multo humilius, magis incanum, tenuioribúsque virgis, quod non multum abludere videtur à minore illo Cyano. Cyanus minor.

NVSQVAM *etiam non occurrit in siluis cum Pannoniæ tum Austriæ ea planta quam Matthiolus Serratulam cognominauit: atque etiam in plurimis vdis pratis siluis contiguis.* Serratula Matthioli.

DE PTARMICA AVSTRIACA.

CAP. XXXII.

CVBITALI *assurgit hæc planta caule, candicante, Cyani æmulo: folia infima caulis parte ad radicem numerosa, oblonga, angusta, supernè virentia, infernè molli lanugine incana, acidiusculo sapore, in ipso caule rariora & minora: caulis in aliquot ramos se spargit sustinentes capitula è squammis veluti argenteis imbricatim sibi inuicem incumbentibus contexta, vnde flos emergit elegans, duodecim aut quatuordecim foliis constans, duris, siccis, & mucronatis; colore primùm albo, deinde ex cæruleo quodammodo purpurascente aut Sesamoidis minoris Matthioli floris simili, nullo odore commendatus, sed sola venustate gratus, & immarcescibilis, colorisq; gratiam retinens per multos annos è trabe suspensus aut inter chartas repositus: in ipsa verò* Ptarmica austriaca.



planta (si non euellatur) senescens subfuscum contrahit colorem: semen non multum absimile Sesamoidi minori, sed tenuius, copiosum inter albam lanuginem latet: radix singularis est & nigricans, dura, capillaribus quibusdam fibris septa, annua.

Exit plerisque aridis locis Viennæ vicinis, secundum agrorum margines, omnium autem copiosissimè ad Phasianos, etiam intra ipsa pomœria, vbi varij generis arbores sunt consitæ, singulis annis semine deciduo sponte renascens. Floret Iulio.

PTARMICÆ *nomen huic plantæ imposui, non quòd sternutamenta moueat, sed quòd reliquis notis satis aptè cum Dioscoridis Ptarmica conueniat. Etenim tenues habet virgas, folia oleæ incana, molliora tamen & Anthemidis quodammodo florem. Austriacã verò cognominaui, quòd duntaxat in Austria infra Anisum flumen, præsertim verò circa Viennam totius Austriæ metropolim sponte nascentem inuenerim. A mulierculis rhyzotomis Scabiosa appellatur, siccaq́ in totum annum seruatur & venalis proponitur.*

Sibi autem persuadent, illius decoctum pueris propinatum, aduersus fascinationes valde vtile esse.

DE TANACETO INODORO.

CAP. XXXIII.

GRACILIBVS, *firmis, duris, & cubitalibus, interdum verò sesquicubitalibus assurgit hæc planta caulibus, per quos rara sparsa sunt folia pennata, Tanaceto vulgari non admodũ dissimilia, odoris tamen expertia, gustu linguã vellicante & feruido, circa radicẽ maiora hirsutáque: flores in summo caule magni, Bellidis maioris flori propemodũ æquales, octodenis aut vicenis foliis albis nunc longioribus, nũc breuioribus, mediũ orbẽ lu-* Tanacetum inodorum ampliore flo:

m 3 teum,





teum, vt in Chamæmelo amplectentibus constantes: radix est minimi digiti crassitudine, obliqua, neque in rectum tendens, nigra & aliquot fibris hirsuta.

Prouenit fere in omnibus vtriusque Pannoniæ montibus non admodum editis, & siluis cæduis.

Floret Maio & Iunio.

2\. *Exit etiam iisdem locis aliud genus, sola floris magnitudine ab hoc diuersum: cuius videlicet flos Matricariæ vulgaris flori sit simillimus, aut Cotulæ fœtidæ, eo quem modo descripsi multo minor.*

Tanacetum inodorum minore flore.

M I H I *non est compertum an aliquo nomine vulgari sit prædita hæc planta, Tanacetum autem inodorum cognominaui, quòd cùm nullo odore sit insigne, folia vulgari Tanaceto similia quodāmodo habeat. Secundo generi autem similem plantam apud Valentiam Allobrogum obseruasse videtur Lobelius.*

DE ABSINTHIO.

CAP. XXXIIII.

Absinthium vulgare.

P A S S I M *nascitur per Vngariam, Austriam & reliquas vicinas prouincias Absinthium illud maius, quod reliquæ opinor Europæ familiare est. Inueniuntur tamen alia quædam eius genera, nulli adhuc Scriptori ante meum in has prouincias aduentum cognita, quæ hoc capite describere constituimus: prius obiter mentione factā nōnullorum, quæ vel sponte hîc nascuntur, vel aliunde deuecta in hortis coluntur.*

Absinthium ponticum vulgare.

S P O N T E *autem crescit non solùm multis Pannoniæ, sed etiam Austriæ locis, atque agro Viennensi, cum in saxosis, tum aridis & salebrosis, gramineisq́ue desertis agris Absinthium illud tenuifolium Abrotoni fere folius, vulgo Romanum vel ponticum nuncupatum, mira fœcunditate radiculis fibrosis & latè serpētibus se propagans,*



1. *pagans, cuius duo videntur esse genera. Namq. vnum planè incanum est, quo potissimùm Viennenses officinæ*
2. *vtuntur: alterum purpurascentes habet cauliculos, & folia non adeò incana, sed supina parte viridiora: id à nonnullis superiori præfertur: existimo tamen natales duntaxat istam varietatem facere.*

Ungari cum hoc tum vulgare maius communi nomine Irõm *vocant.*

IN *cultissimo suo horto alit C.V. Ioannes Aicholzius medicus & professor Viennen. duo Absinthij marini genera, vt ex diuersis locis aduecta, sic etiam tota facie inter se discrepantia.*

Absinth. marin. patauinũ. *Nam quod Patauio hoc nomine allatum est, folia habet mollia, incana, lata, tribus, quatuor, aut ad summum quinis lacinijs diuisa, interdum etiam nullis, vt Artemisiam folio lauendulæ quodammodo referant (à qua tamen differt) satis grati quidem odoris, sed amari saporis.*

Absinth marin. misnēse. *Ex Misnia verò missum multifida habet folia, & succulenta, non minus quàm in superiore incana, proximè ad Seriphij in Belgicæ & Angliæ maritimis nascentis folia accedentia, grauioris tamen paulo & validioris, vt mihi videtur, odoris, Seriphij narbonensis & hispanici (quod nusquã nisi in mediterranei maris littoribus obseruare memini) graueolentiam quodammodo referentis, atque etiam saporem.*

Absinth. pumilum Camerarij. ACCEDIT *aliud pumilum Absinthij genus vix palmi altitudinem superans, tenuibus admodum cauliculis, quos circa radicem multa exigua multifida tamen & incana ambiunt foliola non iniucundi odoris. Id in summis cauliculis quaterna aut quina fert capitula in pallescentes flosculos vt superiorum sese explicantia.*

Noriber-

Noribergæ alebat in fictilibus C.V. Ioach. Camerarius eiusdem vrbis medicus.

CETERVM *ad ea genera non vulgaria, quæ in his Prouinciis nascuntur, transeamus.*

PRIMI *caulis pedalem altitudinem plerumque æquat, nonnunquam etiam cubitalem attingit, firmus, canescens, multis foliis marini Belgarum absinthij foliorum quodammodo æmulis, sed tenuioribus & omnino incanis confuso ordine eum ambientibus præditis, qui superiore parte in multos ramulos ex tenuiorum adhuc foliorum alis nascẽtes diuiditur, plenos flosculorum propendentiũ corymbis: radix fibrosa est, & singulis annis nouos frequentioresq; caules profert. tota planta elegans est & rarior: sed impensè amara.* I. Absinth. austriac. tenuifol.

Crescit in collibus & apertis quibusdam locis Viennensi vrbi vicinis, atq. à rhizotomis promiscuè cum eo quod vulgo ponticum appellatur, ad Pharmacopolarum Viennensium officinas adfertur.

RARVM *etiam est Alterum Absinthij genus, nec vsquam nisi in Austriæ Styriæq; celsissimis iugis à me obseruatum. Dodrantalibus autem assurgit cauliculis, gracilibus, incanis, in quibus rara & exigua sunt folia, tota incana lanugine & veluti tomento obsita, circa radicem maiora, Bellidis maioris foliis non admodum dissimilia, minora tamen & magis incisa, satisque crassa, gustu valde amaro: summis cauliculis octoni aut plures insidẽt flosculi in vmbellã distributi, floribus Achilleæ similes, sed maiores, septenis aut octonis candidis foliolis medium orbem ex aliis exiguis flosculis stilo luteo præditis efformatum cingentibus constantes: semen deinde quale Absinthij vulgaris, odoratum: radix nigra est, ali-* II. Absinthium montan. vmbelliferum.

 Abſinthium montanum vmbelliferum.



eſt, aliquot fibris donata, & è lateribus propagines ſpargens.

Iſtud primum ſub finem Iunij anni 1574. floribus onuſtum obſeruaui, & erui, dum ex Hobbergerin per ſumma iuga in Snealben tenderem, medio fere itinere, è ſcopulis præruptis & in altiſſima præcipitia (horreſco referens) propendẽtibus: deinde illo ipſo anno menſe Auguſto, maiore copia in Etſcherberg et Durrenſtain cùm florens, tum ſemine prægnans, quod cum nonnullis plantulis in Belgicam amicis miſi, è quibus hæc icon delineata fuit.

MONTANI *venatores* Unſerfrawen rauch, & Weyſs rauch *appellant, ad alterius cuiuſdam plantæ differentiam, quam infrà deſcribemus. Ego Abſinthij alpini vmbelliferi nomen illi indidi, quoniam multas habet notas, quæ, vt inter Abſinthij genera referre debeam, me impellunt. Si cui tamen hoc nomen minus arrideat, aliud pro ſuo arbitrio imponat per me licet.*

VERVM *ſubiicere hîc libet extemporaneum quoddam epigramma D. Pauli Fabricij Medici & Cæſ. Mathematici, qui mecum, Doctoreq́ Ioanne Aicholzio & aliis quibuſdam comitibus Etſcherianum altiſſimum iugum tum temporis conſcendit, vt illius montis vicinorumq́ iugorum longitudinem & latitudinem aſtronomico radio metiretur. Etenim præ manibus tum habebat totius Auſtriæ ſupra & infra Aniſum chorographicam deſcriptionem, quam ſumma diligentia magnisq́ ſumtibus confecit, ſperóque propediem maxima cum omnium ſtudioſorum voluptate & vtilitate euulgatum iri. Dum igitur inter nos de nomine iſtius plantæ orta eſſet controuerſia, ille ſic luſit:*

CARO-

CAROLO CLVSIO CÆS.
AVLÆ FAMILIARI, ET REI
Herbariæ apud IMP. MAXIMI-
LIANVM II. præfecto.

Carole, dum lustras loca plena virentibus herbis,
In medio fessos colle morare pedes,
Adque Dioscoridem confer, quam cernimus herbam,
Hæc'ne sit Abrotoni femina vera vide?
An quæ deformi crescunt Absinthia campo,
Ad species iubeant hanc numerare suas?
Rara quidem planta est, verè dignissima nosci:
At certè verus gratior vsus erit.
Consultor tecum censens Aicholzius illam
Iudicet, errori non det vt herba locum.
Sic hortos magnus vestros illustret Apollo,
Et radio flores fertiliore petat.

Paulus Fabricius D. Cæs. Mathematicus in iugis Etscherianis faciebat XXII. *Augusti* M. D. LXXIIII.

De Artemisia tenvifolia.

CAP. XXXV.

VVLGARIS *passim in his regionibus est Artemisia illa vniuersæ Europæ familiaris: sed eius etiam quæ tenuiore est folio, duo genera per Pannoniam, Austriam, atque vicinas Prouincias obseruaui.*

1. Artemisia tenuifolia inca-na. VNVM *crassa admodum, lignosa, multifida, & satis multis fibris minoribus donata radice cōstat: ex qua plures*

plures rami ſparguntur humi plerumque fuſi, interdum etiam recta aſſurgentes, lignoſi & duri, per quos initio & ante hiemem multi nodi naſcuntur, è quibus folia emergunt multifida & tenuiter inciſa, Abrotoni foliis propemodum ſimilia, candicantia, guſtúque non admodum grato, ſed poſtea aliquantulum ſaliuam ciente. Inter hæc ſubſequentis æſtatis initio tenues vimineæq; prodeunt virgulæ, purpuraſcẽtes, multis ramulis eiuſdem coloris præditæ, tenuioribúſque adhuc, quàm modò dixi, foliis ſeptæ, qui paruis veluti corymbis propendentibus onuſti ſunt, Abrotoni, Artemiſiæve, aut Abſinthij modo, vireſcentibus, & interdum purpuraſcentibus, qui explicati, ex purpura candicantem oſtendũt floſculum Auguſti initio, interdum etiam Septembri.

ALTERVM *ſimili ferè modo creſcit, ſed plerumq. rectioribus præditum eſt virgis, iiſque magna ex parte ſingularibus, firmis, lignoſis, purpuraſcentibus etiam, & in frequentes ramulos ſimili colore donatos diuiſis: folia licet ſuperioribus reſpondeant, minus tamen incana ſunt, ſed potius ex viridi purpureoq; nigricant: tenues ramuli Auguſto menſe ſuis corymbis, vt in primo, onuſti conſpiciuntur, purpuraſcentibus vt plurimum: quo tempore totus caulis nudus, & ſuis foliis marcidis ſpoliatus apparet.* II. Artemiſia tenuifolia purpuraſcens.

Naſcitur paſſim vtrumque genus ad ſemitas, aridis ſalebroſiſque locis, etiam ad Viennenſis vrbis vallum & foſſas, nonnunquã & in vetuſtis muris et ruderibus.

AN *commodè ad* Αρτεμισίαν λεπτόφυλλον, *Artemiſiam tenuifoliam Dioſcoridis hæc ſtirps referri queat, peritioribus diſpiciendum relinquo. Hæc ſanè odore illo Sampſuci caret, quo ſuam præditam eſſe vult: aut ſi quem odorem habet, is admodum tenuis & propè nullus eſt, præſertim in altero genere. Vngari* Sepreu fiu, *hoc eſt, ſcoparum* Αρτεμισία λεπτόφυλλος. Sepreu fiu.



est, scoparum herbam appellant, quòd vulgo apud illos ex ea scopæ fiant, ob quem etiam vsum nonnulli Austriæ incolæ, præsertim apud Neapolim, Besem kraut *nominant.* Besem kraut.

De Parthenio alpino.

Cap. XXXVI.

Mvltis *ex fibrosâ radice Chamæmeli modo fruticat ramulis, pedalibus, viridibusque quos ambiunt folia Anthemidi omnino similia, multiplici incisione diuisa, Cotulæ aut Matricariæ fere odore, gustu calido, attamen non ingrato: extremis ramis multi flores insident vmbellatim congesti, Absinthij alpini, modò descripti floribus proximè accedentes, hoc est exigua capitula ex albo & pallido commixta, ambientibus ea senis aut octonis latiusculis albis foliis, eiusdem cum ipsa herba odoris: rami humi procumbunt, & ex vna, vti dixi, radice prodeuntes, subinde fibras agunt, & noua germina procreant.* Parthenium alpinum.

Inuenitur in Sncberg, Snealben & Durrenstain iugis magna copia: florétque Augusto.

V t *montani venatores superiori* Weyss rauch *nomen indiderunt, sic etiam hanc plantam* vnser frawen schwartz rauch *nomine donarunt. Ego Parthenium alpinum appello, à Dioscoridei Partheny odore, ad cuius etiam descriptionem satis accedere videtur.*

De Parthenio pleno siue polyphyllo flore.

Cap. XXXVII.

Nihil *prorsus à vulgari Matricaria differt aut forma aut magnitudine: etenim cubitales aut ampliores interdum habet caules, striatos, in multas alas diuisos, folia vulgari perquam similia, et multis laciniis diuisa,* Parthenium polyphyllo flore.

herbacei coloris, validi odoris, & amari saporis: extrema ala plurimos flores candidos & multiplici foliorum serie constantes ferunt, nullo aut perquam exiguo in medio, aureo disco, quemadmodum Chamameli flore polyphyllo flores quibus sunt persimiles: semen an fœcundum sit ignoro, nam aliquoties satum, non prouenit, sed surculis seritur veluti Leucoium pleno flore.

Hanc plantam primùm conspexi Londini in Anglia, anno salutis humanæ 1579. quam inde Antuerpiam detuli, eiúsque iconem & semina postea habui Viennæ C.V. Dn. Richardi Garth Cancellariæ Londinensis primicerij & viri humanissimi munere, qui me multis beneficiis affecit: deinde longè frequentissimam anno 1581. cùm Londinum seriorum quorundam negociorum causa rediissem, toto semestri istic hærens.

Florere incipit Iunio, & tota deinde æstate flores proferre non desinit.

ADMODVM *profectò ferax est Anglia huiusmodi florum multiplici foliorum serie constantium, quos an arte & mangonio adquirant, ignoro: nam & Chamæmelum, & Lychnides siluestres, & alias plerasque plantas pleno flore, Belgicam inde primùm accepisse constat.*

DE MILLEFOLIO ALPINO.

CAP. XXXVIII.

Millefolium alpin.

ELEGANS *est hæc plantula, dodrantalem aut palmarem altitudinem non excedens, multis foliis circa radicem stratis, tenuissimè incisis, & veluti è multis minutissimis alatis foliolis constantibus, nonnihil incanis: candicantes cauliculi, satis crassi, huiusmodi foliis iisque minoribus & tenuissimè incisis obsiti: vmbella flosculorum densissima vti in vulgari Millefolio, sed colore*

colore rubro dilutiore siue carneo nitet: radix vix à vulgari differt, fibrosa admodum, & summa tellure serpens.

Sponte prouenit in Iudenberg & Spital Styriæ alpibus: floret verò Augusto.

Natales'ne id efficiant, an cultura, nescio: differre tamen videtur ab eo quod in Belgica simili propemodum flore in hortis alebamus.

DE LEVCANTHEMO ALPINO.

CAP. XXXIX.

HABENT *etiam Alpes suas Anthemides: verùm à vulgaribus diuersas, vt hoc & sequente capite demonstrabimus.*

LEVCANTHEMI *porro folia, prioris Chrysanthemi, quod proximo capite describemus, foliis haud multùm dissimilia sunt, nisi paululũ magis incisa essent, crassa, succulentaq; (vti sunt multarum alpinarũ stirpium folia) gustu amariusculo, & nullo odore grata: cauliculi dodrantales, infirmi, in quibus singulares flores, Chamæmelo maiores, luteo orbe, quem ambiunt vicena aut plura alba folia. Latè sese spargit hæc planta Chamæmeli modo, & fibrosas radices habet.* Leucanthemum alpinũ.

Crescit in Iudenberg, Spital, & aliis quibusdã Styriæ iugis. Floret Iulio & Augusto.

MVLTVM *accedere videtur ad eam plantã quam peritissimus Anguilara describit Leucãthemi Pliniani nomine, vndecima opinione. Ille verò suum Leucanthemum odoratum facit: at hoc odore caret.* Leucanthemum Plin. Anguilaræ.



De Chrysanthemo alpino.

CAP. XL.

Diversis *Alpium iugis diuersa inuenimus Chrysantheni genera.*

Horvm *Primum multa habet secūdum radicem oblongiuscula folia, Absinthio vmbellifero similia, crassa, pollicari longitudine, in lacinias aliquot dissecta, viridia (nouella tamen nonnihil incana conspiciuntur) amaro sapore: caules aliquot dodrantales, aut palmares, rarioribus tenuiusq; dissectis foliis ornatos, striatos, in quibus veluti vmbella denûm aut duodenûm luteorum florum, Iacobaæ vulgaris floribus non multum absimilium & eiusdem odoris: radix crassiuscula est, multisq; candicantibus fibris capillata.* I. Chrysanthemum iudenbergense.

Prouenit iisdem quibus Leucanthemum iam descriptum locis: eodem etiam tempore florens.

Alterum *numerosa secundum radicem habet folia, multifida, Abrotoni maris foliis fere respondentia, dilutiore virore nitentia, & odore, si terantur, haud ingrato, sapore verò amaricante & minimè grato: ex his caules exeunt pedales, minoribus foliis onusti, in aliquot interdum ramulos diuisi, qui singulos aut geminos sustinēt flores Chamæmelo vulgari maiores, inodoros, omnino flauos, medium orbem luteum cingentibus luteis foliis satis latis: radix fibrosa & nigricans est, pluresque à latere spargit ramos.* II. Chrysanthemum Etscheerianum.

Inuenitur in Etscher, atq. etiam in Snealben, Veytzalben, & aliis Styriæ iugis. Floret Augusto.

Cybitales *Tertio sunt caules, firmi, laeues, ex purpura virentes, superiore parte in aliquot ramos diuisi: folia longa, tenuiter admodum incisa, Achilleæ Matthioli, siue Abrotoni maris foliorum æmula, lon-* III. Chrysanthemum Snebergense.





giora tamen, crassiora & viridiora, quæ nullum gratum odorem spirant, gustatáque ingrata deprehenduntur & amariuscula: flores in extremis ramis vmbellatim dispositi, lutei, Iacobaæ floribus ferme similes, sed minores & inodori: radices sunt fibrosæ, candicantes, nouósque caules è lateribus singulis annis proferunt, qui plerumque summa tellure fibras agunt.

Crescit in Sneberg & reliquis iugis in quibus Alterum genus, atque in hortos translatum feliciter prouenit: florétque Iunio, illic autem Augusto.

AD χρυσανθέμυ *Chrysanthemi genera referendæ mihi videntur hæ stirpes. Quod si quis Iacobæis adnumerare malit, non refragabor: quandoquidem eas, vt plerasque alias, rei herbariæ studiosis duntaxat propono, vt eorum exquiram iudicium.*

Chrysanthemum Valentinum à Narbonensi differt.

CETERVM *quoniam nostrum Lobelium existimare video, Chrysanthemum Valentinũ à me in Hispanicis obseruationibus descriptum, non differre à Buphthalmo Narbonensis prouinciæ, mihi sanè nõ ignoto, vtpote qui aliquoties eruerim apud Aquas mortuas vulgo nuncupatas, quas nonnulli Fossam marianã (quã rectè, nescio) appellant: Non erit à nostro instituto alienum, si ipsum reliquosq́, qui fortè eius vestigia sequuntur, ab ea opinione liberare conatus fuero. Ipse Buphthalmo Narbonensi radiatos flores tribuit, & verè quidẽ: nã flores Camomillæ vulgari similes, imò maiores habet, medium orbem luteum cingentibus luteis foliis, & plerumque (quod ipse omisit) subtus nonnihil purpurascentibus aut subrubentibus. Chrysanthemum Valẽtinum nulla radiata folia in orbis circuitu habet, sed iis caret, non secus ac Chamæmelum illud Chrysanthemum odoratum, tametsi meum maiora habeat capita, nec*

ta, nec adeò in medio protuberantia, vt animaduertere potuerunt qui diligentius meam descriptionem legerũt, & possem, si opus foret, ex sicca planta è Valentino regno mecum delata, quam cum multis aliis rarissimis stirpibus siccis adhuc seruo, demonstrare, ipsiúsque Pictoris, qui eius iconẽ in lignea tabella delineauit, testimonium in medium adferre. Praterea meum recto assurgit caule, tenuioráque habet folia: Buphthalmum verò iam dictum plerumque ramulos humi fusos habere, crassioráque folia obtinere memini obseruare, & inter siccas herbas è Gallia Narbonensi delatas adhuc me seruare arbitror.

Hæc eò dixi, non vt Lobelium mihi amicum perstringerem, sed veritatis (cuius semper fui assiduus sectator) duntaxat inquirendæ gratia.

PORRO *Buphthalmum vulgare cubitalibus & amplioribus virgis, foliis alatis, floréque Chamameli no maiore, auri modo fulgente, vulgatissimum est per vniuersam Pannoniam, atque etiam vltra Drauum, & tota Austria: memini & in agris, & secundum vias passim nascens Moguntiaco agro obseruare, dum Viennam à Cæs. Maximiliano* II. *feliciss. m. accerserer: cùm autem in Belgicam anno* 1579. *proficiscerer, per Morauiæ partem, tota Bohemia, & Noribergensi agro conspexi.* Buphthalmũ vulgare.

Rhizotomæ huius Prouinciæ mulierculæ **Gelbkalsz-blumen** *vocant: Ungari* ökör zöm: *Croatæ, quorum mulieres eius stirpem tritam vtiliter vulneribus imponere asseruntur*, kachchi jezicach, *hoc est, serpentis herbam appellant.*

NEC *minus vulgare est omnibus collibus apricis & siccioribus vtriusque Pannoniæ & Austriæ gramineis campis Buphthalmum Dodonæi, siue Pseudoelleborum* Buphthalmũ Dodonæi. Pseudoelleborum nigr. Matthioli.





nigrum Matthioli foliis fœniculaceis, floréque Anthemidis ampliore & auri fulgore splendente, cuius radices atque etiam integras plãtas rhizotomi in foro Viennensi venales habent, atq. pro nigro Elleboro proponunt magno errore, cùm infra duodecimum, imò etiam septimum ab vrbe miliare, legitimum Elleborum nigrum albo flore abunde nascatur, & inde commodè minimisque sumptibus adferre possent.

Veratrũ nigr. alterũ Dodonæi.

Veratrum autem nigrum alterum Dodonæi copiosè etiam crescit ad initium Viennensis saltus sesquimiliari ab vrbe Viẽna, qua ad monasterium Chartusianorum Maurpach, & Tulbingam iter est, locis vmbrosis: aliis item eiusdem saltus vicinioribus locis ad siluarum margines.

De Iacobæa pannonica.

CAP. XLI.

Vvlgaris *illa multis Prouinciis planta, quæ ab Herbariis Iacobæa appellatur, per Pannonias etiam est frequentissima. Inueniuntur tamen & aliæ stirpes, quæ meo iudicio ad eius classem referri possunt.*

Iacobæa pannonica mollior.

1. Prima, *Iacobææ vulgari admodum similis, nisi mollior tota esset, caulem habet cubitalem, striatum, in multas alas inæqualiter diuisum, sub quibus folia admodum laciniata, mollia, & tenella, saporis amaricantis & calidiusculi, nec iniucundi odoris: flores in extremis ramis rariores quàm in vulgari, & minores pallidioresque, qui maturi in papposam lanuginẽ resoluuntur, cui subest semen vulgari simile: radix admodum fibrosa est, tametsi minimè perennis. Tota stirps molli hirsutie & pingui quodammodo lentore obsita est.*

Crescit in Pannoniæ & Austriæ caduis siluis, præsertim in Leyteberg, floretque Iunio.

Non



Non admodum differre videtur ab ea quæ in marinis Belgicæ aggeribus sponte prouenit: minus tamẽ crassa est, neque adeò succi plena.

II. Iacobæa pannon. folio nõ laciniato. TERNA, *quaterna, aut plura habet Altera folia latiuscula, in ambitu nonnihil dentata, caulem cubitalem plerumque, angulosum, gracilem, per quem temerè sparsa sunt folia infimis paulo minora, at in supremo angustiora, lata basi ipsum amplectentia: summo caule quaterni aut quini veluti in vmbella nascuntur flores Iacobææ vulgaris floribus non multum absimiles, ante quàm explicentur ex atro rubescentes, sed vbi aperti sunt, auri fulgore splendentes, quos in ambitu stipant quindena aut plura foliola per extremum incisa, supernè phœnicea, subtus verò quodammodo rubentia: ij flores maturi in pappos abeunt, quibus obuolutum est oblongiusculum nigricans semen, vulgaris Iacobææ semini non dispar: radix non admodum magna, nigricans, tenuibusq́; fibris candicantibus donata, sub Autumnum noua denuò folia latiora ad veterem caulem singulis annis producens. Tota planta mollis & quadam lanugine obsita conspicitur atque amaricans est.*

Nascitur apud Nemethwywar aliisq́; Pãnoniæ & Austriæ inferioris montosis & cæduis siluis.

Floret Iunij initiò, & sub eiusdem finem semen maturum est.

III. Iacobæa latifolia pannonica. CVBITALI *verò interdum excrescit Tertia caule, firmo, striato, quem ambiunt lata folia, rugosa, mucronata, per oras serrata, viridia, latiore basi, & veluti appendicibus quibusdam prædita ea parte qua caulem amplectuntur, sapore ingrato & nõnihil acri: quæ verò ex radice germinant, rotundiora sunt & maiora, sed nullas appendices habent, minus tamen serrata nõ sunt, quàm superiora: summus caulis diuiditur in aliquot ramulos,*



ramulos, qui luteos omnino flores sustinet, Iacobaæ vulgari similes, multo tamen maiores, & ad Buphthalmi amplitudinem accedentes, qui deinde per maturitatem in pappos euanescunt: radix satis crassa est & candicans, atque subinde fibras agit ad latera, vulgaris Iacobaæ modo.

Prouenit in Alpibus: nusquam tamen maiore copia quàm supra Herrenalben, qua longus ascensus est in Durrenstain. Abundanter etiam inuenitur non procul à Zolonock. Floret Iunio & Iulio, in hortos autem translata etiam Maio.

2. *Crescit in iisdem mōtibus, sed præsertim iuxta fluentes riuulos & aquas, aliud eius genus longè maius, amplis & magis mucronatis foliis, prona parte aliquantulum incanis, caule plerumq. bicubitali: cetera fere conueniunt. Id maturius floret altero.*

Iacobæa latifolia altera.

HANC *initio* ἀνώνυμον *reliqui, cùm nullum nomen meo iudicio satis aptum illi tribuere possem: à florū tandem similitudine inter Iacobaæ genera referre, & Iacobæam latifoliam montanam cognominare placuit.*

Conyza alpina Gesneri.

Videtur eius meminisse Gesnerus in descriptione Montis fracti his verbis. Conyzæ alpinæ genus, sesquicubiti aut amplius proceritate, corymbis florum luteis, fibris radicum albis pluribus & confertis, subamaris; à pecore non attingitur. Pastorum pleriq. Boni *vocant, aliqui* Goldkrut.

Hæc eadē Simlerus ad finem Commentarij de Alpib.

DE HORMINO SILVESTRI.

CAP. XLII.

HORMINI *siluestris appellatione comprehendo cum Scarleam vulgo nuncupatam, tum eam quam nonnulli Colum Iouis vocant.*

Scarleam

Scarleam autem ſponte naſcentem videre non memini: ſed in hortis duntaxat cultam & admodum familiarem. Quæ verò præpinguibus eſt ramis flore luteo Colusq́, Iouis cognominatur, per vniuerſam Pannoniã adeò frequens eſt, vt nihil illa ferè vulgatius ſit ad collium & montium radices, atque etiam ad elatiorũ hortorum margines inter ſepes & arbores. Eſt præterea tertium genus vulgo notum, de quo ſuo loco. Sed etiam ad Hormini ſilueſtris claſſem referẽdas eſſe cenſeo nonnullas alias ſtirpes, quas in his Prouinciis ſponte naſcentes obſeruaui. Scarlea. Colus Iouis.

I. Horminum ſil. lat fol. akerum.
ALIQVOT *habet Prior caules cubitali interdum altitudine aſſurgentes, quadrangulos, nonnihil hirſutos, firmos, geniculatos: folia magna, hirſuta, mucronata, per ambitum ſerrata, rugoſa, ſingulis geniculis adnaſcuntur inter ſe oppoſita, Scarleæ foliis haud multum abſimilia, minus tamen incana, & odore minus graui: ex alarum cauis oriuntur ramuli floribus purpureis, minoribus Scarleæ floribus, & Lauendula vix maioribus, verticillatim vſque ad extremum onuſti, inflexam & veluti procumbentem atq. nutantem ſpicam efformantes: ſemen in vaſculis puſillum, nigricans: radix illi magna, pollicari craſſitudine, nigro cortice obducta, dura, viuax, ſingulis annis noua germina proferens.*

Inuenitur paſſim Viennenſi agro iuxta vias, & in montanis pratis circa Mariæ cellam, & S. Crucis abbatiam, ſupra Badenſes thermas, & pleriſque alpeſtribus Auſtriæ & Styriæ locis: quinetiã apud Hirtzpach pagum ferri fodinis nobilẽ ſupra Noribergam Pragenſi itinere reperi. Floret Iunio, ſemen Iulio matureſcit.

II. Horminum ſil. quartum.
ILLIVS *porro ſilueſtris Hormini quòd Gallitrichum quidam cognominant, non meminiſſem: niſi plures eius ſpecies nonnihil florum colore, & foliorum forma inter ſe*

 Horminum sylueſt. latifolium alterum.





ter se differentes inueniri obseruassem.

1. OBLONGA *habet prior secundum radicem folia, parte inferiore latiora, deinde sensim in mucronem desinentia, nullis laciniis diuisa, sed per oras tantū serrata, supernè viridia & minimè hirsuta, rugosa tamē, infernè autē hirsuta, odore reliquorum Hormini generum graui, saporeq; amaro: caules cubitales, quadrangulos, geniculis distinctos, hirsutos, quos in singulis geniculis bina semper inter se opposita amplectuntur folia superioribus paulo minora: extremus caulis plerumque purpurascit, pinguisq; est, & desinit in oblongam, propinguemq; spicam florum hiantium, galeaq; editiore praeditorum, colore purpureo saturatiore elegantissimo: semen deinde in calyculis rotundum, nigrum: radix crassa est, nigráque & multis fibris praedita, viuax, & singulis annis regerminans, nouósque caules producens, qui subinde secundum radicem fibras agunt.*

Hormin. sil. 4. flo. violaceo.

Hanc interdum variare animaduerti. Nam anno 1579. Maio mense vnam stirpem inueni in siccioribus pratis Sopronio Pannoniae vicinis, quae candido omnino flore fuit, & foliis etiam incanis, non virentibus.

Hormin sil. 4. niueo flo.

2. ALTERA *eius species maiore altitudine excrescit, caulisq; suprema parte virescit, non autē purpurascit: flores tametsi superiori forma similes, dilutioris tamen sunt coloris: folia inferiora nonnihil laciniata sunt, in reliquis conueniunt.*

Hormin. sil. 4 dilutiore flore.

Passim in siluis caeduis, montanis pratis, viarúmque marginibus sponte nascitur vtraque, non modò in Pannoniis, sed aliis plerisque etiam Prouinciis.

Floret Maio, atque interdum Iunio.

3. SED est & Tertia species secūdae fere similis, Hispanico semine nata: etenim caules habet non minus altos, quadrangulos, nodis cinctos, hirsutos, & folia in singulis nodis*

Hormin. sil. 4 lauendulae flore.

nodis fere similia, duriora tamen, læuiora, angustiora, & obtusiore mucrone, laxioribusque laciniis prædita, præsertim infima, quæ secundum radicem nascuntur: calyculos in summis ramis extremoq; caule verticillatim in spicam desinentes, ex quibus emergunt flores reliquis speciebus longè minores, Lauendulæ florum ferme æmuli, nec colore admodum differentes: in singulis deinde calyculis semina nigra: radix superioribus similis est, & tota planta simili cum reliquis odore prædita. Floret Iunio.

Nascitur & hæc sponte in Anglia: nam cùm anno 1579. istic essem, satis frequentem Grenwicij quarto infra Londinum miliari, ad Regiæ arcis Hippodromum repperi initio Septembris cum florentem, tum semine onustam.

PEDALI *plerumq. hæc est altitudine, quadrangulis caulibus, geniculatis vt reliqua genera: folia in singulis geniculis bina, sibi inuicem opposita, rugosa, Saluiæ similia, non tamen incana, per ambitum nonnihil serrata, dura, gustu exsiccante & amaro, & odore, quàm primo descripta iucundiore: flores à medio caule ad fastigiũ vsq. verticillatim ex purpureis calyculis exeunt saluiæ similes, sed minores, eleganti colore ex cæruleo purpurascente, & quasi violaceo, interdum verò dilutiore: semen deinde in calyculis nigrum, reliquis generibus minus: radix interdum minimi digiti crassitudinem æquat, nigroq; cortice tecta est, subtus flauescens, multos singulis annis caules producit inferiore & terræ viciniore parte humi procumbentes, atque è geniculis radici proximioribus subinde fibras agentes. Tota denique planta eleganti est aspectu.* III. Hormin. sil. s. saluiæ folio

Vbique circa Viennam nascitur, totáque Pannonia secundum vias, & in agrorum vinetorumque margi-





nibus. Tota adeò æstate floret, & subinde semẽ profert.

Hormin. sil. 5. versicolore folio.

2. *Huius genus aliud est longè maius, duorum cubitorum altitudinem plerumque attingens, aut etiam superans, ipsius caules triplo crassiores, quadranguli tamen, & vti alterius geniculati: folia multo maiora & crassiora, albis maculis magna ex parte distincta: spica florum longior & crassior, flores verò cum forma tum colore similes, semine etiam conueniunt.*

Rarius hoc est superiore, nec nisi in pratis, herbidisque locis inuenitur: & paulo serius altero florere incipit.

SILVESTRIS *Hormini* ὁρμίνου τοῦ ἀγρίου, *vt dixi, genera videntur omnes hæ plantæ: nemini tamen legem imponere volo, sed cuique quo nomine eas donare velit, liberum relinquo. Mihi verò Scarlea vulgaris siue Sclarea quam Galli* Oruale, *Vngari* Zent Ianos fiue, *hoc est S. Ioannis herbam vocant, Horminum silnestre primum erit. Quod primo loco descripsi, Horminum siluestre secundum. Colus Iouis luteis floribus, tertium. Siluestre Lobelij, Gallitrichum vulgo appellatũ, Tragóque* Wild Salbey *dictum, quartum, cuius tertia species semine ex Hispaniis misso Baccharis nomine mihi nata est: Quod autem postremo descripsi, mihi quintũ erit; rhizotomæ mulierculæ Austriacæ* Wild Salbey, *id est agrestem saluiam appellant, vulgoq́; venalẽ proponunt cum aliis balneariis herbis. Matthiolus Horminum siluestre secundam eius speciem nominare videtur: Lobelius inter Verbasci genera recensere maluit, & Verbascum nigrum saluifolium vocat, quod an luteo flore variet, nunquam obseruare memini.*

Baccharis Hispanica.

DE MENTHASTRO.

CAP. XLIII.

Menthastrum vulgare.

PASSIM *in his Prouinciis etiam nascitur Menthastrum vulgare: sed duo alia præterea obseruaui,*

partim

partim sponte hic crescentia, partim semine aliunde misso mihi nata.

CVBITALI *aut ampliore Primum assurgit caule, quadrangulo, medulla pleno, multis nodis constante, ex quibus bini semper ex aduerso oriuntur ramuli similiter quadranguli, in quibus oblongæ spicæ, verticillatim compositis floribus constantes, qui Menthastri vulgaris, aut eius potius Calaminthæ, quã vulgo Cattariam vocant, floribus sunt similes, exalbidi, odore grato: folia aduersis inter se pediculis caulem & ramos ad singulos nodos ambiunt, menthastro ferè similia, sed magis ad Cattariæ folia accedentia, colore viridi minúsque albicante quàm Cattariæ aut menthastri vulgaris; menthastri odore, acri & calido sapore: radix dura, lignosa, ex lateribus propagines spargens, vt reliquæ congeneres plantæ.* I. Menthastrum montanum.

Sponte nascentem hanc plantam inueni primùm ad Austriacarum alpium radices, in pratis monasterio S. Crucis vicinis & ad Rehenaw Præsulis Neubergensis arcem, Augusto florentem: deinde copiosissimam in Vngaria ad radices scopuli in quo extructa est munitissima arx Nemethwywar, Germanis Gyssing dicta Ill^{is} ac Mag^{ci} Dn. Balthasaris de Batthyan Regaliũ Dapiferorum Magistri, & C.R.Q. M^{tis} Consiliarij, atque etiam in Leytenberg supra Manderstorf Iunio florentem, quo tempore etiam in hortos translata flores producit.

ADNVMERANDA *Menthastri generibus etiam videtur ea planta, quæ ex Hispanico semine Calaminthæ tertiæ nomine mihi misso nata est.* II.

Etenim cubitales habet caules, quadrangulos, rectos, frequentibus nodis cinctos, subhirsutos: folia oblonga, rugosa, per ambitum nonnihil serrata, superioris Men- Menthastrum tuberosa radice.





thastri foliis admodum similia, magis tamen incana, ingrato odore, amaro & calido gustu, singulos nodos æquali, sed oppositо inter se situ ambiunt: summi rami extremusq́ue caulis in molles atque incanas exiguorum foliorum spicas desinunt, inter quæ verticillatim compositi flores prodeunt candidi, exigui, Cattariæ florum æmuli: semẽ deinde illi persimile, pusillum nigrum: radix crassa & succulẽta raphano ferè similis, foris aliquãtulũ fusca, in multos hinc inde ad latera quasi paruos napos extuberat, aliisq́ue oblongis fibris donata est: perennis est & plures singulis annis caules profert. Floret Iunio.

Cattaria minor Hispan. sem. nata.

EODEM *tempore, Calamintha prima nomine, semen ex Hispaniis etiam missum, ex quo pulcherrimum Cattariæ genus enatum est, cubitales habẽs caules, quadrangulos, geniculatos, multis alis concauos: oblonga folia, angusta, per oras crenata, incana, odore Cattariæ vulgaris vehementiore, feruido gustu: flores spicatim in extremis ramis nascentes, candidos, vulgaris Cattariæ floribus respondentes: deinde semen in calyculis nigrum, calaminthæ semini par: radicem duram, lignosam, fibrosam, perennem, & singulis annis nouos caules proferentem. Floret Iunio & Iulio.*

PRIMVM, *cognominaui Menthastrum montanum: Alteri, tuberosæ radicis nomen addidi, quòd radix in alias crassiusculas radices extuberet.*

DE MARRVBIO PANNONICO.

CAP. XLIIII.

Marrubium vulgare.

RARIVS *est Marrubium vulgare in Austria & Pannonia, certisque duntaxat iisque paucis locis sponte nascens inuenitur. At aliud quoddã genus est frequentissimum, quod à nemine adhuc descriptum memini.*

Marrubium pann. alterũ.

MVLTOS *ex eadem radice caules profert cubitales in-*



les interdum, quadrangulos, firmos, nodoſos, in multas alas diuiſos: folia ad ſingulos nodos bina, contrario ſitu naſcentia, duas vncias longa, vnam lata, in ambitu ſerrata, marrubio vulgari ferè ſimilia, ſed anguſtiora, nec adeò orbiculáta, & paulatim à pediculo in latitudinem excreſcentia, ſenſimq́ in mucronem deſinentia, omnino incana, odore iucundo, guſtuq́ amaro & calido: flores candidi marrubio ſimiles in mollibus & incanis calyculis naſcentes, verticillorum inſtar ſummum caulẽ ſummosq́ ramos ambiunt: radix vulgari ſimilis, et ſingulis annis nouos ſtolones eosque numeroſiores proferens.

Adeò vulgare hoc genus eſt toto Viennenſi agro, vt vinetorum agrorumq́ margines, ſiccique & graminei campi eo abundent. Nullo tamen, quod ſciam, apud illos in vſu eſt. Floret Iulio.

De Galeopsi maxima Pannonica.

Cap. XLV.

Galeopſis pã-non. maxima.

CVBITALI *plerumque eſt caule, interdum etiam maiore, quadrangulo, craſſo, ſecundum radicem rubente, frequentibus geniculis prædito, è quibus bina ſemper inter ſe oppoſita naſcuntur folia, vrticæ foliis haud abſimilia, ſimiliter per oras crenata, ſed longè maiora, palmaremq́ amplitudinem ſæpiſſimè ſuperantia, hirſuta quidẽ ſed minimè mordacia: à medio caule ſurſum verſus, ad ſingula genicula verticillatim ſeni, octoni, interdum deni naſcuntur flores, non ſimul, ſed ſucceſſiuè ſeſe explicãtes, lamij floribus multo maiores, impenſè rubri, & veluti purpurei, galeati & hiantes, labro inferiore bifido, atque per oras laciniato, frequentibus ad latera barbulis prædito, interiore parte purpureis & candidis lineis depicto, ſtaminibus quatuor cum ſtilo ſub galea latentibus, odore graui, & ingrato, vti tota planta, ſi teratur,*





ratur, atque ingrato & amaro gustu: laciniati calyculi deciduis floribus quaterna semina cõtinent Moluccæ similia: radix crassa & fibrosa perennisque est, singulis annis augmentum sumens pluresq; stolones proferens.

Maxima copia nascitur in montibus illis siluosis arci Grebén sæpius memoratæ vicinis supra Warasdinum. Floret Maio.

De Lamio pannonico.

Cap. XLVI.

PEDALES *& maiores interdũ habet caules, quadratos, hirsutos, Lamij æmulos, quibus, per interualla, bina semper inter se opposita, veluti in vrticarum genere, innascuntur folia, Melissophyllo fere similia, rugosa, sed atro virore nitentia, gustu aliquantulum calido: flores ex singulis alarũ cauis terni aut quaterni prodeunt, antrorsum omnes spectantes & propendentes, oblongi, inodori, lamij florum æmuli, sed maiores & nulla galea insigniti, inferiore labro propendente, reliquis foliis (quæ aut candida omnino sunt, aut nonnihil interdum purpurascentia) maiore & purpureo: calyculi siue vtriculi ex quibus flores prodeunt satis magni & capaces, ex viridi pallentes, semen magnum, nigricans, inæquale continent: radix crassiuscula & aliquantulum nodosa multas fibras agit, & nouos singulis annis caules profert vt vrtica, & quædam aliæ congeneres plantæ.* I. Lamium Melissæ folio.

Eius altera species obseruatur in eo solummodo differens, quòd illius caules singulis annis frequentiores, at quodammodo infirmiores repullulent, illiúsque folia paulo sint angustiora. 2. Lamium 2. angustiore folio.

Copiosè in Leytenberg, in monte Badensibus thermis imminenti, aliisq. editis Austriæ & Pannoniæ locis, sed vmbrosis & siluosis inuenitur. Floret Maio, semẽ maturum est Iunio.

Reperitur etiam flore omnino niueo, sed rarissimè. Apud Lausannam verò in Allobrogibus, nullum aliud quàm flore omnino albo videre memini, anno 1554. dum è Narbonensi Gallia per Heluetios in patriam redirem.

Melyssophyllon Fuchsij & Tragi.

FVCHSIVS & *Tragus hanc plantam Melissophyllon appellarunt, cùm tamen exigua odoris gratia prædita sit, & apes eius floribus non admodum delectentur: & haud scio an apta sit ad aluearia intus cōfricanda, vti vulgaris melissa est, quæ omnium Doctorum iudicio verum* μελισσόφυλλον *Melissophyllum censetur. Ego ad Lamij genera potius referendam arbitror.*

II. Lamium vrticæ folio.

ALIVD *est præterea Lamij genus exoticū, cui dū primū semine emergit subrotunda sunt folia, molli lanugine hirsuta, per ambitum serrata, vrticæ simillima, oblongis pediculis innitētia, inter quæ altero anno emergit caulis modò sexangulus, modò quadrangulus, molli lanugine pubescēs, per quē ex interuallis æqualiter semper & aduerso situ sparsa sunt folia modò terna, modò bina, superioribus minora, & breuioribus pediculis hærentia, è quorum alis nunc bini, nunc terni pro foliorum numero exiliunt vnciales pediculi, tenues, firmi, hirsuti, ternos vel quinos flores sustinentes, qui concaui sunt, anteriore parte nonnihil hiantes, exiguo labello prolabente, & tenui stilo cum staminulis emergente præditi, colore ex viridi pallescente: floribus succedunt capitula Lini, aut potius Scrophulariæ vulgaris, mucronata, tenui nigróque semine plena: radix vrticæ similis obliqua & multis fibris capillata.*

Hanc stirpem primùm florentem obseruaui Viennæ in meo hortulo ad parietē natam nescio quo semine anno 1578. subsequens hiems abstulit: sed deciduo semine prognatæ sunt subsequente anno aliquot plantæ, quæ demum an-







mum anno 1580. flores protulêre. Floret Maio, semen Iunio maturescit: deinde tota planta radicitus perit.

III. Lamium peregrin. SED *& ad lamium fortè referenda est elegans hæc planta, quæ ex radice vrticæ vulgari simili, plures profert pedales cauliculos, teretes, quadrangulos, frequentibus nodis cinctos, ad quos alternatim bina contrario situ in oblongis pediculis æqualiter nascuntur folia, Lamio, siue vrticæ nō mordaci vulgari & fœtidæ quæ purpureo flore est, similia, vel proximè ad Hederæ terrestris siue Chamacissi vulgaris folia accedētia: inter quæ calyculi terni, quaterni, aut quini, continentes flores hederæ terrestris floribus forma proximos, hiantes, nulla supernè galea eminente, sed latiusculo folio reflexo duntaxat, mixtis coloribus cæruleo, albo, & purpurascente insignitos.*

Nascentem nunquam videre cōtigit: sed iconem suis coloribus diligentissimè expressam mihi dono dedit anno 1579, Ill. Dn. de Batthyan.

DE BETONICA.

CAP. XLVII.

NVLLI *sunt in Pannonia, Austriaque, & vicinis prouinciis montes herbosi, nulla silua, nullàve prata, in* Betonica pur. flo. duorum gener. *quibus non abundātissimè proueniat Betonica flore rubro siue purpureo: quæ duorum generum esse videtur. Alterum enim breuiore spica maturiúsque florente est: Alterum longiore, molliore, atriore, & serius florente. Solet etiam hoc postremum genus in maiorem altitudinem excrescere, licet in eodem loco sponte nascatur, vel eadem cum altero areola excolatur.*

Betonica albo flore. SED *Alia etiam Betonica mihi obseruata est multis foliis prædita, rugosis, subhirsutis, per ambitum serratis,*

ratis, Betonicæ vulgaris foliorum omnino æmulis, minimè tamen adeò atro virore nitentibus, sed dilutioribus: quadranguli caules geniculatique & subhirsuti in pedalem altitudinem excrescunt, subindéq. extrema parte in alas diuiduntur: folia in singulis geniculis caulem æquali situ ambientia, superioribus minora, nullóque pediculo fulta, odorata quemadmodum illa, gustúq. amaricante: summi caules & rami in densam calyculorum spicam desinunt, è quibus flos emergit vulgari forma similis, sed colore omnino albo: semen deinde in vasculis vulgaris Betonicæ semini par, fuscum: radix non dissimilis, perennis, singulis annis augescens, & plures caules proferens.

Crescit in ascensu montis Neuberg, in Etschero & aliis quibusdam editioribus locis: sed omnium copiosissimè supra Zeehof, magno vltra Gamingam miliari, qua iter est in Herrenalben & Durrenstain.

Floret istic Iulio.

Huius meminit diligentissimus peritissimúsque Cordus lib. 2. Historiæ Plantar. cap. 159.

DE SYDERITIDE PANNONICA.

CAP. XLVIII.

SYDERITIDIS *in hac Prouincia & vicinis locis nascentis tres species obseruantur; ab ea quam in Hispanicis obseruationibus exhibui, diuersæ.*

PRIOR *caules habet quadrangulos, cubitales, hirsutos, geniculatos, folia ad singulos nodos bina, ex aduerso nascentia, rugosa, hirsuta, Hispanicæ foliis maiora, & per ambitum serrata, sapore amaricante & calidiusculo: ramuli ad singula genicula nascuntur minoribus foliis obsiti: flores summum caulē verticillatim ambientes in spicam desinunt, Hispanicæq; floribus persimiles sunt,* 1. Syde(ritis pan)non. spicato flore.

miles sunt, maiusculi tamen, odorati, candidi, hiatúmque, siue rictum sanguineis punctis conspersum habentes: semen in pentagonis calyculis inæquale, nigrum: radix inutilis est.

Passim siccioribus agrorum & siluarum caduarum marginibus obuia est, quemadmodum & plerisque aliis Germaniæ locis.

II. Syderitis pannon. capitato flore.

ALTERA *humilior est priore, neque pedalem excedit altitudinem, & in pauculos ramulos diuiditur: folia priori similia obtinet, molliora tamen: flores ampliores quàm in superiore, albi, pallescente labro, & pauculis rubris pūctis asperso, verticillatim in vtriculis caulem supremosq; ramulos ambientes, breuiorem quàm in priore & obtusam spicam conficiunt, vti in Prunella.*

Nusquam non occurrit in agris & inter segetes multis Pannoniæ & Austriæ locis. Floret Iulio.

III. Syderitis pannon. pallescente flore.

TERTIA *pedalem etiam non superat amplitudinem, caule quadrangulo, ab radice statim ramoso: foliis secundum radicem priori genere nō breuioribus, similiterq; venosis, sed mollioribus, minimeq; in ambitu serratis, quæ summum caulem & ramos ambiunt, breuiora sunt: flosculi statim à ramorum exortu ipsos & caulem in calyculis quinquepartitò diuisis verticillatim ambiūt, superioribus longè minores, & è calyculis vix prominentes, forma tamen illis similes, fusci coloris, labello tamen interiore parte pallido: semen superiorum semine minus, nigricans: exiguorum foliorum pallescentis coloris coma extremos ramos caulemq; occupat, totaq; adeò planta molli incanaq; lanugine prædita est: radix candicans, lignosa, aliquot fibris hirsuta, sed non perennis, quippe quam maturo semine subsequens hiems tollere solet, vti & priores duas.*

Frequentissima est in Pannonia Austriaq; inferioris aruis



ris aruis & inter segetes macro & sterili solo: floretque Iunio & Iulio, semen subinde Iulio perficiens.

PRIMA & *Tertia à rhizotomis mulierculis* Fuss peerkraut *appellantur, siccatæq; in vsum adseruantur.*

Earum etenim decocto pedes & alios artus defatigatos, aut alioqui rigentes, vtiliter foueri prædicant. Prima Vngaris Tiztös fiu, *id est, nobilis herba dicitur.*

Sed etiam aduersus capitis dolorem, quem Styri Fuess peer *appellant (vnde & herbæ nomen) ipsum simili decocto lauari, abs nescio quo indocto empirico medico persuasi, vtile censent.*

DE PARIETARIA siluestri quorundam.

CAP. XLIX.

SVPERIORIBVS *quodammodo cõgeneres sunt hæ plantæ, quæ in tres species distingui queunt.*

I. Parietaria sil. cærul coma. QVADRANGVLO *Prior assurgit caule, pedali, subhirsuto, nodoso, in quo bina semper ex aduerso nascuntur alternatim oblonga folia, secundum pediculum lata, & sensim in mucronem desinentia, aliquantulum hirsuta: summus caulis & rami desinunt in foliorum superioribus minorum, & ad pediculum laciniatorum, molliq; lanugine pubescentium, colorisq; purpurei, nunc dilutioris, nunc saturatioris elegantissimi & violacei comam; inter quæ bini semper inter se oppositi flores nascuntur, oblongi, concaui, aliquantulum hiantes, superiore labro nõnihil reflexo et subhirsuto, inferiore latiusculo & deorsum propendente, colore luteo primùm, deinde omnino aureo, omnes tamen, licet alternatim & contrario situ nascentes, antrorsum spectantes & porrecti, quod pictor non obseruauit: radix candicans est, & inutilis.*

ALTE-

ALTERA *caulem etiam pedalem habet, rarò ampliorem, quadrangulum, nonnihil purpurascentem interdum, statim à radice in ramos diuisum, qui alternatim æquali semper, attamen contrario situ nascuntur: sub his expanduntur folia oblonga prioribus similia fere, virentia, ingrato & nonnihil acri sapore: flores in summis ramis inter pinnata & angusta folia nascentes, vt in priore, minores, coloreq; luteo, qui tamen in marcescentibus exalbescit, rictu manente luteo: radix cum superiore conuenit.* II. Parietaria sil. flo. luteo.

Crescunt in sepibus & siluarum marginibus, vmbrosisq; locis Vngariæ, Austriæ, Morauiæ, Bohemiæ, atque etiam Germaniæ.

AD *has referenda esse videtur quæ in omnibus fere Prouinciis inter segetes nascitur. Etenim superioribus quodammodo similis est, licet angustiora habeat folia, & quæ comam cōficiunt tenuius etiam laciniata, totaq; rubra aut carnei coloris: flores etiam prioribus forma similes, coloris tamen varij, nam labrum inferius cum galeola & extrema cauda purpurascunt, media pars quæ circa rictum turget, lutea est: succedunt in calyculis vascula fuscum semen continentia.* III. Parietaria sil. purpurascente coma.

Sunt omnes annuæ, & semine maturo perire solent: florent autem Maio & Iunio.

QVO *nomine Latino hæ donari debeant, ignorare me fateor: sunt tamē qui priorem siluestrē Parietariam appellauerint: Alteram Crataogonon, Tertiam triticum vaccinum, Melampyrum vocent, & Alopecurum Plinij esse putent. Plinij tamen Alopecuros, si quis diligenter perpēdat, à Theophrasti Alopecuro haudquaquam differre comperietur, Atrebates etiam à comæ colore rubram herbam cognominant.* Cratæogonū Melampyrū. Alopecuros Theoph. & Plinij.

Nullum, quod sciam, in medicina vsum obtinuerūt:

sed





ſed plerumque negligi ſolent. Poſterioris autem ſemen in occidentali Flandriæ parte, vbi copioſiſſimè inter ſegetes (ruſticorum plerumq. negligentia, qui eam tempeſtiuè non euellunt) naſcitur, panem vitiare ſolet, & atriorem reddere: quinimo ijs qui eo veſcũtur, plerumque caput grauedine tentari ſolet, non ſecus atque ſi lolio victitaſſent.

De Prvnella et Bvgvla.

CAP. L.

L i c e t *eadem Prunellæ & Bugulæ genera hîc inueniantur, quæ aliis Prouinciis communia ſunt: nonnulla tamen etiã naſcuntur quæ ab aliis minimè obſeruata eſſe video, de quibus hoc capite agere inſtituimus.*

I. Prunella maior. H a b e t *autem illarum Prior dodrantalem caulem, quadrangulum, hirſutum, geniculatum: folia in ſingulis geniculis bina, ex aduerſo ſita, ſubhirſuta, vulgaris Prunellæ foliis fere reſpondentia, guſtu amaricante: capitula in ſummis caulibus craſſiora quàm vulgaris; flores illius floribus forma quidẽ ſimiles, ſed longè maiores, nec ingrati odoris, ventre (quod pictor non obſeruauit) laxiore, galeaq; ſaturatius plerumque purpuraſcente, tametſi inueniantur nonnunquam dilutiores & quaſi exalbidi, ſemina in ſingulis calyculis quaterna plerumque: radicem nigram, multis craſſiuſculis & candicantibus fibris præditam, nouiſq; propaginibus ſeſe ſingulis annis augentem.*

Inuenitur non modò in Pãnonia, ſed multis aliis Europæ Prouinciis, editioribus & gramineis locis. Floret Iunio, Iulio, & Auguſto, & ſubinde ſemen profert.

II. Prunella laciniato folio. A l t e r i *dodrantales ſimiliter & quadranguli ſunt cauliculi, hirſuti, ramoſi, e ſingulis geniculis bina cõtrario ſemper inter ſe ſitu proferẽtes folia, non vt vulgaris ſubrotun-*





ſubrotunda, ſed longa, & in aliquot profundas lacinias diuiſa, ſapore quemadmodum vulgaris adſtringente: flores ſummo caule ſummiſq. ramis ſpicatim vt in vulgari naſcentes, à quibus forma quidem non differunt, ſed color ſubinde variat: nã vel niueus eſt, vel cinereus, vel carnei coloris, vel purpureus eſt, qualẽ etiã Mompeliano agro poſt monaſteriũ Egremõt ad ſiluulæ marginem olim colligere memini: ſemen item per ſimile: radix fibroſa eſt, ex qua prodeuntes ſingulis annis nouæ virgæ fibras plerumque agere ſolent. Prunellæ florum varietas.

Gaudet & hæc herbidis & gramineis locis, licet inter ſaxa locis à fluminibus nonnunquam inundatis inuenerim. Floret maturius ſuperiore, nempe Maio, tametſi etiam Iunio.

TERTIA *minimè differt ab ea quam vulgo Bugulam & Conſolidam mediam vocãt, ſeu forma ſeu viticulis ſumma tellure repentibus, quæque nunc flore cæruleo, interdum cinereo, atque etiam omnino niueo inuenitur: niſi quod illis mihi paulo tenerior videatur, floréſq. qui in illis ſunt aut cærulei, vt dixi, aut niuei, in hac rubri diluti, ſiue carnei conſpiciuntur.* III. Bugula carnei coloris flore.

Florentẽ cum aliis Maio primũ inueni anno 1577. non procul Zolonock in accliui nemoroſi cuiuſdam collis: deinde iterum anno ſubſequente quodam prato ad monaſterium Maurpach aliquot eius plantas erui.

CETERVM *quæ Bellis media à Matthiolo, maior autem à Lobelio nuncupatur, in obſeruationibus, vulgóque ex Conſolidæ minoris generibus cenſetur, frequentiſſima eſt in alpinis pratis, vnde illam ſæpius in hortos tranſtulimus.* Bellis media.

De Chamædry.

CAP. LI.

FREQVENTISSIMA *etiam est his in Prouinciis Chamædrys legitima, nulli etenim agrorum paulo editiore loco sitorum, nulli vinetorũ margines sunt, quæ ea non abundent. sed & interdum secundum publicas vias gramineis locis nascitur.*

Duorum porrò est generum.

I. Chamædrys maior. VNA *vegetior & vberior, longioribus, crassioribúsque virgis, amplioribus & succulentioribus foliis, longiore florum coma, maioribúsque & dilutioribus floribus.*

II. Chamædrys minor. ALTERA *minor, gracilioribus virgis, minoribus foliis, breuiore florum coma, & minoribus saturatiúsque rubentibus floribus.*

2. Chamædrys minor niueo flore. *Istam candido flore variantem apud monasterium Holtzkirche infra Wirtzburgum anno 1579. mense Iulio obseruaui & erui.*

Omnium autẽ radix latè serpit, lanugine pubescunt virgæ quæ humi diffusæ fibras plerumque agunt, & serrata sunt folia.

III. Chamædrys alpina cisti flore. CETERVM *elegans aliud genus inuenitur quod dodrantalibus serpit ramulis, colore ex fusco rubentibus, duris, lignosis, foliis nulla serie eos ambientibus, Chamædrys legitimæ folia referentibus, sed paulo minoribus, & subtus incanis, gustu admodum adstringente & exsiccante: flores illi in oblongis pediculis singulares, albi, octo aut nouem foliis constantes, Cisti feminæ floris propemodũ magnitudine, multis staminibus in medio præditi, inodori; quibus decidentibus villosum succedit semen, quale fere Caryophyllata alpina flore aureo supra descripta. radix est dura, lignosa, in diuersa tendens & quibus-*



quibusdam nigricantibus fibris prædita: quin & interdum humi procumbentes & sparsi rami fibras agunt, vt integri nonnunquam cespites ea tecti conspiciantur.

Frequens est in summis Austriacarum et Styriacarum alpium iugis: floretque Iunio, nempe solutis niuibus, semen vero ad maturitatem peruenit Augusto, deinde pediculi omnino exarescunt. In hortos translata & vmbroso loco tenuique solo reposita, aliquamdiu persistit, & maturius floret.

Herba cerui. HANC *Gesnerus libello De raris & admirandis herbis in descriptione Montis fracti, Herbam cerui ex quorundam sententia, ni fallor, appellat: & Iosias Simlerus Commentario de alpibus,* Hirtzwurtz *& Chamædryn alpinam.*

DE TEVCRIO.

CAP. LII.

ALIQVOT *stirpes per Pannoniam & vicina loca obseruasse mihi persuadeo, quæ plurimum ad Teucrij historiam accedunt: quas, quoniam à nemine descriptas video, operæpretium me facturum arbitratus sum, si earum descriptionem meis obseruationibus insererem.*

1. Teucrium maius pannon. latifol. CVBITALES *vero atque etiam ampliores habet Prior caules, frequentes admodum, ex vna radice prodeuntes, quadrangulos, subhirsutos, nodis distinctos: folia Chamædryi fere paria, aut illius foliis, quæ à nonnullis sacra herba existimata est (de qua ad huius capitis calcem) simillima, bina semper inter se opposita per ambitum serrata, gustu amaro: summi caules in aliquot ramos diuiduntur, ferentes oblongam spicam florum cæruleorum quatuor foliis constantium, quorum, quod superiorem partem obtinet, latiusculum semper est, venisque distinctum, duobus intus staminulis & stylo, qui*

marcescen-



marcescentes integri defluunt: siliquulæ deinde bifidæ, planæ vti in veronicæ generibus, semine exiguo plenæ: radix fibrosa admodum est & perennis, singulis annis nouos caules producens, qui infima parte secundum matrem fibras etiam agunt, & sese propagant.

Crescit in omnibus collibus & montibus Pannoniæ et Austriæ, plerisque Bohemiæ, & nonnullis Germaniæ, atq. etiam vltra Drauum petrosis locis herbosis tantum & inter frutices.

2. Teucrium pannon. maius angustif. *Illius genus inuenitur in herbosis collium ... paulo humilius, foliisque angustioribus: alioqui in cæteris conuenit. Floret vtrumque genus Maio: Prius etiam Iunio & Iulio.*

II. Teucrii pannon. minus. MVLTAS *statim à radice fundit Altera ... dodrantales, purpurascentes, humi procumbentes, quas alternatim bina semper ex aduerso sita amplectuntur folia, Chamædryos foliis forma & colore similia, & similiter per oras serrata, minora tamen, gustu ... exsiccante, deinde amariusculo: summæ virgulæ in ramulos diuisæ, numerosos flosculos ... nascentes gestant, quatuor foliis constantes, & eo quod superiorem floris partem occupat reliquis semper maiore & latiore, cui circa vmbilicum duo staminula ..., stilusque è medio vmbilico protuberat, integri deinde flosculi, qui sunt aut cærulei coloris saturatissimi & elegantissimi, aut dilutioris & quasi cinerei, sponte decidentes, vt in Priore, siliquulas relinquunt planas ... subrufo semine plenas: radix etiam admodum fibrosa & perennis, singulisque annis quemadmodum Altera nouas virgulas proferens: quin & nonnunquam ipsæ virgulæ secundum radicem fibras agunt.*

Nascitur fere omnibus siccioribus agris incultis, herbosisq. aggeribus & colliculis secundum vias publicas



inferioris Austriæ, præsertim Viennensi agro, & apud Neapolim loci natura munitissimam.

Floret Maio.

2. Vnicam huius inueni plantam anno 1579. ad radicem montis pago Glasenfeld imminētis secundo a Neapoli iam memorata miliari, quæ florem ex carneo candicantem haberet, circa vmbilicum carneis venis distinctum, carneique coloris stamina & stilum.

Teucrium minus flore candicante.

III. At in summo Etscheri iugo, nec vsquam alibi, Tertium quoddam genus obseruaui pumilum admodum dodrantalibus fere virgulis quadam lanugine pubescentibus, quas bina semper inter se opposita ambiunt folia, minoris Chamædryos foliis satis respondentia, inter quæ summis virgulis oblongiusculi enascūtur e barbatis calyculis flores, a superiorum forma diuersi, concaui, per extremas oras laciniati, latiores, colore cæruleo, e quibus duo staminula cum oblongo stilo exeunt: defluentibus integris flosculis succedunt crassiores et maiores siliquæ, exiguo semine plenæ. radix etiam per summa serpit, tenuibusque fibris prædita est.

Teucrium Etscherianū.

Floret Iulij initio, Augusto semen maturum est.

Nvllvm vulgare nomen istarum stirpium adhuc ediscere potui: nō incommodè autē meo iudicio ad Teucrij genera referentur.

Vvlgare porrò est tota Pannoniæ, Austria, Styria, Interamni, atque etiam Bohemia Teucrij illud quod passim in Hispaniis, Gallia, Germania, Belgicáque herbosis locis nasci conspicitur, foliis Chamædryos fere, & eius nomine à vulgo interdum nuncupatum, C. V. Dodonæus aliquando Sacram herbam appellauit, flore cæruleo pulcherrimo.

Sacra herba.

De Ve-

De Veronica.

Cap. LIII.

HAVD *pauciora inueniuntur Veronicæ genera, ab alijs (quod sciam) minime obseruata.*

PRIMVM *cubitales profert caules, interdũ etiam ampliores, minimè ramosos, aut certe quam rarissimis alis, sed multis nodis præditos, folia contrarijs inter se pediculis ad singulos nodos nascentia, duas aut tres vncias longa, vnam lata, crassa, atro virentia splendentiaque, raris & vix conspicuis crenis serrata, sapore admodum adstringente & exsiccante, deinde ex summo caule spicatim crescunt multi conferti flosculi Veronicæ rectæ floribus forma similes, sed colore [illegible] dilutiores, ab infima parte spicam [illegible] pandere [illegible] tes quemadmodum Teucrij flores: semen in planis [illegible] calculis continetur: radix satis crassa est, [illegible] fibris donata, singulis annis nouos ex lateribus [illegible] tas.* 1. Veronica maior latifolia.

Est alia huius species cubitalem altitudinem nõ excedens, multisq; in summo caule ramis prædita, cuius folia superioribus non minus ampla & crassa sunt, sed neque splendent neque adeò atra sunt. 2.

Conijcitur & tertia species secundæ ferè similis, cuius folia euidentioribus crenis serrata sunt, ramulique obiongiore florum spica præditi, in reliquis conueniunt; vtrique sapor idem. 3.

FIBROSA *etiam est Alterius radix, lateribusque se propagat, nouos singulis annis stolones promens cubito non minores, rectos, virides, veluti nodis aut geniculis distinctos: folia vt singulis nodis bina ex aduerso nascentia, oblonga, Lysimachiæ flore cæruleo folijs ferè similia, sed crassiora et in ambitu minus serrata, gustu primum adstringente & ingrato, deinde nonnihil acri: summi* II. Veronica maior angustifolia.





rami in spicas desinunt flosculorum cæruleorum simul congestorum, quatuor foliolis constantium, in quorum umbilico duo staminula cum exiguo stylo: semen in vasculis bifidis planis quidem, sed aliquantulum tumentibus & pulvinatis exile admodum & ruffum.

2. *Habet etiam Secundum genus alteram speciem, quæ media habet inter utrunq. genus folia, hoc est isto paulo latiora et caules minus ramosos, dilutioremq. florum spicam: sapor quidem adstringit & exsiccat, sed non adeo vehementer ut in prima specie.*

Inuenitur utrumque genus cum suis speciebus in multis Pannoniæ siluosis montibus, gaudetque collibus. Styriacarum verò & Austriacarum alpium radices omnes species aiunt. Florent Iulio, interdum etiam Iunio, in hortis præsertim: semen Augusto & Septembri maturum est.

III. Veronica fruticans. T E R T I V M *pedalibus est surculis, duris, lignosis, lentis & flexibilibus, humi sparsis & diffusis, & velut cinctis frequentibus nodis, unde ex aduerso semper utrinque ramuli enascuntur virescentes, in quibus bina semper inter se opposita foliola, viridia, crassiuscula, splendentia, oblongiuscula, & minutulis crenis serrata, gustu amaro: extremis ramulis fere aut cauliculis insident flosculi, ex aliarum sinu prodeuntes, quatuor ut plurimum, interdum quinque foliolis constantes, cærulei coloris elegantissimi, pallente umbilico, & rubro circulo eum ambiente, unde duo staminula prominent, & ex medio* [illegible] *umbone stylus muscæ proboscidi similis: semen in lateribus maioribusq. vulgaris Veronicæ vasculis & compressis ex utroque plano, fuluum sive* [illegible]*: radix lignosa, & multis fibris prædita: quin & ipsi surculi procumbentes radicē, atq. etiam longius a radice (si paullulum terra operiantur) ad singulos nodos fibras & radices agunt.*

Tran-



Prouenit in Sneberg & alpestribus Styriæ iugis, ubi Iunio floret: at in hortis etiam Maio, semen Iunio ad maturitatem perducit.

NON *dubium est quin priora duo genera ad Veronicæ vulgo vocatæ classem præsertim quæ recta cognominatur, sint referenda. Tertium si quis inter Teucria potius recensere malit, nō magnopere refragabor. Nullum vero hactenus vulgare nomen intelligere potui.*

Veronica vulgaris.

CETERVM *Veronicæ vulgaris cum recta, tum supinæ maxima in Pannoniis & Austria infra Anisum est copia: nec ullæ sunt cæduæ silua, nulli aridiusculi colliculi & aggeres, qui alterutrum non alant.*

Veronica recta vulgaris duplex.

Illius vero quæ recta cognominatur, duæ species inter se discretæ inueniuntur. Nam altera maior est, latiora q; habet folia, & longiorem florum spicam: altera minor, graciliorem caulem, angustiora folia, breuiorémque spicam.

De Clinopodio Austriaco.

CAP. LIIII.

Clinopodium austriacum.

DODRANTALIBVS *est cauliculis, tenuibus, quadratis, duris, geniculatis, quos ex interuallis bina simul semper ad singula genicula ambiunt folia contrariis inter se pediculis disposita, Serpillo vulgari fere similia: sed magis ad Clinopodij nonnullorum siue Acini Fuchsij foliorum formam accedentia, minora tamen, & raris crenulis serrata, viridia, non iniucundo odore, & aliquantulum acri sapore, sicut fere iam dictum Clinopodium: flores summis cauliculis ad singula genicula profert Clinopodio similes, sed multo minores & colore purpureo intensiore seu violaceo præditos (tametsi non-*



nunquam inueniantur albi) antrorſum maxima ex parte propendentes & obuerſos: quibus ſuccedunt calyculi quales in Clinopodio, ventricoſi, in quibus terna aut quaterna ſemina nigra, Calaminthæ aut Clinopodij ſemina referētia: numeroſas habet radices duras, & multis fibris capillatas.

Creſcit in montibus Badenſibus thermis imminentibus & reliquis vicinis ad Danubium excurrentibus: varijs præterea alijs locis. Floret Maio, ſemen Iunio matureſcit.

VVLGARE & *illud est, cuius modo memini, Clinopodium ſiue Acinos Fuchſij per Pannonias locis aridis.*

Acinos Fuchſij.

CLINOPODIVM *item Matthioli paſſim in cæduis ſiluis, aut inter fruticeta, & ad ſiluarum margines prouenit: cuius duo genera obſeruantur.*

Clinopodiū Matthioli.

1. *Vnum enim elatius eſt, maioraq́; folia & oblongiora capitula, eáque ſæpenumero per multas & varias coronas diſpoſita obtinet.*

2. *Alterum humilius, minoribus foliis & breuioribus capitulis præditum eſt. Folia, & quadranguli caules vtrique incana lanugine pubeſcunt, flos purpuraſcit, radix multis fibris capillata ſerpit. Vtrumque Iunio floret.*

Calamentum inodor.

SVNT *qui Calamentum inodorū appellant, tametsi non omnino inodorum cenſendum ſit, quandoquidem interdum aliquo odore nec ingrato nares perfundat.*

SED *quoniam in Acini mentionem incidimus, minime prætermittenda mihi videtur elegans quædam plantula, quam anno 1581. menſe Iulio florentem in Anglia obſeruaui, dum commodum nauigandi tempus ex-*

pus ex-

pus expectans, ad Ill^rem Dn. de Cobham Garterij ordinis equitem, & quinque Portuum Præfectum proficiscerer: nullam etenim hactenus videre memini quæ ad ἀκίνου Acini Dioscoridis historiam meo iudicio magis accedat.

Paucos ea habet ramulos dodrantales, tenues, siccos, subrubentes, quadrangulares, frequentibus nodis cinctos, ad quos bina semper ex adverso sita foliola nascuntur Fuchsij acino fere similia, sed minora, & succulentiora, neque in ambitu serrata, Clinopodij austriaci foliis plurimum accedentia, grati cuiusdam odoris & botrym quodammodo referentis, sed nō adeò validi & grauis: summos ramulos exornant verticillatim dispositi vtriculi, quales in acino Fuchsij, deinde similes propemodum flosculi, magis tamen ex cæruleo purpurascentes. Acinos Anglic.

De Serpillo pannonico.

Cap. LV.

NVLLI *sunt nudi colles, gramineíve campi, aut sicciora prata, viarumq; margines herbosi, qui vulgare Serpillum in his Prouinciis non alant. Quod cùm à plerisque descriptum sit, eius historiam minimè retexendam duximus: tria tamen alia genera mixtim cum illo nascentia hoc capite describemus, quoniam ab aliis minimè obseruata video.* Serpillum vulgare.

PRIMVM *admodum simile est vulgari quod in omnibus Europæ prouinciis occurrit: crassiora tamē & atriora habet folia, quæ trita citrij mali, vel melissophylli odorem referunt, & capitula paulo maiora, magisq; purpurascentia similibus flosculis prædita: ramulos crassiores, quadrangulos, palmares, per terram fusos,* I. Serpillum citrij odore.





ad singula internodia fibras agentes: radicem verò lignosam, multifidam, fibrosamque, numerosos proferentem cauliculos summa tellure in orbem sese spargentes.

II. Serpillum angusto glabroque folio. ANGVSTIORA *Secundo sunt folia pauloq; longiora, viridia, glabra, rarius per cauliculos sparsa, bina semper ex aduerso nascentia: cauliculi frequentes, tenues, oblongi, per terram fusi, & subinde ad nodos fibris sese firmantes, oblongaque, mollia, & veluti spicata in summo ferentes capitula flosculis vulgari similibus referta: radix dura est, lignosa, & multifida. Tota planta interdum nucis iuglandis foliorum odorem quodammodo refert, nonnunquam manifesto nullo odore prædita deprehenditur.*

III. Serpillum angusto lanuginosoq. folio. LATE *serpit Tertium genus, & magnos cespites interdum occupat. Nam licet duram & lignosam habeat radicem quemadmodũ alia genera: tenues tamen, quos in circuitu spargit, cauliculi subinde fibras agunt, quæ temporis successu in non minus duras & lignosas radices euadunt quàm primaria, funduntq; deinde alios in ambitu cauliculos foliis non minus quàm præcedentis oblongis, sed adhuc angustioribus, præditos, incana mollique lanugine pubescentibus: oblonga in cauliculis capita superiori similia, & similibus flosculis plena sunt. Tota planta pineum quodammodo seu resinaceum odorem trita refert, & gustu calido est.*

Omnia hæc genera eodem tẽpore florent, mense videlicet Iunio, & iisdẽ quibus suprà retuli locis nascuntur.

DE POLIO PANNONICO.

CAP. LVI.

Polium pannonic. maius. MVLTAS *ex eadem radice promit virgulas Polio montano similes, sed breuiores, & fruticosiores, folia in his inter se semper opposita, libanotidis coronariæ foliis similia, mi-*



lescentē: alioqui latioribus et in ambitu crispis incanisq́, folijs, & incana lanugine pubescentibus virgulis matrem referunt.

ILLVD *etiam rei herbariæ studiosos obiter admonitos volui, omnis generis Polij ramulos in terram vmbroso loco depactos, facilè radices agere, modò solum bene subactum & repurgatum sit.*

DE CHAMÆPITY AVSTRIACA.

CAP. LVII.

ELEGANTISSIMVM *est hoc Aiugæ genus, nec à quoquam hactenus, quod sciam, obseruatum.*

Numerosos, cū adoleuit, profert caules pedales, nonnunquam etiam palmares duntaxat, quadrāgulos, firmos, subhirsutos, frequentibus nodis cinctos, ad quos vtrinque nascuntur folia Chamæpitys vulgaris folijs similia, latiora tamen, & in quatuor aut plures interdum lacinias diuisa, supernè viridia & splēdentia, subtus neruosa & nonnihil incana, odoris satis iucundi, gustusq́; calidi, non ingrati tamen: ex singulis alis nascuntur ramuli similiter quadranguli, frequentibus folijs Aiugæ vulgari similibus septi, durioribus tamen, qui deinde alia oblonga in alis foliola, angusta, mucronata, Libanotidis coronariæ senescentis fere æmula gerunt: summos ramos verticillatim ambiūt calyculi rigidiusculi, è quibus exeunt flores Aiugæ tertiæ floribus forma similes, sed longè maiores & elegantissimi, colore saturæ purpuræ & violaceo, inferiore tamen labro nonnihil candicante, & sanguineis guttis resperso: semina in singulis calyculis plerumque quaterna, oblonga, angulosa, colore nigro & splendente: radix nigra, dura, frequentibus fibris capillata, & singulis annis nouos caules proferens. Aiuga Austriaca.



Nascitur tenui & nigro solo, in summo iugo pago Radaun imminēti nō procul à Peterstorf, sesquimiliàri ab vrbe Vienna satis frequenter: nec vsquam alibi obseruare licuit. Floret sub finem Maij & Iunij initio, quo etiam mense semen maturum est.

VVLGARIS *porro Aiuga flore luteo, tota hac prouincia frequentissima est in agris, & gramineis campis: sed & Tertia multifidis foliis & rubescente flore, quæ etiam Cl. viris Fuchsio & Dodonæo tertia est, multis harum prouinciarum locis inuenitur.* Chamæpitys vulgaris.

r 5 CARO-

CAROLI CLVSII RARIORVM STIRPIVM PER PANNONIAS obſeruatarum Hiſtoriæ

LIBER QVARTVS.



ACTEO *ſucco manantes plantas à ſuperioribus ſeiungere libuit; & ab iis Quartum noſtrarum obſeruationum librum auſpicari: quibus aculeatas, reliquarúmq. ſtirpium congeriem ſubiicere, & omnes quam commodiſſimè poterimus per ſuas claſſes diſtribuere conabimur.*

DE SCORSONERA PANNONICA.

CAP. I.

Tragopogi & Scorſoneræ differentia. TRAGOPOGIS *adnumerandas eſſe eas plantas quas vulgo Scorſoneras vocant, nemo eſt, vt arbitror, in re herbaria mediocriter verſatus qui dubitet, cùm tota facie illis reſpondeant. In eo ſolum differre videntur, quòd illorum radix minimè ſit viuax; ſed ſeminis partum ſubſequente hieme perire ſoleat: Scorſonera verò perenni ſit radice, multóſque annos (licet ſingulis florem & ſemen proferat) perdurare ſoleat.*

Ad huius genera referendas eſſe nonnullas ſtirpes exiſtimo, quas in Pannonia & Auſtria obſeruaui.

Scorſonera maior. 1. PRIORI *anguſta ſunt folia, Hiſpanicæ anguſtifoliæ, quæ odorato flore eſt, proxima, ſiue Bohemicæ adeò vicina, vt ab illa differre non putem: caulis, flores, radices la-*



dices lacteo succo turgentes, foris nigro cortice tectæ, intus candidæ admodum conueniunt.

II. Scorsonera humilis latifolia. LATIORA *breuioráque habet Altera folia, Bupleuro latifolio, siue Elaphobosco Mompelliano haud multum absimilia, crassiora tamen & duriora, quinque neruis, seu venis per longitudinem excurrentibus distincta, cæsio quodammodo colore, aliquantulum amaro & feruido gustu: caulis inter hæc assurgit gracilis, pedali altitudine, striatus, raris foliis septus, cui insidet flos superiori similis, luteus, magnus, ex quo semen oblongum, asperum, Tragopogo simile, sed minus: radix pollicari crassitudine: interdum maior, longa, nigro rugosóq; cortice tecta, intus alba, quæ confracta, lacteo succo manat, qui deinde flauescit: superiore capite hirsuta est, & in plura capita plerumque extuberat, vnde folia prodeunt.*

III. Scorsonera humilis angustifolia. TERTIA *firmatur crassa radice, longa, nigro densóq; & rugoso cortice prædita, lacteo succo plena, quæ interdum superiore parte in plura capita, quemadmodum secunda protuberat, crassitudine minimi digiti (nouellarum plantarum instar) hirsuta: ex quibus multa exeunt folia Tragopogo similia, firmiora tamẽ, & breuiora, alterius colore: inter ea excrescit humilis palmũ vix excedens caulis aliquot foliolis breuibus septus, cauus, florem in cacumine ferens luteum, alteri fere similem: & semen deinde in oblongis calyculis Scorsoneræ hispanicæ semini par, minus tamen quod per maturitatem leuissimo auræ flatu excutitur, eiúsque arbitrio fertur.*

IIII. Scorsonera humilis fibrosa radice. ANGVSTIS *etiam constat Quarta foliis, Tragopogo aut Scorsoneræ angustifoliæ proximis, carinatis, colore cinereo, digitali longitudine, lacteo succo plenis, amariusculis: ex quorum medio prosilit tener cauliculus, dodran-*



dodrantalis, per quem ſparſa ſunt rara folia aliis minora, quiq. in aliquot ramulos finditur ſuſtinentes capitula aliorum more ſquammata, quæ in luteos floſculos Tragopogo ſimiles, ſed minores explicantur, maturitate in pappos euaneſcentes: radix nigra eſt multis albis fibris capillata, lateribus propagines præter aliarum morem agens.

V. FREQVENTIA *ſunt Quinta folia, longa, Tragopogi foliis minora & anguſtiora, inter quæ cubitalis aſſurgit caulis, cauus quidem & ille, ſed firmus, duruſque, viridis, aliquot oblongis foliis circumſeptus, & ſuprema parte in binos aut plures ramulos diuiſus, ferentes in oblongis calyculis florem Scorſoneræ anguſtifoliæ ſimilem, paulo minorem, & colore ex cæruleo purpuraſcente, iucundi odoris & qui paſtillorum è benzoino confectorum nidorem æmulatur: ſena deinde aut octona pluráve in ſingulis calyculis ſemina, ſcorſoneræ ſeminum æmula, quæ matura cum ſuis pappis vẽto excutiuntur: radix minimi digiti craſſitie, ſingularis, denſo cortice foriſque nigricante & rugoſo obducta, atque ſuprema parte hirſuta & villoſa, quæ confracta ſuccum exſtillat initio lacteum, deinde fulueſcentem, guſtu primùm gummoſo, deinde aliquantulum acri: perennis eſt vt aliarum, & vetuſtate craſſior redditur, atque ſubinde in plura capita ſuperiore parte extuberat.*

Scorſonera maior anguſtifolia ſubcęruleo flore.

2. *Similis planè inuenitur in colle oppido Stamſem vicino, duobus vltra Poſonium Vngariæ celebrem vrbem miliaribus: niſi quod Stamfianæ folia anguſtiora ſunt, calyculi breuiores, ſemenq; craſſius & breuius Cnici ferè ſemini reſpondens.*

Eius varietas.

Primum autem genus duntaxat in Hamburgenſi monte inueni, quodam loco admodum herboſo, & arboribus circumſeptò. Alterũ, in monte Badenſibus thermis im-



mis imminente, vicinisq; aliis. Tertium & Quintum, non modò in Hamburgensi monte qua parte glaber est & tenui duntaxat gramine tectus, quáque Austriam spectat, sed etiam in Prellenberg, Leytenberg, catena illa montium à Calenberg ad Alpes excurrentium, & plerisque Vngariæ locis. Quartū in saxis ad Gamingam, vbi copiose nascitur & Iulio floret, solummodo offendi. Florent reliqua genera & Aprili & Maio: semē etiam Maio aut sub Iunij initium maturescit.

PORRO *Secundum genus Scorsonera humilis latifolia appellari poterit: tertium humilis angustifolia: quartum, cùm eius radix cum reliquarum Scorsonerarum siue Viperinarum radicibus non admodum conueniat, dubito an ad Hieracij genera potius referendum sit. Quintum verò, Scorsonera elatior angustifolia purpureo flore cognominari poterit.*

An autem similibus facultatibus præditæ sint hæ Scorsoneræ, quibus celebrem illam, & adeò decantatam Hispanicam pollere aiunt, neminem adhuc periculum fecisse arbitror.

DE HIERACIO PANNONICO.

CAP. II.

INSIGNIS *etiam in Hieracio obseruatur varietas per Pannoniam & Austriam: nam præter ea genera quæ cum aliis Prouinciis communia alunt, nonnulla obseruare memini, quæ nusquam alibi sese mihi obtulerunt.*

1. PRIMVM *autem locū latifolio dabo, cui quina aut sena sunt folia, humi strata, lata, Intybo satiuo latifolio non multum dissimilia, per ambitum nonnihil sinuosa, interdum etiam laciniata, mollia, hirsuta, nigricantibus maculis sæpissimè infecta, interdum minimè, lacteo succo turgen-*

Hieracium latifolium.

Hieracium I.



turgentia: è quorum medio caulis exit cubitalis, [illegible] raris foliolis septus, in quo plerumque vnus [illegible] alter & tertius flos ex crassiusculo calyce, [illegible] lanugine hirsuto emicat Hedipnoidis [illegible] pallidior, plenus, aliquantulum odoratus. [illegible] culum, fuscum, papposa coma vt in Trago[illegible] tum, quod maturum leuissimo flatu dissi[illegible] illi minimi digiti crassitudine, nigro atque [illegible] obducta, lactei succi plena.

Inuenitur plerisq. Ungariæ et Austriæ cũ [illegible] tum inferioris mõtibus gramineis et apricis [illegible] ribusq pratis Floret Maio semen maturum [illegible]

II. CVBITALES *atque etiam bicubitales [illegible] sunt Alteri caules, firmi, rotundi, quadam [illegible] siti, quos confuso ordine multa ambiunt folia [illegible] aut amplius longa, vnam lata, per ambitum [illegible] mollia, lacteo succo plena: summus caulis in aliquot ramulos finditur sustinentes imbricata capitula [illegible] flores prodeunt lutei, denis, duodenis, aut pluribus [illegible] lis per extremum incisis constantes, medium [illegible] multis luteis fibris: radix minimi digiti cr[illegible] tenuibus fibris capillata [illegible] au[illegible] latera [illegible], frequentius [illegible] caules proferens.*

Hieracium maius latifolium.

2. *Eius genus inuenitur angustioribus foliis, [illegible] ciam latis, & graciliore caule, in reliquis conueniens.*

III. TERTIO *cubitales etiam assurgunt caules, [illegible] di, superioribus minus crassi, & frequentiore a[illegible] que lanugine obsiti, quos similiter ambiunt [illegible] ne multa folia superioribus angustiora, br[illegible] etiam duriora, nec minus [illegible] turgentia: [illegible] lis diuiditur quoque in ramulos [illegible] stinentes, e quibus exoriuntur flores superi[illegible] les: radix non adeo crassa quam superiori [illegible]*

Hieracium malus angustifolium.

[illegible]

nec ſurrexit, nec in nouis prouentibus educandis minus fertilis.

Idem etiam genus alterum obſeruauimus anguſtioribus foliis & multo longioribus, licet non minus duris, quod alioquin ea quodammodo facie ipſi reſpondet. 2.

Magnam vero affinitatem hoc genus habet cum Hieracio quodam minore apud Belgas ſecundum publicas vias inter frutices naſcente.

Naſcuntur omnia in extremis ſiccioribus pratis inter vepres, atq; etiam ad cæduarum ſiluarũ margines.

PLANTARVM ſimilitudo facit vt duobus poſtremis generibus Quartum ſubiiciam, non in Pannonia natum; ſed in Britannia anno 1581. obſeruatum.

Cubitale vero interdum habet caules, ſtriatos, digito graciliores, ex viridi purpuraſcentes, quos nulla ſerie, ſed confuſo ordine ambiunt folia, Conyzæ maiori fere ſimilia, ſed non adeo pinguia, lata ſede caulem amplectentia, in circuitu denticulata, & per extremum mucronata: calyculi ſummo caule ex foliorum alis emergentes oblongi pediculis inſidentes, hirſuti, qui in luteos flores, reliquis Hieraciis fere ſimiles ſeſe explicant: iis ſuccedit ſemen oblongum, tenue, ſtriatum, candidum, quod cum ſuis pappis leui aura diſpergitur, vt in congeneribus plantis: radix etiam perennis, multis oblongis craſſiuſculis, nigricantibus, fibris conſtante, quæ ſingulis annis numeroſiorem caulium ſobolem procreat. IIII. Hieraciũ britannicum

Impenſe amara eſt hæc planta, nuſquam ſponte naſcẽs mihi conſpecta: ſed Londini duntaxat in hortis doctiſſ. virorum Ioannis Rich & Hugonis Morgani Pharmacopolarum, qui Cambrenſem montanum nuncupabant, ex borealibus Britanniæ regionibus delatam.

Floret Iunio & Iulio, ſemen Auguſto maturitatem conſequitur. Hieracium aſperum hirſuto folio.

ALIQVOT Quinto ſunt folia è radice prodeuntia, V.





vncialis fere latitudinis, oblonga, mollia, crispa, lanugine admodum hirsuta, & quodammodo incana, lacteo succo prædita: è quorum medio caulis pedalis plerumque emergit hirsutus, quem per interualla ambiunt folia superioribus breuiora, at triplo latiora, & in mucronem desinentia, non minus quàm illa hirsuta, aut lacteo succo prægnantia: vnicum in summo fert capitulum e densa hirsutis & incanis foliolis compactum, nonnunquam in lateribus alterum & tertium, quod in florem sese explicat hieracij floribus similem, multis foliis luteo colore præditis constantem, qui deinde in pappos cum suo breui & nigro semine euanescit: radix nigricat, multis candicantibus fibris prædita est, & singulis annis nouos caules profert. Tota planta admodum amara est.

Inuenitur in herbosis Alpium iugis, vbi Iulio, interdum etiam Augusto floret: at in hortis Maio, semen verò Iunio perficit.

VI. Hieracium montan. SEXTI *radix digiti interdum crassitudine æquali, lōga, nigricās, tenuibus q; fibris prædita, summa parte in plura aliquando capita extuberat. quæ summa tellure semiaperta ostona oblōga folia, sinuosa, crenata, & nonnihil incana proferunt: e singulis capitibus prodeunt inter folia singulares cauliculi, nudi, dodrantales aut palmares, vnicum florem sustinentes è multis oblongis & per extremum incisis foliis lateq; colore præditum constantem: qui deflorescente, semen oblongiusculum cum pappis suis a vento excutitur.*

In omnibus illis montibus a Calenberg Danubio imminentiad Alpes excurrentibus nascitur.

Floret Maio.

2. Eius varietas. *Aliud eius genus inuenitur, cuius folia nonnihil in lateribus laciniata sunt quemadmodum Leontij montani species. Illa, minus incana, sed magis aureo colore virentia.*

filat, aliequi per omnia simile. Vtriusque planta lacteo succo plena, & amariusculo gustu est.

E x *radice obliqua & rugosa, minimiq; digiti crassitie, & multis fibris donata, aliquot extuberant capita, vnde sena aut plura enascuntur folia, vnius, duarum, & trium vnciarum longitudine, semunciam lata, crassiore neruo secundum longitudinem excurrente, mollia, breui incanaq; lanugine prædita, & infima parte admodum laciniata & angustiora, superna verò latiora & dentata duntaxat, lacteo succo turgentia: è quorum medio bini aut terni emergunt cauliculi palmares, enodes, foris laues, intus concaui sustinentes flores luteos Quinto generi similes, colore vero aliquantulum saturatiores, qui maturo semine tenui, longiusculo & nigricante in pappos abeunt.* VII. Hieracium montan. laciniato folio.

Crescit in Leytenberg, floretq; Iunio.

S V P E R I O R I B V S *coniungendum est pusillum illud Hieracy genus, cuius descriptionem & icone etiam Londini communicauit 1581. V. C. Thomas Pennæus his verbis.* VIII.

Hieracium minimum planta dodrantalis aut paulo altior, radice singulari, tenui, alba, paucis fibris vestita: folia ab radice quinque, sex, septem, quandoque plura, bellidis fere, sed paulo longiora & serrata: è quorum medio caulis exit vnicus, quandoque duo, vel tres, foliis omnino vidui fistulares, iuxta radicem rubentes, interdum versus summum ramosi, ramis iuxta exortum rubentibus: caules omnes versus capitula, citra fere quàm in aliis plantis extuberant crassiores, ferunt singuli singula capitula globosa sustinentes, ex quibus flores parui, lutei, ex apicibus constantes, & tandem pappescentes exoriuntur. Lactescit & amariuscula est. Hieracium minimum.

Prouenit inter segetes locis parum arenosis & terra





friabili: frequens in Anglia multis in locis, aliâs nusquam nisi in agro Heidelbergensi unico tantùm loco, me vidisse memini. Iulio & Augusto floret.

De Soncho.

CAP. XII.

Havd *vulgaria aliquot Sonchi genera per Pannonias & Austriam nascuntur, quæ silentio minime premenda existimaui.*

I. Sonchus læuis cæruleo flore.

Cvbitali *aut ampliore excrescit Primus caule, rotundo, striato, hirsutóque, intus concauo: quem ambiunt multa folia, ampla, lacteo succo plena, aliquot profundis laciniis vtrinquè diuisa, per extremum mucronata, & latiore pediculo caulem amplectentia, atq. nonnihil in ambitu dentata, subtus aliquantulum incana: plurimos in summo caule flores profert purpurascentibus & hirsutis pediculis inhærentes, vicenis foliis constantes, Sonchi læuis vulgaris floribus nõ dissimiles, sed colore cæruleo elegantissimo, qui per maturitatē in pappos cum semine exiguo cinereo euanescunt: radix pollicari crassitudine, oblonga, non in profundum acta, sed obliqua, candicans, dura, & veluti internodiis distincta, multasq; circumquaque fibras crassas agens, viuax, & singulis annis nouos ex latere caules proferens.*

Copiose nascitur in Durrenstain locis vmbrosis, in Etschero, pauloq; supra Gamingam, item in Sneberg & Snealben, apud [illegible] *& pumilū pinastrum. Floret istic & Iulio & Augusto, quo mense etiam semen perficit. In hortos translatus, maturius multo, imo interdum mense Iulio denuo floret.*

II. Sonchus læuis purpur. flore.

Non *multo minores profert Alter interdum caules, graciliores tamen, neque striatos aut hirsutos, aut intus vacuos, sed plenos & firmos, satis tamē fractu cōtumaces:*

Sonchus læuis flore cæruleo 1.







ces: hos ambiunt minora quã superioris folia, neque adeo laciniata, angustiora præterea, in medio latiuscula, deinde sensim in mucronem desinentia, & in ambitu denticulata, succo lacteo prægnãtia, gustu amaro: in summis pluribus alis exeunt tenues firmique ramuli, quaternos aut quinos ferentes in oblõgis calyculis flores, quibus foliolis per extremum laciniatis constantes, colore purpureo, aliquot intus staminulis, qui deinde in pappos cum suo semine abeunt: radix fibrosa, perennis, altera minor, nouos cauliculos singulis annis proferens.

Crescit cum superiore paulo supra Gaminguen copiosissimè: crescit & alibi, sed minor, velut in Pannonia & Hercynia silua. Floret plerumque Iulio, aut paulo maturius interdum.

III. Sonchus læuis altissimus HVMANAM altitudinem superat Tertius caule pollicari crassitie, firmo, striato, leui, nec ullis spinis aspero, quem frequentia folia quatuor aut binis interdum laciniis æqualiter respondentibus diuisa, lata basi & utrinque appendices habente amplectuntur (de iis loquor quæ in infimo & medio caule sunt, suprema enim nullas lacinias habent) omnia spinis in dorso carentia, dura tamen & in ambitu creberrimis & asperis denticulis serrata, superne viridia, inferne subcinerea, lacteo succo plena: supremus caulis hirsutus est, & in aliquot ramulos diuiditur, qui flores æqualiter & quasi umbellarum ritu nascentes sustinent, non magnos quidem pro stirpis tanta amplitudine, sed Sonchi leuis flore cæruleo vel Hieracii floribus pares, similiter e calyculo hirsuto prodeuntes, multis luteis & per extremum incisis fistulis discum siue orbem ambientibus constantes, & numerosis in medio staminibus aureis, qui deinde maturi in cãdidam lanuginem resoluuntur, in qua latet semen primi generis semini simile, striatum, cinereum,

reum, quod cum sua lanugine à vento rapitur: radix crassa, candicans, fibris donata, singulis annis nouos stolones proferens, & ad latera adnatis se propagans.

Inuenitur in paludosis salicetis & harundinetis iuxta piscinas, & stagnantes aquas, veluti supra Badam Austriæ, via qua itur Neuuelim, & supra Triebs Winckel pagum. Floret Iulio.

De Cirsio pannonico.

CAP. IIII.

NON *minus varia inueniuntur Cirsij genera, quorum (quæ ab aliis minime descripta comperiemus) historiam hoc capite pertexemus.*

QVINA *aut sena statim a radice promit folia circiter tres uncias longa, vnam lata, sensim in mucronem desinentia, latiore vero basi, subhirsuta, et crebris spinulis per circumferentiam prædita, colore vario: ex eorum medio caulis emicat pedalis, aut cubitalis, tenuis, firmus, lanugine quadam obsitus (per quem sparsa sunt folia superioribus minora) vnicum in summo plerumque, nonnunquam alterum & tertium ferens caput multis squammulis imbricatim compactis, & nonnihil purpurascentibus atque acutis asperum, quod in stamineum florem expanditur reliquorum cirsiorum modo, colore purpureo: semen etiam illis simile: radix multis nigricantibus & duris fibris prædita est, eamque hirsutam vetustorum foliorum nerui & vestigia faciunt.* I. Cirsium pratense.

Nascitur inter arbores in declinibus montium supra Sopronium Pannoniæ vrbem, at montanis pratis quæ ad Danubium extenduntur maxime abundantius. Iunio floret, & subinde semen profert.

Non minus est elegans Cirsij genus, & haud dubiè proximè huic collocandum, cuius descriptionem & iconem

nem



nem mihi anno 1581. Londini communicauit C.V. Thomas Pennaus Londinensis medicus.

Planta est caule singulari, cubitali aut ampliore; folia per caulem alterna, longa, in ambitu spinulas, miniméque pungentes habentia, quorum supinæ partes virent, pronæ albicant, & cana lanugine obducuntur: in summo caule capitulum vnum carduorum modo, quasi ex squammis mucronatis compactum, florem sustinens satis magnum ex multis apicibus, colore ex rubro purpurascente ac tandem in pappum abeuntem: radix est nigricans, fibrata, quandoque per magnas fibras sese propagans. Floret Iulio & Augusto. II. Cirsium britannicum.

Prouenit in pratis ad radices montis Englebrew totius Angliæ celsissimi in Comitatu Eboracensi.

MVLTA *etiam profert Tertium folia, oblonga, Centaurij maioris nō laciniatis foliis propemodum similia, brassicæ colore & virore, satis carnosa, & in circuitu crebris aculeis prædita: è quorum medio caulis deinde emergit cubitalis aut amplior, striatus, quem alternatim ambiunt folia superioribus minora, lata basi eum amplectentia, & membraneas quasdam alas, ad proxima folia secundum caulis, cui adnatæ sunt, longitudinem producētia, quæ caussa est, vt caules quodammodo alati videātur: summus caulis in hispidum, multisque squammulis imbricatum caput desinunt, quod tandem in florem stamineum coloréq. purpureo rubentem explicatur, & nutat: in superioribus interdum alis nascuntur ramuli quadam lanugine obsiti, similes sustinentes flores, qui deinde in papposam lanuginem resoluuntur, semenque in ea reliquis simile occultant: radix minimi interdum digiti crassitudine aliquot fibris donata, perennis & singulis annis propagines è lateribus fundens.* III. Cirsium montanum.

Crescit





t 2

Crescit in Pannonia quibusdam siluis, & aliis ad alpes tendentibus, vt supra Posonium, Nemethwywar, Badensésque thermas. Floret Iunio.

Eius meminit Dodonæus in Appendice ad Purgantium historiam.

IIII. Cirsium mótan. II. VVLGARE *iisdem locis etiam est, quod in Belgicæ hortis ali memini, foliis aliquantulum laciniatis, & superiore paulo mollioribus, similibus ferè floribus, caule striato, & perenni etiam radice.*

V. Cirsium maximum incano folio, bulbosa radice. AD *Cirsij proculdubio genera referendum est id Cardui siue Spinæ mollë genus, quod in bicubitalem & maiorem interdum altitudinem excrescit, pollicari caule, striato, incana tomentaceáque lanugine obsito, foliáque habet superioribus maiora, carnosioráque, & succi plena, viridia, in ambitu dentata, mollibúsque spinis obsita: capita in summo caule summísque ramis maiora iam descriptis, quæ in stamineos purpureo colore nitentes flores expanduntur; iique deinde maturi in pappos resoluuntur: radix multis crassis fibris Asphodeli bulbis ferè similibus & oblongis firmatur.*

Nascitur in montanis pratis, atq. etiam ad piscinarum vdos margines, & inter salices amerinas et harundines. Floret Iulio.

Nardus montana Mompelliana. *Similem plantam, sed longè minorem in pratis agri Mompelliani olim eruere memini, quam tum nonnulli pro montana Nardo nobis obtrudere volebant.*

Κιρσίου *porrò nomine Græcis, Cirsij Latinis commodè nuncupari meo iudicio hæ stirpes possunt.*

An verò Cirsij veterum facultatibus respondeant, ignorare me fateor. Neque etiam Dioscorides *suo Cirsio vllas tribuit vires, nisi quas ex Andrea descripsit.*

NON *minus porrò vulgaris agro Viennensi, multisque*

tisque Pannoniæ locis est quàm in Zelandia, Flandriæ Hollandiæq; maritimis, Spina illa quam Clariß. Dodonæus inter Cirsij genera tertio loco recenset, magno, nutantéque, & spinoso admodum capite, quod in florem multis purpureis elegantissimisque staminibus constantem explicatur: floretq; cum reliquis Cirsij generibus Iunio, quibus etiam persimile semen habet. Id flore variare aliquando memini. Cirsium tertium Dodonæi.

De Cardvo molli.

CAP. V.

Cardvi *nomine has stirpes etiam appello, tametsi inter Acanacei generis plantas minimè recensendæ videantur, cùm nullo spinarum vallo munitæ sint: propter similitudinem tamē quam cum mollioribus quibusdam vulgaris notitiæ carduis habent, in eorū classem reieci.*

Primvs *multa secundum radicem folia habet, cum humi iacentia, tum surrecta, infernè cana mollique lanugine obsita, supernè virentia, admodum laciniata, & ad medium vsque neruum dissecta, Calcitrapæ mollioribus & tenellis foliis ferme similia, nullis tamen spinis horrentia, gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo: è quorum medio caulis vnus aut alter assurgit cubitalis aut amplior, teres, rotundus, striatus, purpurascens, & molli quadam lanugine obsitus: inferiora folia per caulem sparsa, sunt etiam laciniata, licet aliis minora, quæ vero supremum caulem vestiunt, oblonga sunt & angusta, & nullis laciniis diuisa, sed mucrone plerumque purpurascente: extremi caules in aliquot interdum ramos diuiduntur (magna tamen ex parte singulares sunt, vnicumq; sustinent caput) qui capitula sustinent ex multis tenuibus squammis imbricatim dispositis compacta & molliter echinata, quorum medium* 1. Carduus mollis laciniato folio.



occupat flos stamineus & hirsutus coloris purpurei, elegantissimi; flore flaccido & euanido succedit semen angulosum; radix digiti crassitudinem nonnunquã æquat, subfusca, longa, aliquot fibris donata.

Inuenitur tota illa catena montium, quæ à Calenberg & Danubio ad Alpes vsque extenditur, & deinde per Leytenberg, rursumq́ per Prellenberg & Hamburgerberg ad Danubium duobus supra Posonium miliaribus reflectitur. Floret autem Maio, semen perficit Junio & Julio.

PEDALI *assurgit alter caule, vtcumque crasso, striato, & nonnihil lanuginoso: folia illi circa radicem maiora, Lapatho ferè similia, aut illius plantæ potius foliis quam vulgo Totam bonam siue Bonum henricum cognominant, quæ pediculo adhærent latiora & veluti angulosa, extrema verò parte mucronata, in ambitu nonnihil sinuosa, & mollibus veluti aculeis obsita, supina parte virentia, prona verò omnino incana, foliorum albæ populi modo, & densa lanugine obsita, gustu primùm exsiccante, deinde amarinsculo, quæ verò caulem amplectuntur, minora sunt & angustiora; ex quorum sinu circa summum caulem ramuli exeunt, terna, quaterna, aut plura sustinentes capitula squammata, Cyani aut Iaceæ capitulis respondentia, quæ, dum expanduntur, florem promunt ex cæruleo purpurascentem, & semen deinde continent lanugine inuolutum cyano ferè simile, sed maius aliquantulum, candicans: radix nigra, aliquot tenuibus fibris donata, & dura, è lateribus propagines spargit.* II. Carduus mollis lapathi folio.

Hunc erui circa secundum Sneberg excelsi admodum montis iugum inter saxa nascentem cum Auricula vrsi lutea, & deinde in Etschero. Floret Iulio, & in horto repositus semen protulit Augusto, deinde

 periit.



periit. Vbi tamen ſponte naſcitur, viuax eſt: nam ſuperioris anni caules adhuc retinentem cùm floreret deprehendi.

HVMILIOR *hic eſt, neq; palmarum altitudinem excedit, caule ferè perinde craſſo quemadmodum ſuperior, multiſq; oblongis & anguſtis foliis exornato, ſupernè etiam virentibus, infernè verò incana lanugine veſtitis (non tamen adeò veluti ſuperioris) & quaſdam molles ſpinas per oras obtinentibus, ſapore etiam amaro et initio adſtringēte: ſummo cauli inſidet ſingulare capitulum, ſuperioribus maius, ſquammatum, ex quo flos multa lanugine ex cæruleo purpuraſcente pubeſcens exilit: ſemen obſeruare non potui: nam tametſi aliquot ſtirpes in horto magna diligentia excoluerim, ad frugem tamen non peruenerunt, ſed paulatim flacceſcentes omnino tandem contabuerunt & perierunt: radix nigra eſt, multiſq; nigricantibus fibris prædita, & ſubinde noua germina è lateribus producit.* III. Carduus mollis humilis & anguſtifol.

Creſcit in ſummis Snealben iugis cum Auricula quarta quæ flore eſt coloris carnei: floretque Iulio & Auguſto.

VIDETVR *Prior notus fuiſſe Geſnero, atque Benedicto Aretio, ex relatione Simleri ad calcem Commentarij de Alpibus, qui eum ſic deſcribit.*

Edeldiſtel, *Carduus inter carduos ſpecioſiſſimus, folia habet mollia, ab vna radice, per caulem rara, quæ referunt folia herbæ quam* Moſsblumen *nominamus; altitudine cubiti in altũ aſſurgit caulis: capita in ſummo ſunt ſingula, interdum bina, cærulea, quandoq; alba, interdum purpurea, color collucet mixtus viridi tum in capitibus, tum in ſupremis foliolis. Mollis eſt tota, & etiam ſpinis quas æmulatur, nam non pungunt. Radix ſubeſt longa & bifida.* Edeldiſtel Geſneri.



Istam florum varietatem in meo non obseruaui, sed toto illo quem dixi tractu, unius solummodo coloris fert florem, nempe purpureum elegantissimum.

CARDVI *etiam mollis genus elegans, praealtum & radice serpente videre memini in cultissimo horto C.V. Ioachimi Camerarij Noribergēsis medici: cuius descriptionem cum plerisque aliis summa diligentia obseruatis in studiosorum rei herbariae gratiam breui in lucem emissurum speramus.* Carduus mollis Camerarij.

MVLTIS *porro Pannoniae locis, praesertim verò ad Neuberg in Styria, & similium Alpium radices nascitur Eriocephalus ille carduus, vulgo Herbariorum satis notus, quem flore variare obseruaui: nam licet plerumque purpureus sit, interdum tamen etiam albus conspicitur.* Carduus eriocephalus. Eius varietas.

Eum qui est flore purpureo, sed longè humiliorem aliquoties eruere memini agro Salmanticensi in Hispaniis, cuius semen amicis in Belgicam misi cum hac inscriptione, fortè Corona fratrum, quoniam multis notis respondere conspiciebam ei plantae quam monachi in Mesuem commentatores sibi in Hispaniis obseruatam, Coronam fratrum appellassent, quod rami aequali altitudine nascentes, & suis capitibus eriophoris onusti, medium caput maiusculum summo cauli innatum, quodammodo in orbem cingerent, vt monachi suum abbatem aut priorem solent. Ex eo tempore Coronae fratrum nomen apud Belgicos herbarios hac spina obtinuit. Corona fratrum.

CRESCVNT *& iisdem locis, & aliis plerisque Pannoniae montibus Carlinae siue Chamaeleonis vulgo nuncupati bina genera. Vnum flore amplo, albo: quod nōnunquam in pedalem caulem assurgit, interdum verò prorsus est ἄκαυλον. Alterum etiam sine caule, minore ca-* Carlina maior. Carlina minor.

re ca-

re capite, purpurascente flore, & mollioribus magisque virentibus & angustioribus foliis.

De Eryngio pannonico.

Cap. VI.

Pecvliare *quoddam Eryngij genus alit Pannonia & Austria, prater vulgare singulis notum, & omnibus prouinciis frequens.*

Eryngium latifolium.

Id *autem bicubitalem aut ampliorem habet altitudinem, caulem firmum, striatum, medulla alba plenum, & veluti nodis distinctum, præsertim qua parte folia eum lata & mēbranacea sede amplectuntur, quæ sunt tres vncias aut amplius longa, duas lata, viridia, venosa, in ambitu serrata & aspera, subamaro calidiusculóque gustu: quæ verò secundum radicem sunt folia, oblongis pediculis innituntur, longioráque & latiora sunt: summus caulis in aliquot alas diuisus est, foliáque breuiora habet, in profundas lacinias diuisa, & mollibus spinis prædita: summæ deinde alæ in aliquot ramos desinunt ferentes echinata capitula sphærica ferè rotunditatis, in quibus multi cærulei flosculi albicantibus staminibus præditi, & sub capitulis nouem aut plura oblonga & aculeata foliola stellæ modo expansa: ipsa verò capitula cum summis ramulis supremáque caulis parte, interdum vetustate cæruleum omnino colorem contrahūt: radix in nouellis plantis digiti crassitiem & longitudinem æquat, aliquot fibris donata, foris subfuscà, intus alba, carnosa, satis dulci sapore est vt marini Eryngij radix, quæ vetustate multo amplior redditur, & in multas alias radices extuberat, singulis annis ex lateribus plures caules proferens.*

Inuenitur frequēs in pratis ad Danubium sitis cum

Aspa-



Asparago, & in hortis repositum feliciter prouenit. Floret Iunio & Iulio.

Eryngium planum Matthioli.

Simile planè in Silesiacis montibus sponte prouenire audio: nec huic fortè absimile est, quod Pena & Lobelius in aduersariis describunt. Idem verò prorsus est cum eo quod Matthiolus planum nuncupat, demõstratum illi primùm à C. V. Paulo Fabricio Medico & Cæsaris mathematico.

De Tithymalo Characia Pannonico.

Cap. VII.

Tithymalus characias pannonic.

Mvltos *ab vna radice profert caules, pedales, interdum etiam cubitales, firmos, laues, infima parte nonnihil purpurascentes, & foliorum quæ deciderunt vestigiis notatos: hos deinde ambiunt confuso ordine disposita folia crassiuscula, læuia, duarum interdum vnciarum longitudine, mucronata: summi caules in multas virgulas inter folia emergentes diuiduntur, quæ bina subrotunda foliola, & quasi vasculum siue labellum imitantia sustinent, in quibus flores reliquorum Tithymalorum floribus similes, qui cum suis virgulis & vasculis pallido subluteóue colore præditi sunt: succedunt triangula capitula semine plena: radix longa digitalis crassitudinis, infima parte in aliquot fibras diuisa. Maturo semine caules singulis annis emoriuntur: nouo autem vere alij è radice germinant, qui subsequente anno flores ferunt.*

Nascitur plerisque Pannoniæ locis: sed agro Viennensi tanta copia in gramineis & sicacioribus pascuis, vt Iunio mẽse (tum enim floret) omnino pallescere videantur. Tota planta lacteo succo turget, quemadmodum reliqua Tithymalorum genera.

De Sym-

DE SYMPHITO TVBEROSO.

CAP. VIII.

Symphitum tuberosa radice.

ANGVLOSVM & quodammodo pentagonum habet caulem, rarissimè pedalem altitudinem superãtem, succi plenum, per quem rariora quàm in Symphito maiore sparsa sunt folia, illisque minora, teneriora, & minus aspera, insipido fere gustu: flores in summis ramis pallidos, oblongos, Symphiti maioris floribus forma similes, concauos, extima parte in quinque crenas diuisos, quinque staminibus in medio flore veluti in vmbonem tendentibus, protuberante in medio stilo, nullo odore: calyculos deinde maioris Symphiti modo, in quibus semen Echij semini non dispar: radicem longam, teneram, minimi digiti crassitudine, exiguis fibris capillatam, & multis locis extuberantem: pediculi, calyces, caules angulosi, & folia hirsuta sunt.

Inuenitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ siluis vmbroso loco, præsertim verò sub fruticibus, atque etiam supra Drauum flumen in Greben sæpius memoratæ arcis montanis. Primùm innotuit Belgicæ incolis anno 1568. missa ab Alphonso Pancio Machliniam nobis planta.

Eius historiam & iconem minimè dedissem, nisi aut negligenter ab aliis descripta, aut non satis scitè expressa fuisset: tametsi & in hac exprimenda pictor oscitantiæ meritò accusari possit.

Symphitum



De Pvlmonaria.

Cap. ix.

Pvlmonaria *vulgo nuncupata, cuius folia candicantibus maculis insignita sunt, & flos niueo colore interdum variat, copiosè multis Pannoniæ & Austriæ siluis sponte nascitur, tum inter Krumpach & Gleissefeld, tum in Viennensis atque Leytani saltus variis locis. De ea, quandoquidem ab aliis descripta est, sermonem instituere non volo: sed de aliis duobus generibus, quæ ante quàm in hanc prouinciam venirem, mihi conspecta non fuere.* I. Pulmonaria maculis insignita.

Exilit *vnum primo vere, florúmq. thyrsúm fere ante folia promit, quæ sunt angusta & hirsuta, Buglossi siluestris, Echiive aut Anchusæ foliis non absimilia, molliora tamen, neq. tam aspera lanugine hirsuta, nullo pediculo prædita, sed medium caulem amplectentia, qui paulatim succrescens, angulosus & hispidus, interdum nonnihil purpurascens, in pedalem tandem altitudinem excrescit: flores in pentagonis calyculis, & in quinque lacinias diuisis, purpurascentibúsque & hirsutis, oblongi, concaui, floribus Buglossi hortensis, aut Pulmonariæ vulgaris forma similes, qui per oras in quinque orbiculares fere lacinias diuisi sunt, colore, ante quàm aperiantur, ex purpura rubente, deinde quando explicati sunt, cæruleo adeò eleganti, vt Gentianellæ vernæ floris venustatem si non superare, attamen æmulari videantur, odore nullo: ij maturi decidunt integri, quemadmodum Buglossi hortensis & similium flores, atque calyculum inanem cum stilo & quatuor seminum rudimento relinquunt, quod tandem maturum nigri coloris est, echij aut buglossi vulgaris semini respondens. Adnascuntur deinde secundum caulis pedem alia hirsuta folia, angusta,* II. Pulmonaria angustifolia cæruleo flore.







palmari aut ampliore longitudine echij aut anchusæ foliis latiora molliorâque, ex quorum medio (licet sicca sint) subsequente vere prodit caulis suis venustis floribus onustus: radix crassis carnosisq; fibris prædita est, vti Pulmonaria prima maculoso folio, initio candicantibus, & per vetustatē foris nigricantibus, sapore dulci.

Nascitur passim per Pannoniam & Austriam inferiorem in montanis & cæduis siluis, atque diutissimè floret.

INVENITVR *& quibusdam Pānoniæ locis Alia superiori ferè similis, nisi crassiore maioreq; caule, & latioribus foliis prædita esset, floresq; haberet, non vt illa cæruleos, sed pulcherrimè rubētes: alioqui & radice & temperamento conueniunt.* III. Pulmonaria rubro flore.

Huic omnino respondens cum forma tum amplitudine alia est, cuius flores primùm rubent, vt in priore Pulmonaria, deinde cærulei saturatioris coloris fiunt. 2. Eius varietas.

Crescunt hæ ad cæduarum siluarum margines, vmbrosis locis, atque eodem cum secunda tempore florent.

DE ANCHVSA FLORE EXALBIDO.

CAP. X.

NVMEROSA *sunt illi folia, palmari longitudine, angusta admodum, & pungente lanugine omnino hirsuta: è quorum medio caulis assurgit secundo anno pedalis, interdum etiam cubitalis, crassiusculus, firmus, hirsutus, multis alis brachiatus, in quibus breuiora multò folia atque etiam hispida: extremis ramis è vaginulis hirsutis & asperis flores prodeunt Symphiti maioris floribus quodammodo similes, albi, aut ex albo nonnihil pallescentes, in angulos quinque diuisi, quibus excussis semen in vaginulis conspicitur viperino capiti aut echij semini simile: radix minimi digiti crassitie, nigro* Anchusa exalbido flore

Anchuſa flore exalbido.



cortice obducta, quo ſublato omnino rubet, & elegantiſſimo colore inficit: adeò autem carnoſa eſt, vt radicum bugloſſi vulgaris modo condiri poſſit, dulcis tamen & inſipida.

Arido & ſalebroſo naſcitur ſolo in monte Badenſibus thermis imminente, & apud Carnutum Pannoniæ olim ampliſſimam vrbem, nunc vile oppidum Petronella vocatum, maxima copia, & pleriſque aliis Pannoniæ & Auſtriæ ſiccis & aridis locis. Floret Maio, & ſemen Iunio profert: deinde perire arbitror vt echij genera.

De Echio.

Cap. XI.

VARIA *præter vulgare, quod florem ſubcæruleum fert, agro Viennenſi & vicinis locis frequentiſſimum, & interdum etiam omnino album, ſunt hic Echij & elegantia genera.*

PRIMVM *pedalem habet caulem, ſtriatum, hirſutum, foliis echij aut bugloſſi ſilueſtris, molli lanugine hirſutis, & inæqualiter eum ambientibus præditum, ſuperiore parte in multas alas diuiſum, quæ deinde in breues ramulos ſeſe findentes, multis concauis floſculis extrema parte in quinque crenulas diuiſis, coloreque ex atro purpuraſcente præditis onuſta ſunt, qui è vaſculis molli etiam lanugine hirſutis, & inter folia latentibus prodeunt: ſemen vt in huiuſmodi generis plantis, viperino capiti ſimile: radix oblonga, minimi digiti craſſitudinem interdum æquat, foris fuſca pauciſque tenuibus fibris prædita eſt, capite, vnde caulis prodit, extuberante, & præcedentis anni caulis veſtigia ſeruante: præmanſis foliis, nullum initio manifeſtum ſaporem deprehendas: ſed poſtea nonnihil caloris habere videntur.* I.

Echium pullo flore.





Crescit multis locis Viennæ vicinis, atque etiam tota inferiore Austria & Pannoniæ parte ſiccioribus pratis & gramineis locis ad collium radices, atq. etiam in ipſis collibus nudis & tenui duntaxat graminè obſitis. Floret Maio.

II. Echium rubro flore. OBLONGA *habet Alterum & anguſta folia, hirſuta, humi ſtrata, vulgaris echij foliis ſimilia, paulo tamen latiora: caulē modò pedalē, modò cubitalē. firmum, ſtriatum, hirſutū, maculiſq. purpureis reſperſum, quem cōfuſo ordine multa ambiunt folia ſuperioribus breuiora & anguſtiora, non minus tamen hirſuta: ſummum caulem exornant multi breues ramuli in ſe veluti conuoluti, atque Scorpiuri in modum inflexi, pleni florum vulgari echio ſimilium, ſed colore rubro eleganti, qui proximè caulem primum aperiri incipiunt: excuſſo flore, ſemen in calyculis nigrum, capiti viperino ſimile vt in aliis echiis, ſed minus: radix ſatis longa, dura & lignoſa, nigro cortice tecta, ſummo capite multos interdum caules promens, ſed plerumque vnicum ſolummodo.*

Maxima copia ſiccis pratis ſupra & infra Sopronium Vngariæ vrbem, nec vſquam alibi hanc plantam obſeruaui Maio florentem, nunc intenſiore nunc dilutiore colore præditam.

De Cynoglosso pvmilo.

CAP. XII.

Cynogloſſum pumilum. INTRA *pedalem plerumque conſiſtit amplitudinem hæc planta, tametſi nonnunquam eam ſuperet, cauliculo ſingulari, tenui, firmo, rotundo, hirſuto, inferius purpuraſcente, ſupernè virente, per quem ſparſa ſunt inæquali ſitu foliola vncialia, anguſta, eminente dorſo, molli lanugine hirſuta, colore cinereo ferè, guſtu calidiuſculo: ſummi cauliculi in aliquot ramos diuidūtur,*







qui Scorpiuri modo cōtorti flosculos ex foliolorū opposito proferūt buglosso aut cynoglosso vulgari similes, sed lōgè minores, colore cæruleo: quibus succedūt quaterna simul iuncta atque in vmbonem protuberantia semina, cynoglossi vulgaris seminum instar, sed admodum exigua & echinata: radix oblonga, tenuis, raris fibris donata, quæ annum duntaxat superesse, & post semen perire solet.

Prouenit ad viarum & agrorum margines circa Viennam, in rudis & salebrosis iugis vrbi vicinis, & plerisq. aridis Pannoniæ locis ad agrorum etiam margines. Floret Maio & Iunio.

FREQVENS *etiā admodū est in siluula ad Lachn primo ab vrbe Vienna miliari, & Viēnensis saltus aliorumque montium vrbi vicinorum radices inter frutices Lithospermum illud maius vulgo nuncupatum, cuius sarmenta humi fusa subinde fibras agunt, & mirè se propagant.*

Lithospermū repens.

Nec minus frequens variis Pannoniæ & Austriæ locis aliud Lithospermi genus legitimum, semine candido, quo officinæ vtuntur.

Lithospermū legitimum.

S E D *et in quibusdā Pannoniæ pratis, veluti inter Posonium & Tuben vltra Danubium sponte nascitur Rubia satiua & legitima: in siluis verò, Asperula flore odorato, & in caduis Asperugines & Mollugines, quarum vna est quæ multis geniculis constat, foliáque habet ceteris molliora: hanc Rhizotomæ à geniculorū non modo frequentia, sed à facultatibus etiam* Glidkraut *cognominant: etenim eius decoctum ad fouendos & confirmandos artus admodum vtile esse ferunt.*

Rubia satiua.
Asperula odorata
Asperugo.
Mollugo.

D E T R A-

De TRACHELIO siue Rapunculo alpino.

CAP. XIII.

TRACHELII & Rapunculi varia his in regionibus nascũtur genera. Etenim nullæ sunt siluæ montosæ, quæ Tracheliũ illud foliis vrticæ subcæruleo flore non alant: sublimiora iuga vt Sneberg & similia etiam id quod albo flore variat: aliud præterea genus mollioribus foliis, & oblonga minorum florum spica anteriore parte spectantium, cuius radix alioqui crassa & edulis tenuibus fibris mirè serpit, & subinde nouas plantas generat, cuius rei causa rei herbariæ studiosis est exosa: illud item genus campanulæ quod Matthiolus Phyteuma esse credidit nunc cæruleo nunc albo flore varium: & Rapunculos vulgares, & alios alopecuroïdes omnibus propè siluis familiares, spica vel alba aut violacea spectabiles, Herbariis satis notos. At hoc capite duntaxat eas stirpes describemus quæ ab aliis nondum proditæ sunt. Trachelij maxima varietas.

PRIOR *dodrantalis est plantula, cauliculo striato, in plures ramulos diuiso, quorum singuli sustinent florem satis magnum, concauum, campanulæ modo efformatum, in quinque angulos desinentem, quemadmodum in vulgari Trachelio aut Cãpanula vulgo dicta, cinereo colore præditum: quibus succedunt capitula satis magna, trigona, deorsum spectantia, quæ continent semen vulgari trachelio simile, sed minus & exalbidũ: folia quæ per cauliculum sparsa sunt, latiuscula basi eum alis amplectuntur, & in oblongum mucronem desinunt: quæ verò summa tellure nascuntur, latiuscula sunt, & oblongiore pediculo prædita: radix pro plantæ exilitate satis magna, candicans, superiore parte in plura capita extuberans, & quibusdam fibris hirsuta. Tota planta lanugine pubescit, lacteóque succo abundat.* I. Trachelium pumilum alpinum.

Nascitur

Nascitur in Sneberg & vicinarum alpium iugis: florétque Iulio.

II. Trachelium θυρσοειδές. MVLTA *habet Altera folia angusta hirsutáque, Echij fere foliis similia: inter quæ oritur pedalis caulis, firmus, minimi interdum digiti crassitie, striatus, & multis angustis, oblongis, hirsutisque foliis septus: à cuius medio ad summum thyrsus, seu potius florum inter foliola latentium crassa spica pulcerrimo ordine disposita nascitur, Trachelij aut Rapunculi similium, sed minorum & pallescente colore, qui euanescentes in capitula transeunt, exile subflauúmque semen continentia: radix crassa est, digiti amplitudine, rugosa, candicans, & aliquot crassioribus fibris donata. Tota planta lacteo succo turget.*

Oritur in Sneberg & aliis vicinis iugis: obseruaui etiam in ascensu Neuberg ad siluulam quæ in editiore tumulo est supra monasterium.

Floret Iunio Iulióque.

III. Campanula minor alpina. ALVNT *etiam summa illa iuga, præsertim in rupibus & præcipitiis Campanulæ vel Rapunculi genus, cuius radicales fibræ admodum serpunt & vicina loca occupant, subinde germinantes & nouas stirpes procreantes: eæ initio orbiculata fere habent folia, deinde statim alia angusta confertim nascentia, Caryophyllei secundo loco supra descripti foliis adeò similia, vt incautos plerumque fallat, qui interdum cum suo cespite eruunt, Caryophyllaum collegisse existimantes. Emergit deinde ex horum medio gracilis cauliculus, in multos tenues ramulos diuisus, oblongioribus foliolis confusò ordine nascentibus septus, flosculos è singulis ramulis dependentes proferens campanulæ siue rapunculi vulgaris floribus forma similes nunc eleganti cæruleo colore præditos, nunc saturato purpuræ* Eius varietas.

colore

colore aut violaceo nitentes, modò dilutiore & quasi cinereo præditos, interdum etiam omnino niueos: capitula deinde Rapunculo vulgari similia, aut potius illi quæ cum in Belgica tum plerisque Germaniæ locis ad agrorum sub fruticibus, aut siluularum margines secundum profundiores vias in vmbra prouenit. Totum etiam lactescit. Floret Iulio, interdum etiam Augusto.

DE VMBELLIFERIS.

MAGNVS *etiam est in his Prouinciis Vmbelliferarum stirpium prouentus. Nam præter plerasq. quas cum aliis regionibus communes habet: peculiares quasdam collegi quas nusquam alibi cōspicere memini. Earum historiam proximè sequentibus aliquot capitibus quàm accuratissimè poterimus tradere conabimur, initium ab elegantissimo Seseli facientes.*

DE SESELI MONTANO.

CAP. XIIII.

TRIA *igitur hoc capite describemus Seseli genera planè inter se differentia: quorum*

PRIMVM *ampla habet folia per terram sparsa, & in multas alas diuisa, Seseli Peloponēsi fere similia, supernè virentia & splendentia, prona parte minimè, ferulæ odore, acri sapore & non admodum grato: caulem deinde sesquicubitalē aut ampliorē, crassum, striatum, intus fungosum, nodosum, & multos ramos in circuitu ex singulis nodis siue geniculis ferentem, per quem sparsa sunt folia superioribus respondentia, sed minora: extremi rami in magnas vmbellas desinunt flosculorum quinque foliolis candidis constantium odore fere sambuci: flori succedit semen gemellum, striatum, flauescens, aromatico & feruido gustu: radix crassa & foris nigra* I. Seseli alpinū.



est, quæ, vt in plerisque ferulaceis, post quam planta semen tulit, perit, nec nisi altero aut tertio à satu anno flores producere solet.

Crescit in celsis Sneberg & aliarum vicinarum Alpium iugis, vbi latiora sunt pascua: floretq; sub Iunij finem aut Iulio, semen verò Augusto, & etiam serius interdum maturescit.

BRACHIALI *interdum hoc nititur radice, præsertim si planta vetusta sit (recentiores & iuniores pollicarem habent) aliquot ramis inferiore parte donata, crasso, rugoso, nigroq; cortice septa, gummoso primū, acri deinde & saliuam ciente: ea superiore parte in multa capita extuberat hirsuta & villosa, quemadmodū fere omnes ferulacei generis stirpes, vnde exeunt magnæ & satis amplæ foliorum alæ, aliquot foliis per ambitum serratis & nonnihil incisis vni costæ inhærentibus & inter se oppositis constantes, colore supina parte dilutius virente & aliquantulum splendente, prona subcinereo præditis: inter quæ sesquicubitalis interdū emergit caulis striatus, pollicari nonnunquam crassitudine, geniculatus, in aliquot ramos diuisus, quē ambiunt per singula genicula minores foliorū alæ, summum caulem atq. extremos ramos exornant vmbellæ pallescentium flosculorum, quibus succedit semen Sileri montano simile.* II. Sefeli montanum latifolium.

Inuenitur fere in omnibus Pannoniæ & Austriæ inferioris montibus, solo aspero & petroso ventisq. perflato. Iulio & Augusto floret, & subinde semen profert. Simile aliquando legere memini ad Allobrogicarum alpium radices.

TERTIO *multæ sunt foliorum alæ, Fœniculi fere modo in multa tenuia folia illius foliis non multo crassiora attamen breuiora diuisæ, virides admodum, mucrone omnium foliorum candido & duro, gustu calido:* III. Sefeli montanum angustifolium.



inter quas enaſcuntur caules cubitales aut ampliores, minimi digiti craſſitie, ſtriati, geniculati, in aliquot ramos diuiſi, quos ſecundũ nodos alia minores amplectuntur foliorum alæ: flores extremo caule & ſummis ramis vmbellatim naſcuntur albi: deinde ſemina gemina coniuncta, vt in omnibus vmbelliferis, ſtriata, Angelicæ ſemini haud multum abſimilia, guſtu feruido: radix multis craſſis & oblongis fibris obliquè & latè ſparſis conſtat, quæ ſingulis annis ſummo capite nouas propagines ad latera facit.

Naſcitur in pleriſque iſtarum Prouinciarum montanis pratis: atque Iulio floret.

INTER σεσέλεως *Seſeli genera poſſe referri has ſtirpes omnino exiſtimo. Prima quidem proximè accedere videtur ad illud quod Dioſcorides Peloponenſe appellat & tertio loco deſcribit. Altera plurimum habet ſimilitudinis cum Libanotide altera Fuchſij, ſiue Dauco ſecundo Matthioli:* S. Peters wurtzel *quidam ruſtici vocant, tametſi aliam vmbelliferam ſtirpem etiam hoc nomine & frequentius donẽt. Tertiam (quæ Maſſilienſis Seſeli picturam apud Matthiolum aliquantulum refert) nõnulli fortaſſe alteram Libanotidem Dioſcoridis fructiferam potius eſſe contendant, à qua ſanè non multum differre videtur. Ea, quemadmodum nec prima, nullum, quod equidẽ ſciam, vulgare nomẽ obtinuit.*

SESELI *porro æthiopicum Matthiolo nuncupatum vberrimè naſcitur per omnes Pannoniæ & Auſtriæ ſiluas, vbi folia in tantam amplitudinem interdum euadunt, ut palmum æquare poſſint: habent verò magna ex parte ſingulæ foliorum alæ quina duntaxat folia, vno extremam alam occupante, per ambitum ſerrata, supernè atrouirentia, infernè ſubcinerei quodammodo* Seſeli æthiopicum Matthioli.

coloris: caulis cubitalis est aut amplior, geniculis interceptus, & superiore parte in aliquot ramulos diuisus sustinentes exalbescentium flosculorum vmbellas, qui in oblongiusculum & angulosum semen transeunt, cuminum aut Siler montanum odore & gustu referens: radix pollicari aut ampliore crassitudine, in aliquot crassiores fibras diuisa, crasso cortice tecta, gustu initio dulci, deinde amaricante, supremo capite hirsuta (veterum foliorum quæ perierunt fibris eam hirsutum facientibus) perennis.

Seseli æthiopicum aliud.

Verùm huius Seseli aliud præterea genus est, in his Prouinciis satis vulgare: quod nusquam tamen abundantius inueniatur quàm in Calenberg. Maiores id habet foliorum alas, hoc est, in plura folia, nempe vicena bina plerumque superioribus magnitudine longè cedentia diuisas, quæ supernè splendentia minus virent, & prona parte cinerei planè coloris sunt, omnia in ambitu non modò vt superiora serrata, sed etiam laciniis dissecta: æqualem cum superiore habet etiam caulem, nodis similiter interceptum, florum vmbellas similes, semen par, & radicem non dissimilem.

Hoc Germani Schwartz hirtzwurtz, *hoc est nigram ceruariam, illud* Weyss hirtzwurtz, *id est, albam ceruariam appellant. Sunt qui inter Libanotidis genera recensent. Floret vtrumq; Iunio interdum etiam serius, semen maturum est Augusto.*

Siler montanum.

FREQVENS *etiam est in his montibus Siler: at nusquam abundantius crescere memini quàm in eo qui Badensibus thermis imminet. Vbi, & in aliis vicinis collibus, atque vrbi Viennæ proximis vulgare etiam est*

Oreoselinum.

Oreoselinum.

Archangelica.

ARCHANGELICA *autem à nonnullis appellata, amplioribus quàm Angelica foliorũ alis, et dum tenera*



nera adhuc sunt subpurpureis, caule humanam altitudinem superante, brachiali aut ampliore crassitie, frequentissima est in montibus Grebén arci vltra Drauum vicinis: solet ea quemadmodum & Angelica perducto ad maturitatem semine perire, atque illo in terram sponte recepto renasci.

De Pevcedano pannonico.

Cap. XV.

Peucedanum pannonic.

RADICEM *habet pollicari plerumque crassitie, interdum minorem, nonnunquam etiam maiorem, longam, crasso cortice modò candicante, modò nigricante tectam, sapore primùm Pastinacæ, deinde nõnihil acrimoniæ referente, transuersis & obliquis aliquot crassioribus fibris donatam, superiore parte hirsutam: ex qua quinque vel plura exeunt folia Peucedano vulgari & legitimo ferè similia, sed minora & breuiora; colore ex viridi cæruleo, non vt illa nigricante, subamaro sapore, & nihil singularis referente odore: inter ea caulis assurgit cubitalis, rotundus, gracilis, in multos ramos diuisus, in quibus vmbellæ candidorum florum: semen Selini ferè, breue crassiusculumque, geminum vt in omnibus vmbelliferis, colore cinereo, sapore aliquantulum amaro & acri.*

Prouenit multis Vngariæ & Austriæ inferioris locis montium accliuibus petroso & salebroso solo, vbi Iunio floret: at in Alpibus (vbi etiam nascitur) Iulio & Augusto, & subinde semen profert.

NON *multum differre videtur à Saxifraga secunda Matthioli.*

De Sa-

De Saxifraga pannonica.

Cap. XVI.

Mvlto minor superiore est Saxifraga, & brevioribus foliis fumariæ foliorum fere æmulis sapore & odore superiori quodammodo similibus, paulo tamen acrioribus: inter quæ cauliculi exeunt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis foliis exornati, suprema parte candidorum flosculorum umbellam sustinẽtes: radix eius superiori haud est absimilis, sed brevior, acrior, salivamque ciens, multa hirsuta capita superiore parte producens, unde caules & folia emergunt. Saxifrara multifido folio.

Invenitur iisdem locis quibus superior, præsertim verò in aperto & glabro monte qui medium quasi spacium inter Hamburgum & Altenburgum Vngariæ urbes occupat, etiam è mediis saxis plerumque erumpens. Invenitur & colliculo iuxta Zimmerin itinere ad Phasianorum, iuxta Lachn, & plerisque locis circa Viennam. Floret Iulio.

Ceterùm vulgaris admodum est per omnes has Provincias Saxifraga vulgaris, à Germanis Pimpinella nuncupata, cum minor, tum maior, atque utriusque variæ inveniuntur differentiæ foliorum forma inter se discrepãtes præsertim in minore, quæ interdum folia singula laciniata habet aut angustioribus & oblongis incisuris divisa. In maiore autem tametsi magna ex parte foliorum forma non variet, nisi quòd unum genus atrovirentia ea obtineat & splendentia (omnia enim in ambitu serrata sunt & per ulas ordine disposita) alia minimè: invenitur tamen cuius folia in lacinias sunt divisa: præterea in Etschero cuius flores eleganter ex purpura rubescunt, cùm reliquorum sint candidi. Saxifraga sive Pimpinella germanica. Eius varietas





Pimpinella siue Sanguisorba.

NEC *minus est frequens cum in pratis tum siccioribus harum Prouinciarum locis Pimpinella Italorum & Gallorum, quam Germani Sanguisorbam vocant, maior & minor.*

Vlmaria.

ALVNT *etiam prata & torrentium ripæ Vlmariam foliis & temperamento Pimpinellæ maiori Italicæ quodammodo respondente, atq; etiam odore: & montanæ siluæ Barbam caprinam Fuchsij & Tragi, ab Vlmaria diuersam.*

Barba caprina.

DE DAVCO MONTANO.

CAP. XVII.

Daucus montanus.

ELEGANS *profectò est hoc Dauci genus in Alpium huius Prouinciæ sublimibus pratis nascens, cui quinæ aut senæ ex radice prodeunt tenuiorum foliorum alæ Seseli pratẽsis (quod abunde in totius inferioris Austriæ pratis nascitur) alatis foliis ferè similes, sed multo minores, neq. palmi amplitudinem excedentes, sed proximè ad Acus pastoris vulgaris folia accedentes, admodum virides: inter quas prodit caulis pedalis, nudus, striatus, satis gracilis, qui in summo binas aut ternas sustinet paruas & bene confertas vmbellas flosculorum ex rubro dilutè purpurascentium, siue carnei coloris, quinque foliis cõstantium, quos excipiunt Selini hortensis æqualia semina: radix digitalis longitudinis cortice foris nigricãte, rugoso, & multis tenuibus fibris prædita.*

Tota planta Daucum vulgarem quodammodo redolet, & illius saporem etiam refert.

Floret Iunio, in hortis etiam Maio.

Daucus creticus.

AT *legitimus Daucus Creticus appellatus in Durrenstain frequens: Etscherus tamen magis illo abundat: nascitur istic inter saxa tenui solo aspersa, vt difficulter*

eius integra radix erui possit, cinerei coloris folio, et viribus cum eo quod in Creta insula prouenit proculdubio conferendum.

VVLGARIS *antem Daucus passim in omnibus his Prouinciis crescit, & in officinarum vsu est. Quemadmodū & Carum, quo praesertim sicciora Ungariae prata abundant, & magnam seminis copiam in quotidianum vsum singulis annis suppeditant.* Daucus vulgaris. Carum.

Alpium verò iuga Meum vulgare tenui folio alunt: sed nullibi gentium frequentius obseruare memini quàm in Durrenstain. Meum vulgare.

De SELINO montano pumilo.

CAP. XVIII.

STATIM *à radice aliquot spargit folia fœniculo aut peucedano similia, sed longè minora, & rarò pluribus quàm quindenis foliolis constantia, è quorum medio dodrantalē crassumq́; fert caulem, multis tamen alis concauum, sub quibus aliae foliorum alae minores, nouenisq́; tantùm foliolis constantes, lata basi caulem amplectuntur, pastinacae siue staphilini gustu & odore: singuli ramuli exiguorum florum quinq. candidis foliolis constantium cum totidem staminulis & inodoratorum vmbellulis sunt onusti: quibus succedit semen selini fere: radix superiore parte crassa, multisque villis (qui foliorum superioris anni fibrae sunt) hirsuta, breuis, quasiq́; in orbem conuoluta, interius fungosa & candida, exterius nigricans & rugosa, inferiore parte plerumque bifida, & in raras fibras desinens.* Selinū montan. pumilū.

Inuenitur quibusdā siccorū desertorumq́;, virētium tamē, agrorū marginibus, & in nudis gramineisq. montibus

tibus



tibus inferioris Austriæ & Pannoniæ: floretque Maij initio. Biennalem esse existimo vti pleraq; vmbellifera, statimque prolato semine perire.

DE CICVTARIA PANNONICA.

CAP. XIX.

QVINA *senáue aut plura promit à radice ramosa folia vti Petroselinũ vulgare, minora tamen & tenuius incisa, multum ad Bulbocastani vulgo vocati folia accedentia, sapore aliquantulũ acri: caulis inter ea emergit pedalis ferme, interdum etiam cubitalis, circa nodos crassior, vmbellam ferens candidorum flosculorum, & semen deinde oblongum Chærefolij vulgaris fere modo: radix tuberosa Bulbocastani ferme æmula, at Aristolochiæ rotundæ albicante flore siue secundæ instar rotunda & aliquantulum turbinata, intus candida, sapore & odore Pastinacæ siue Elaphobosci propemodum, cortice nigro tecta, quæ succrescente caule instar napi longior fit, & magis turbinata, flaccida, & rugosa euadit, atque tandem maturo semine perit, è semine tamen deciduo sponte singulis annis renascens.* Cicutaria pannonica.

Nouo vere in hortis & herbidis locis Viennensis agri prodit, quo tempore eius radices quæ firmiores sunt cum tenellis suis foliis in foro Viennensi venales reperiuntur, coquuntur enim & cum oleo, aceto, & sale primis mensis istic vulgo inferuntur, quàm salubri cibo, nescio. Floret Aprili & Maio, Iunio semen plenam maturitatem consequitur.

QVO *nomine istam plantam donarem, magis proprium mea quidem opinione non succurrit quàm Cicutaria: vulgus* peperlin *appellat.*



DE FILICE PVMILA SAXATILI.

CAP. XX.

FOLIORVM *quædam ſimilitudo & diuiſura facit vt elegans hoc Filicis genus Vmbelliferis ſtirpibus ſubiungam: id autem in marem & feminam diſtinguemus, Theophraſti ſententiam libr. 9. cap. 20. Hiſt. plant. ſequentes.*

I. Filix pumila mas.

MAS *igitur radice ſerpit nigra, tenui, oblonga, in obliquum ſeſe ſpargente, raris fibris tenuibus & duris capillata; admodum adſtringentis ſaporis: ex qua prodeunt multi pedales cauliculi diuiſi in aliquot alatorum foliorum ramos, filicis maris maioris ſiue feminæ vulgo Herbariorum creditæ modo, multò tamen minorum, tenuiúſque inciſorum & admodum tenellorum, prona parte multis plerumque nigris maculis quemadmodum in femina diſtinctorum.*

II. Filix pumila femina.

FEMINA *quinos aut ſenos habet cauliculos teretes, rectos, initio virides, deinde temporis ſucceſſu omnino nigricantes, palmares. à medio vnicam foliorum inſectorum alam vnico ad ſummum vſque artu porrectam ſuſtinentes, eadem qua in mare vulgari forma & facie, multo verò minorum tenuiorumque, ſapore nonnihil adſtringente, prona etiam parte multis nigris maculis (quæ deinde efflorefcere videntur) aſperſorum: radix veluti in caput coacta, quemadmodum in mare vulgari, & multis nigris duriſque fibris capillata eſt.*

Prior copioſiſſimè naſcitur in ſaxis non modò ad Gamingam & Neuberg, ſed ad omnium fere montium radices. Altera verò in montibus præruptis inter ipſa ſaxa inuenitur, ſed non adeò frequenter.

FILICVLÆ *porro elegans illud genus quod à Do-* Lonchitis altera Marathæ



Eiss. Marantha Lonchitis altera nuncupatur, frequens admodum nascitur in Styriacarum alpium iugis. Sed quæ vulgo Lonchitidis alterius nomen obtinuit, raro admodum in his iugis inuenitur, licet per vniuersam Germaniam sit frequentissima. Lonchitis altera Neoteric.

De Alectorolopho alpino.

Cap. XXI.

HANC *plantam filicibus subnectere voluimus propter foliorum quandam similitudinem. Eius autē plura genera in Alpium iugis montanísque pratis inueniuntur.*

VNVM *etenim plures ab vna radice promit cubitales caules minimi fere digiti interdum crassitie, læues, per quos sparsæ sunt foliorum alæ Filipendulæ foliis non admodum dissimiles: flores in summis caulibus copiosi, oblongæ spicæ instar, quemadmodum in Orchidibus confertim nascentes, & illarum floribus persimiles e calyculis pentagonis inter minutiora folia prodeuntes colore exalbido; quibus succedunt mucronata capitula maturitate dehiscentia, semenq́, ostendentia exiguum, inæquale, cinerei coloris: radix crassiuscula est, & perennis, in crassas fibras asphodelinis similes diuisa.* I. Alectorolophus alpinus maior.

INVENITVR & *aliud genus per omnia illi fere simile, cuius flores modò pallidi, modò purpurei sunt: radix etiam crassior & fibras Asparagi radicibus similes agens.* II. Eius varietas.

Vtrumque genus in summis alpibus Durrenstain, Etscher, aliisque celsis & herbosis iugis nascitur: posterius etiam in inferioribus vliginosisq́ pratis. Memini & in Flandriæ pratis atque non procul Gentilly Parisiensi agro obseruare.

TERTIVM *in iisdem etiam iugis crescit longè hu-* III. Alectorolophus alpinus minor.





milius, neque palmarem altitudinem superans, cuius cauliculi graciles, & raris minoribúsq. foliis obsiti sunt, florum spica breuior & eleganti rubro purpurascente colore nitens, calyculi flores continentes laciniati, et veluti foliati: maiora capitula quàm in superioribus, & veluti rostrata, quæ angulosum etiam & inæquale semen continent: radix minimi digiti crassitiem interdum æquat, fibrísq. candicantibus & satis crassis donata est.

2. Eius varietas. *Illius genus est tenerior alia planta cauliculis angulosis, & lanugine quemadmodũ folia (quæ minora sunt) calyculique (qui breuiores & minores) pubescentibus: flores simili purpura ferè nitent, sed minores & humiliore galea præditi sunt: capitula vix è calyculis emergunt: & radix non adeò fibrosa est.*

Eam in locis gramineis pratísque siccioribus Germaniæ superioris & inferioris sæpius obseruare memini florentem Maio, cùm Iulio hîc floreat: Sed & anno superiore, videlicet 1581. Aprili florentem, atque vel purpureo, vel carnei coloris, vel candido flore variantem collegi ad Groutz prædium C. V. Richardi Garth.

Fistularia. V V L G O *hæc vocatur à nonnullis Fistularia. Priorem describere videntur Pena & Lobelius in Aduersariis Filipendulæ nomine. Forsitan, & illa erit cuius Iosias Simlerus ad calcem Cõmentarij de Alpibus meminit his verbis:*

Herba foliis Aspleno persimilis, cauliculis ab vna radice quinque vel sex, duos ferè palmos longis, & spicam florum sustinentibus, vt orchis ferè.

Filipendula vulgaris. A T *Filipendula vulgaris frequentissima est his in Prouinciis, cum in omnibus gramineis campis, tum cæduarum siluarum marginibus.*

Inueniun-

Inueniuntur etiam & varia Oenanthes genera cum ficcioribus gramineis locis, tum vdis pratis. Oenanthes varia genera.

De MYRIOPHYLLO aquatico minore.

CAP. XXII.

I. Myriophyll. aquatic.

VVLGARE *admodum est in Pannonia & Austria vicinarumq; Prouinciarum minoribus fluuiis qui versandarum molarum causa retinentur Millefolium illud aquaticum à Neotericis descriptum, flore albo.*

II. Myriophyllum aquaticum minus.

AT *in lacunis secundum riuos sitis nec profundis aliud elegans Myriophylli genus inuenitur exiguum, latè se fundentibus sarmentis praditum, qua rotunda, viridia, frequentibusque nodis intercepta sunt, è quibus tenuia filamenta spargit quibus telluri inhæret: superior sarmentorum pars dodrantem aut palmum supra aquas eminet, quam ad singulos nodos quinæ tenuium paruisque foliolis præditorum foliorum alæ ambiunt, vix vnciam longa, virides admodum, quæ sensim circa sarmentorum summitatem minuūtur, sic vt in pyramidalem formam sarmenta desinant: summa sarmenta totidem flosculos quot foliorum alas in singulis nodis ferunt, pusillos admodum, octonis candidis foliolis simul iunctis neque sese explicantibus præditos, qui deinde in quædam tubercula quatuor radiolos in capite habentia transeunt.*

Flore & semine onusta hæc planta conspicitur mense Iunio.




De TRIBVLO aquatico minore.

CAP. XXIII.

BICVBITALIA, *tricubitaliáque aut longiora, pro aquæ altitudine ex radice profert ſarmenta, tenuia, punicantia, plana, nodoſa, & dum exſiccata ſunt fractu contumacia, quæ circa ſummum in plures diuiduntur ramos, alternatim ferentes in ſingulis nodis ſingularia folia, duarum interdum vnciarum longitudine, & ſemunciali latitudine, tenuia & quaſi tranſparentia, in ambitu adeò criſpa & ſinuoſa, vt laciniata videantur, colore ex viridi punicante: pediculi, qui exiguos candicantes floſculos vuæq; in morem congeſtos ſuſtinent, oblongi craſſiuſculique ſunt & inter folia exoriuntur, quæ bina ſemper inter ſe oppoſita cõtrario quàm reliqua inferiora modo naſcuntur: ſingulis plerumque floſculis ſuccedunt quaterna aculeata grana ſimul cohærentia paucam candidam medullam continentia: ſarmenta infima parte in ſingulis nodis oblongas tenueſque & candicantes fibras agunt quibus firmatur. Tota planta aquis mergitur.* Tribulus aquaticus minor.

Primùm in ſtagnis apud Nemethwywar maxima copia inter Tribulum aquaticum maiorem fructu eduli & Nymphæam flore albo naſcentem atque Iunij initio florentem & ſemine prægnantem obſeruaui anno 1580. maturius tamen florere exiſtimo, cùm omnes ferme plantæ ſemine abundarẽt: deinde eodem menſe in foſſis vrbis Viennenſis ad portam quæ vulgo Stubenthorn *nuncupatur.*

*Similem fere plãtam eodem menſe vidi apud Eberſtorf Mag*ci *Dn. Hieronymi Beck arcem in lacunis ſecundum riuos naſcentem, ſarmentis non planis ſed rotundis, eodem tamen modo geniculatis, bina ſemper in-* 2. Eius varietas.





ter se opposita foliola ad singula genicula ferentem superioribus breuiora, mucronata, & minimè in ambitu crispa vel sinuosa: flosculos deinde ternos aut quaternos, pusillos, Muscatellæ Cordi flosculis persimiles, tenui breuiq; pediculo insidentes: semen non obseruaui: serpit hæc, & ad ramulorum nodos & alas plerumque fibras agit.

De Typha *media.

CAP. XXIIII.


Typha media. COPIOSE *nascitur palustri quadam fossa apud Tyburn sacellum, non procul ab eo loco in quo sepeliuntur quibus ob maleficia laqueo gula fracta est, primo ab vrbe Londinensi lapide qua spectat occidentem, Typhæ quoddam genus medium multo angustioribus quàm in Typha vulgari foliis, & graciliore claua, maiore tamen quàm minima illa Typha quam D. Pennæus inter siccas stirpes ostendit, & Pena atque Lobelius in Aduersariis expresserunt: alioqui à maiore non differt pullo illo tomento in clauam compacto, & florum oblonga spica tenui flauo polline respersa supra clauam enascente. Floret Iunio.*

De Gramine montano spicato.

CAP. XXV.

VARIA *in harum Prouinciarum alpibus & montanis nascuntur graminis genera: sed de duobus duntaxat hoc capite agere constituimus.*

1\. Gramẽ mon-tan. spicatum. MVLTIS *Primum capitibus ex radice digitali bifidaque interdum & trifida, multisq; tenuibus fibris suprema parte hirsuta prodeuntibus constat, quorũ singula proferunt sena aut plura oblonga, crassa & nonnihil carinata folia Caryophyllei illius quem vulgo Gramen ma-*





men marinum maius cognominant foliis admodum similia, infima sede sese mutuò amplectentia, gustu amariusculo & calidiusculo: ex horum medio dodrantalis, nonnunquam & pedalis exit cauliculus, firmus, læuis, nudus & enodis, qui in summo multos flosculos spicæ instar congestos herbaceoq́; colore præditos profert.

Inuenitur in montanis quibusdam pratis, duobus supra Badenses thermas miliaribus. Similem autem in Flandriæ maritimis frequenter legere memini, quam vulgus, ni memoria labitur, Suden appellabat.

ELEGANS *verò est Alterum, nec antè mihi conspectum, cubitalibus culmis constans, tenuibus, geniculatis, qui palmaribus angustisq́; foliis septi, summa sui parte desinunt in tenuem oblongamq́; spicam, quæ in lanuginosis glumis grana nudæ auenæ similima fert: radix tenuis est, multisque fibris oblongis firmata, singulis annis anterius serpens vti Spartum & Iunci.* II. Gramen montan. auenæ femine.

Nascitur secundum vias in montanis vmbrosisq́; siluis Pannoniæ, Austriæ & Bohemiæ; & semen Iulio maturum est.

DE SPARTO AVSTRIACO.

CAP. XXVI.

PEDALIS *longitudinis folia habet, gracilia, viridia, numerosa, quæ tandem coëunt, & iunci modo læuia rotundaq́; fiunt, quemadmodum Sparti Hispanici folia, quibus non multum absimilia sunt, sed minora & graciliora: inter ea culmi exeunt graciles, foliis haud lōgiores, qui spicam ferunt constantē tribus aut quatuor oblongis granis oblonga contortaq́; caudâ insignitis, quæ tandem in dodrantalem atque pedalem interdum plumulam, tenuioribus alarum Manucodiatæ siue auis paradisi vulgo nuncupatæ plumulis ferme respondentem* Spartum austriacum.



tem definit: radix ſubeſt è multis capillamentis gramineis fibriſque compoſita, Hiſpanici ſparti modo.

Abunde prouenit in monte Badenſibus thermis imminenti, totáq; illa catena montium qui inde ad Danubium vſque excurrunt, ad ſiluulam præterea Lachen, aliiſq; apertis & gramineis locis: ſed omnium vberrimè in viuario illo Neapoli auſtriacæ vrbi contiguo. Semen maturũ Iunio à leniſſimo vento excutitur, atque ſtatim vbi decidit etiã per gramina irrepit, & terra ſe condit.

DE LEGVMINIBVS.

SVPEREST *vt pro noſtrarum Obſeruationum coronide, Legumina atque illis congeneres ſtirpes deſcribamus.*

DE PHASEOLO.
CAP. XXVII.

PHASEOLI *vulgo appellati multa inueniuntur genera, ſarmentis lentis & obſequentibus, foliorúmve forma, & reliquo naſcendi modo non equidem inter ſe diſcrepantia: ſed quorum flores, licet forma ſimiles, & Piſi vulgaris florum æmuli, colore variant, quippe qui plerumque niuei, interdum flaueſcentes, nonnunquam etiam purpuraſcentes ſiue amæthiſtini conſpiciuntur. Ceterùm in fructu, ſiue ſemine renum formam quodammodo exprimente, & oblongis ſiliquis ſiue lobis incluſo, longè maior coloris varietas deprehenditur. Etenim hoc anno 1582. nobis nati ſunt aut niuei omnino, aut nigri, aut flaui, aut ex flauo obſoleti, aut purpurei, aut amæthiſtini, aut cærulei, aut rubri, aut lateritij ferè coloris, vel albi nigris venis & lituris diſtincti, atque etiam cinerei & carnei coloris ſimilibus venis inſignes.* Phaſeoli inſignis colorum varietas.

Attamen præter ea iam memorata genera, aliquot

Phaseolus 1. siue Africanus.





alia, dum Viennæ vixi, obseruaui, semine ab amicis communicato mihi nata, nec antea mihi conspecta.

I. CAVLIS *in Priore statim à radice in aliquot sarmenta oblonga diuiditur, lenta, vicinos stipites & virgulta amplectentia reliquorum Phaseolorum modo: in singulis alis terna folia vulgari similia, attamen atriora ex eodem pediculo nascentia, extremo imparitatem, vt in vulgaribus, faciente: ex iisdem alis breues ramuli prodeunt, multis floribus vulgari haud absimilibus, minoribus tamen, albis, vuæ in modum congestis onusti, quibus succedunt siliquæ oblongæ, vulgaribus multo latiores, continentes ternos aut quaternos fructus planos communibus Phaseolis latiores, albos, & multis nigris maculis aut venis ab hilo in latitudinem ductis elegantissimè depictos.*

Phaseolus maior varius, siue Purkircherianus.

Serotina admodum fuit anno 1576. semine à C.V. D. Georgio Purkirchero Posoniensi Archiatro, p.m. mihi pro nostra amicitia communicato nata hæc planta, ideoq́; ad frugem peruenire non potuit. At ipsi Purkirchero, dum vixit, atque postea eius vxori (nempe ad pergulas aprico loco satus hic Phaseolus) singulis annis maturum fructum dedit. Sed etiam hoc anno eleganter mihi excreuerunt aliquot eius plantæ, quas ad maturitatem peruenire posse existimabam: sed ob Solis radiorum defectum, spe mea frustratus sum.

II. TOTA *forma & nascendi modo à vulgari haud differt alterum genus: etenim admodum ramosa habet sarmenta, quæ vicinis perticis sese aduoluunt eásque scandunt, oblongos pediculos ex foliorum (quæ semper terna, vt in vulgari, simul nascuntur) sinu promentia, in quibus bini, quaterni, etiam seni nascuntur flores ex aduerso semper inter se oppositi, vulgaris Phaseoli floribus magnitudine & forma respondentes, initio &*

Phaseolus niueus minor, siue de Guatimala.

dum

dum recens aperti sunt candidi, pòstmodum verò flauescentes: quos excipiunt oblongæ & propendentes, vt in vulgari, siliquæ, quina, septena & plura interdum candidissima & quasi ex ebore tornata semina continentes, minora & tumidiora quàm albi vulgaris.

Iulio floret, fructus Augusto, nonnunquam etiam Septembri maturescit.

HABET *& Tertium genus oblonga sarmenta, ex singulari caule statim ad radicem prodeuntia, & multis alis brachiata, lenta, obliquè se contorquentia, & humi procumbentia, nisi perticis aut pedamẽtis sustineantur, quibus sese circumuoluunt reliquorum Phaseolorum modo: purpurascunt ea iuxta alas, ad quas adnascuntur etiam terna folia superiore minora, & dilutiore colore virentia, longoq; pediculo inhærentia, qui, ea parte qua folia sustinet, contrariaq; qua sarmentis inhæret ex atro purpurascit: flores in oblongis pediculis plerumque bini, magni, Pisi forma, foris ex candido pallescentes, interiore verò parte ex purpura cærulei: his succedunt totidem prælongæ siliquæ, teretes, & quasi cylindratæ, in quibus fructus reliquis Phaseolis minor, Anagyridis legitimæ fructui fere similis, colore rubescente.* III. Lobi americani maiores.

Semine ex Hispaniis misso natus etiam mihi est hic Phaseolus anno 1576. serius quidem, vt fructus maturitatem consequi non potuerit: sed proximo anno satus, maturius floruit, eiusq; fructus ad frugem peruenit.

DISSIMILIS *est Quartus superioribus. Non enim habet oblonga sarmenta quemadmodum illi: sed breui firmoq; caule constat, pedalem longitudinem non excedente, & breuissimas alas faciente, ad quas folia superiori quidem similia nascuntur terna numero, sed minora & breuiori pediculo inhærentia, qui non purpu-* IIII. Lobi americani minores siue pumiliones.



De TRIBVLO aquatico minore.

CAP. XXIII.

BICVBITALIA, *tricubitaliáque aut longiora, pro aquæ altitudine ex radice profert sarmenta, tenuia, punicantia, plana, nodosa, & dum exsiccata sunt fractu contumacia, quæ circa summum in plures diuiduntur ramos, alternatim ferentes in singulis nodis singularia folia, duarum interdum unciarum longitudine, & semunciali latitudine, tenuia & quasi transparentia, in ambitu adeò crispa & sinuosa, vt laciniata videantur, colore ex viridi punicante: pediculi, qui exiguos candicantes flosculos vuæq; in morem congestos sustinent, oblongi crassiusculique sunt & inter folia exoriuntur, quæ bina semper inter se opposita cõtrario quàm reliqua inferiora modo nascuntur: singulis plerumque flosculis succedunt quaterna aculeata grana simul cohærentia paucam candidam medullam continentia: sarmenta infima parte in singulis nodis oblongas tenuesque & candicantes fibras agunt quibus firmatur. Tota planta aquis mergitur.* Tribulus aquaticus minor.

Primum in stagnis apud Nemethwywar maxima copia inter Tribulum aquaticum maiorem fructu eduli & Nymphæam flore albo nascentem atque Iunij initio florentem & semine prægnantem obseruaui anno 1580. maturius tamen florere existimo, cùm omnes ferme plantæ semine abundarēt: deinde eodem mense in fossis vrbis Viennensis ad portam quæ vulgo Stubenthorn *nuncupatur.*

Similem fere plãtam eodem mense vidi apud Eberstorf Mag[ci] *Dn. Hieronymi Beck arcem in lacunis secundum riuos nascentem, sarmentis non planis sed rotundis, eodem tamen modo geniculatis, bina semper in-* 2. Eius varietas.





ter se opposita foliola ad singula genicula ferentem superioribus breuiora, mucronata, & minimè in ambitu crispa vel sinuosa: flosculos deinde ternos aut quaternos, pusillos, Muscatellæ Cordi flosculis persimiles, tenui breuiq; pediculo insidentes: semen non obseruaui: serpit hæc, & ad ramulorum nodos & alas plerumque fibras agit.

De Typha media.

CAP. XXIIII.


Typha media. COPIOSE *nascitur palustri quadam fossa apud Tyburn sacellum, non procul ab eo loco in quo sepeliuntur quibus ob maleficia laqueo gula fracta est, primo ab vrbe Londinensi lapide qua spectat occidentem, Typhæ quoddam genus medium multo angustioribus quàm in Typha vulgari foliis, & graciliore claua, maiore tamen quàm minima illa Typha quam D. Pennæus inter siccas stirpes ostendit, & Pena atque Lobelius in Aduersariis expresserunt: alioqui à maiore non differt pullo illo tomento in clauam compacto, & florum oblonga spica tenui flauo polline respersa supra clauam enascente. Floret Iunio.*

De Gramine montano spicato.

CAP. XXV.

VARIA *in harum Prouinciarum alpibus & montanis nascuntur graminis genera: sed de duobus duntaxat hoc capite agere constituimus.*

I. MVLTIS *Primum capitibus ex radice digitali*
Gramẽ montan. spicatum. *bifidaque interdum & trifida, multisq; tenuibus fibris suprema parte hirsuta prodeuntibus constat, quorũ singula proferunt sena aut plura oblonga, crassa & nonnihil carinata folia Caryophyllei illius quem vulgo Gramen ma-*





menmarinum maius cognominant foliis admodum similia, infima sede sese mutuò amplectentia, gustu amariusculo & calidiusculo: ex horum medio dodrantalis, nonnunquam & pedalis exit cauliculus, firmus, leuis, nudus & enodis, qui in summo multos flosculos spicæ instar congestos herbaceoq́; colore præditos profert.

Inuenitur in montanis quibusdam pratis, duobus supra Badenses thermas miliaribus. Similem autem in Flandriæ maritimis frequenter legere memini, quam vulgus, ni memoria labitur, Suden appellabat.

ELEGANS *verò est Alterum, nec antè mihi conspectum, cubitalibus culmis constans, tenuibus, geniculatis, qui palmaribus angustisq́; foliis septi, summa sui parte desinunt in tenuem oblongamq́; spicam, quæ in lanuginosis glumis grana nuda auenæ similima fert: radix tenuis est, multísque fibris oblongis firmata, singulis annis anterius serpens vti Spartum & Iunci.* II. Gramen mõtan. auenæ femine.

Nascitur secundum vias in montanis vmbrosisq́; siluis Pannoniæ, Austriæ & Bohemiæ; & semen Iulio maturum est.

DE SPARTO AVSTRIACO.

CAP. XXVI.

PEDALIS *longitudinis folia habet, gracilia, viridia, numerosa, quæ tandem coëunt, & iunci modo læuia rotundaq́; fiunt, quemadmodum Sparti Hispanici folia, quibus non multum absimilia sunt, sed minora & graciliora: inter ea culmi exeunt graciles, foliis haud lõgiores, qui spicam ferunt constantẽ tribus aut quatuor oblongis granis oblonga contortaq́; cauda insignitis, quæ tandem in dodrantalem atque pedalem interdum plumulam, tenuioribus alarum Manucodiatæ siue auis paradisi vulgo nuncupatæ plumulis ferme respondentem* Spartum austriacum.



tem definit: radix subest è multis capillamentis gramineis fibrisque composita, Hispanici sparti modo.

Abunde prouenit in monte Badensibus thermis imminenti, totaq; illa catena montium qui inde ad Danubium vsque excurrunt, ad siluulam præterea Lachen, aliisq; apertis & gramineis locis: sed omnium vberrimè in viuario illo Neapoli austriacæ vrbi contiguo. Semen maturũ Iunio à lenissimo vento excutitur, atque statim vbi decidit etiã per gramina irrepit, & terra se condit.

DE LEGVMINIBVS.

SVPEREST *vt pro nostrarum Obseruationum coronidẽ, Legumina atque illis congeneres stirpes describamus.*

DE PHASEOLO.
CAP. XXVII.

PHASEOLI *vulgo appellati multa inueniuntur genera, sarmentis lentis & obsequentibus, foliorúmve forma, & reliquo nascendi modo non equidem inter se discrepantia: sed quorum flores, licet forma similes, & Pisi vulgaris florum æmuli, colore variant, quippe qui plerumque niuei, interdum flauescentes, nonnunquam etiam purpurascentes siue amethistini conspiciuntur.* Phaseoli insignis coloru*m* varietas. *Ceterùm in fructu, siue semine renum formam quodammodo exprimente, & oblongis siliquis siue lobis incluso, longè maior coloris varietas deprehenditur. Etenim hoc anno 1582. nobis nati sunt aut niuei omnino, aut nigri, aut flaui, aut ex flauo obsoleti, aut purpurei, aut amethistini, aut cærulei, aut rubri, aut laterity fere coloris, vel albi nigris venis & lituris distincti, atque etiam cinerei & carnei coloris similibus venis insignes.*

Attamen præter ea iam memorata genera, aliquot





dum recens aperti sunt candidi, postmodum verò flauescentes: quos excipiunt oblongæ & propendentes, vt in vulgari, siliquæ, quina, septena & plura interdum candidissima & quasi ex ebore tornata semina continentes, minora & tumidiora quàm albi vulgaris.

Iulio floret, fructus Augusto, nonnunquam etiam Septembri maturescit.

III. Lobi americani maiores.

HABET *& Tertium genus oblonga sarmenta, ex singulari caule statim ad radicem prodeuntia, & multis alis brachiata, lenta, obliquè se contorquentia, & humi procumbentia, nisi perticis aut pedamētis sustineantur, quibus sese circumuoluunt reliquorum Phaseolorum modo: purpurascunt ea iuxta alas, ad quas adnascuntur etiam terna folia superiore minora, & dilutiore colore virentia, longoq; pediculo inhærentia, qui, ea parte qua folia sustinet, contrariaq; qua sarmentis inhæret ex atro purpurascit: flores in oblongis pediculis plerumque bini, magni, Pisi forma, foris ex candido pallescentes, interiore verò parte ex purpura cærulei: his succedunt totidem prælongæ siliquæ, teretes, & quasi cylindratæ, in quibus fructus reliquis Phaseolis minor, Anagyridis legitimæ fructui fere similis, colore rubescente.*

Semine ex Hispaniis misso natus etiam mihi est hic Phaseolus anno 1576. serius quidem, vt fructus maturitatem consequi non potuerit: sed proximo anno satus, maturius floruit, eiusq; fructus ad frugem peruenit.

IIII. Lobi americani minores siue pumiliones.

DISSIMILIS *est Quartus superioribus. Non enim habet oblonga sarmenta quemadmodum illi: sed breui firmoq; caule constat, pedalem longitudinem non excedente, & breuissimas alas faciente, ad quas folia superiori quidem similia nascuntur terna numero, sed minora & breuiori pediculo inhærentia, qui non purpu-*

 rascit,





rascit, vt in proximè descripto: pediculi ex alis prodeũtes etiam binos flores magna ex parte sustinent, cum forma, tum colore proximè descripto simillimos, deinde binas siliquas illius siliquis crassiores, in quibus fructus magnitudine & forma par, sed colore differens: nam niueus est, circa hilum nigra macula insignitus, & quibusdam nigris punctis interdum in lateribus notatus.

Satis præcox hic est, nec vllis pedamentis eget, cùm (vt dixi) breui firmoq́; sit caule. Creuit et hic mihi anno 1576. donatus à C.V. D. Rēberto Dodonæo S. C. M^tis tum Medico, qui eius fructum anno 1575. dum Pragæ esset in Arcis horto obseruauit & collegit.

Idem fructus etiam ex Hispaniis anno 1577. missus fuit, cum tertio genere, in quo triplicem coloris varietatem tum temporis obseruaui: nam aut rubescebat, aut pallescebat, aut pulla nigredine nitebat.

V. Phaseolus ægyptiacus.

TENVIA *habet Quintum genus sarmenta, ex singulari caule statim proximè radicem enascentia, eáque admodum ramosa, ex viridi purpurascentia, quæ vicinis perticis & pedamentis sese conuoluunt: folia ex eodem pediculo, vt in aliorum Phaseolorum genere semper terna, longè tamen minora & Trifolij mœnianthis (quod in vmbrosis & vbere gleba nascitur) perquam similia, atrouirentia, circa pediculum purpurascentia: flores in spicæ modum congesti, magni, Pisi vulgaris forma & magnitudine fere, flauo colore, in oblongo crassoq́; pediculo ad foliorum exortum prodeunte nascuntur: siliquas non obseruaui, sed breues angustásque esse intelligo, ternáque aut quaterna duntaxat grana continere: ea sunt parua admodum Laburni fructu haud maiora, vtroque tamen mucrone plerumque obtusiore, pulli, siue potius ex nigro subuirescentis coloris.*

PRIO-





PRIORIS *fructum D. Purkircherus primus in Pannoniam intulit ex Neapolitano regno delatum, singulisque annis coluit, & eius genus, vt dixi, conseruauit: quam ob causam apud rei herbariæ illius regionis studiosos, Purkircheri cognomen inditum, & vt Phaseolus Purkircherianus nuncuparetur obtinuit. Ante multos verò annos similem planè mihi missum memini phaseoli Africani nomine: & ex Africa Italos primùm accepisse verisimile est. Alter ex Hispaniis anno 1581. missus* frizoles blancas de Guatimela, *hoc est, phaseoli albi ex Guatimela (quæ noui Orbis prouincia est) nomine, mihique eodem anno communicatus, subsequente Vere satus egregiè creuit, & ad frugem quo dixi tempore peruenit. Proxima duo genera ex Hispaniis accepta cum hac inscriptione* Alubias de Indias, *id est, Lobi Indici. Quintus mihi Patauio missus à doctissimo viro Bernardo Paludano frisio ex Syria et Ægypto reduce, anno 1578. qui terræ anno subsequente concreditus, creuit quidem, sed serò admodum, deinde periit. E seminibus conseruatis & hoc anno 1582. demum satis, aliquot plantæ egregiè prouenerunt, quarum vna florem Septembri duntaxat mense tulit, ideòque caloris inopia ad frugem minimè peruenire potuit: ipsa tamen planta nunc etiam Calend. Nouembr. perbellè adhuc virente, ἀνώνυμον à Paludano accepi: at hoc anno Ægyptiaci phaseoli nomine ex Italia similem accepimus.*

Phaseolus Purkircherianus vel africanus.

Frizoles de Guatimela.

Alubias de Indias.

Aegyptiacus phaseolus.

ALIVD *porro Phaseoli siue Leguminis genus cum superiore idem Paludanus misit, cui* Leplap *nomen inscriptum erat: sed nec tum temporis, neque hoc anno terræ commissum nasci voluit. Illius tamen cum suo semine siliquam Lectoris oculis subiiciendam esse putaui. Breuis et lata est, quaternáq. grana oblōgiuscula, nigra, hilo nihilominus albo admodum longo prædita cōtinuit.*

Leplap.

SVPE-



Phaseolus Indicus.



Mates fructus Indicus.



SVPERIORIS *verò anni Autumno, dum ex Anglia huc redirem, elegans aliud Phaſeoli genus Coloniæ apud nobilem matronam C.V.D.Hoperi viduam conſpexi, anguſtis folijs, fructu vulgari Phaſeolo minore & planiore, ſubrubro colore, ex Hiſpanis ab illa accepto* frizoles Guateli *appellatione: quem cùm ad frugem perueniſſe exiſtimem, quin C. V. Rembertus Dodonæus eius deſcriptionem in ſuam nouam Stirpium hiſtoriam (quam tum propediem in lucem dare ſperabat) intulerit, non dubito.* Frizoles Guateli.

DE PISO SILVESTRI.

CAP. XXVIII.

NEC *ſarmentis, nec folijs à vulgari piſo quod in agris ſeritur multum differt: multa enim & oblonga ex eadem radice profert ſarmenta anguloſa, ſtriata, fractu contumacia: folia deinde vncialia, membranea, viridiáque, bina ſemper modò hinc, modò illinc ſarmenta amplectentia, è quorum medio ala extenditur quatuor aut ſex foliorum contrario ſemper ſitu naſcentium, quæ in capreolos, quibus ſeſe vicinis plantis implicat, deſinit: ſumma ſarmenta in multos deinde ramos diuiduntur, qui ex foliorum alis oblongos tenuéſque pediculos promunt, in quibus multi exigui, candicantéſque flores ſpicatim congeſti naſcuntur, Ciceris ſil. Matthioli (quod paſſim in Pannonia & Auſtriæ inferioris pratis atque ſecundum ſepes ſponte naſcitur) floſculis perſimiles: quibus excuſſis ſuccedunt ſiliquæ piſo vulgari paulo graciliores, continentes grana Clymeni Matthioli ſiue Lathyri Dodonæi fructui paria, fuſca, ingrati ſaporis, meo quidem palato, qui crudis piſis aut fabis minimè veſci ſoleam: radix lignoſa, nigricans, minimi digiti craſſitiem interdum æquat, & tenuibus fibris donata eſt,* Piſum ſil. perenne.

perennis,

Pisum siluestre.



perennis, & singulis annis noua sarmenta longè sub terram ante quàm germinent sese occulentia proferens.

Primùm m.hi conspecta est hæc planta vltra Drauum in Pannonia interamni (cuius pars nunc Windische land *nuncupatur) iugis arci Grebén vicinis anno 1579. copiosè inter saxa nascens: vnde postea Ill. Dn. de Batthyan, qui me in eam prouinciā deduxerat, maturum fructum mihi adferri iussit, quem plerisque amicis cum in Belgica tum alibi communicaui. Subsequente deinde anno aliis locis Viennæ viciniorıbus obseruaui, vti in monte illo siluoso supra Gumpostkirchen, item supra Sopronium, & in Leytenberg.*

Floret Iunio, semen maturum est Iulio.

De Orobo pannonico.

CAP. XXIX.

E R V I *siue Orobi nomine à studiosis rei herbariæ appellantur aliquot plantæ per Pannonias, & Austriam, Styriámque nascentes, quas à nemine descriptas memini.*

M V L T O S *habet Prior caules ab vna radice prodeuntes, pedales aut ampliores, firmos, erectos, & angulosos, virides, in quibus hinc inde sparsa sunt oblonga & pennata folia, ex senis, octonis aut pluribus foliis mucronatis trineruiis, vni costæ adnatis, & sibi inuicem oppositis congesta: flores in surculis ex alarum sinu prodeuntibus spicatım nascentes pisi aut viciæ floris æmuli, colore purpureo elegātissimo, deinde vbi euanescere incipit, cæruleo: quibus succedunt oblongæ cylindratæ siliquæ, nigræ, in quibus rotundum semen interdum & exiguum, nonnunquam verò oblongiusculum, varium: radix viuax & perennis, longa, nigra, dura, per interualla extuberans, fibrosa, & ex lateribus nouos stolones singulis* I. Orobus pannon. purp. I.

annis



annis producens. Tota planta calidiuscula est.

ALTERA *tenuioribus et gracilioribus constat caulibus, firmis tamen, cubitalibus, angulosisque & in multas alas diuisis: folia alata sunt, hoc est, sena, octona, interdum dena vni costæ inhærentia, superioribus longè minora, & Lenticulæ foliis haudquaquam maiora, tenella, viridiáque, gustu amaricante, calidiusculo: flores ex superioribus alis numerosi, oblongis pediculis inhærentes, superioribus forma similes, minores tamē, purpurascente colore, qui vetustate in cæruleum etiam commutatur: siliquæ sunt oblongæ, nigræ, continentes oblongiora maioraque semina quàm superioris, & subfusca: radix dura, lignosa, fibrosaque est, in diuersa tendens, viuax, & singulis annis plures caules proferens.* II. Orobus pannon. purpurasc. II.

Copiose nascuntur in silua montana Leytenberg supra Manderstorf, supra Medeling pariter, & omnibus illis montanis siluis serie quadam productis à Danubio ad alpes, variis item Pannoniæ locis.

Florent Aprili atque etiam Maio, semen autem proferunt Iunio.

GRACILES *promit Tertia cauliculos, erectos, firmos, angulosos, pedales & cubitales: folia per interualla vni costæ inhærentia, quaterna plerumque sibi inuicem opposita, erecta, angusta, trium digitorum transuersorum longitudine, gustu aliquantulū acido, deinde amariusculo, nullis capreolis prædita, quòd caules satis firmi, adminiculis non egeant: flores in longis pediculis spicatim cohærentes, pisi aut viciæ forma, colore candidos, senos aut octonos: deinde oblongas siliquas, nigricantes, priori similes, semine nigro, interdum etiam maculoso plenas, quæ per maturitatem cum strepitu dehiscentes semen abiiciunt: radicibus nititur quinis aut senis minimi digiti longitudine, crassiusculis, Asphodeli aut* III. Orobus pannon. albus I. siue Asphodeli radice.





Pæoniæ feminæ oblongis bulbis fere similibus, minoribus tamen, foris nigris, intus albis.

Inuenitur magna copia in pratis non procul Walterstorf, similiter in pratis Maurpach, Medeling, Baden vicinis, atq. etiam in nonnullis montosis vltra Danubium locis ad cæduarum siluarum margines.

Floret cum superioribus, semenque perficit Iunio.

IIII. Orobus pannon. albus II. ALIQVOT *Quartæ ab vna radice prodeunt caules cubitales, striati, recti, folia alternatim proferentes pennata, quaternis foliis satis amplis & mucronatis cōstantia, venis aliquot transuersim à medio neruo excurrentibus, viridibus, gustu subacido quidem, sed postea acriusculo: flores ex alarum sinu breui pediculo insidentes, quini aut seni antrorsum spectantes, viciæ floribus similes, sed albo colore præditi, qui in binis foliolis sursum reflexis pallescit, nullo odore: siliquæ primo generi similes, in quibus semen nigricans, reliquis maius: radix minime viuax est, sed prolato fructu perire solet, vt in plerisque Leguminum generibus.*

Rara est in Austria, nec nisi in alpibus nascitur, vnde delata & in hortum translata, altero anno flores protulit Aprili & Maio, deinde semen. Anno verò 1579. mense Maio maxima copia florentem inueni in ea Pannoniæ parte quæ vltra Drauum fl. est in monte quodam siluoso Grebén arci vicino.

Aphaca. PORRO *Secundum genus in Belgicis hortis videre memini, & Aphacæ nomine à rei herbariæ studiosis nuncupari. Quartum ad phaseli siluestris aut viciæ genus commodè referri posse existimo.*

OROBI *autem historia mihi in memoriam reuocat duas alias stirpes nobis cum in Belgica tum Viennæ natas è semine hoc nomine primùm Venetiis misso, quæ*

quoniam



quoniam à nemine adhuc descriptæ sunt, non incommodè hoc loco earum historiam subiicere posse videor.

I. Orobus venetus purp. flor. MVLTOS *ex eadem radice Prior fundit ramos pedales, angulosos, & ad singulas alas modò in hanc, nunc in alteram partem inflexos, humiq; plerumque diffusos: folia in singulis alis quaterna aut sena vni costæ inhærentia, bina semper ex aduerso sita, nullo extremo imparitatem faciente, Orobi pannonici primi foliis fere similia, sed minus atra: flores oblongis virgulis ex alarum cauis prodeuntibus inhærentes, numerosos, in comam inflexos, pusillos, quatuor foliolis, vti reliquarum leguminacearum stirpium flores, constantes, hoc est, superiore latiore sursumq; reflexo & expanso, binis minoribus ad latera, quarto inferiore cauo & quodammodo carinato, colore purpureo: siliquas oblongas, mucronatas, viciæ fere æmulas, rotũdiores, maturitate rufescentes, semen continentes orobaceum, oblongiusculum, albicante colore: radicem duram, lignosam, multis fibris in diuersa tendentibus donatam, viuacem, & singulis annis numerosiores caules proferentem.*

II. Orobus venetus albo flore. ALTERA *solummodo differt foliorum & ramorum colore qui dilutius viret, & floribus qui toti sunt candidi.*

Florent mense Maio, cum eiusdẽ generis aliis plerisq.

CETERVM *plurimæ aliæ stirpes ad Leguminum & similium classem pertinentes, sponte per Pannoniam, Austriam, & Styriam nascuntur, quarum licet ab aliis prodita sit historia, nomina tamen recensere non abs re visum est.*

Crista Gallinacea. Clymenum Matthioli. *Gramineis locis sicciori búsq. pratis nascuntur Onobrichis Dodonæi, quæ Brabatis vernacula lingua Crista gallinacea cognominatur: Clymenum Matthioli, siue La-*



Lathyrus Dod. Eruum Cordi Pseudoapios Dod. Anthillis leguminosa.

ue Lathyrus Dodonæi vel Eruum satiuũ Cordi: Glandes terrestres flore odorato purpureo, siue Pseudoapios Dodonæi, alia ei congener flore luteo: atque Anthillis leguminosa Lobelij, cuius genus nobis aliquando Ferraria misit Alphonsus Pancius flore purpurascente.

Fœnum græc. sil. Tragi. Glycyrrhiza sil. Gesneri. Cicer sil. Matthioli. Galega. Ruta capraria. Onobrichis Fracast.

In siluis, pratorum marginibus umbrosis, atq. etiam interdum in pratis apertis Fœnum græcum siluestre Tragi, siue Gesneri Glycyrrhiza siluestris: Cicer siluestre Matthioli (quẽadmodum superiore capite retuli) exiguo candicante flore, folliculis tumentibus, in quibus exiguum semen: & Galega vulgaris, quam nonnulli Rutam caprariam, Fracastorius Onobrichin appellant (quo etiam nomine eius semen nobis ex Hispaniis missum est, & natá planta) quæ omniũ copiosissimè inuenitur inter Muram & Drauum flumina, paulo supra eorum confluentes.

DE VICIA SILVESTRI.

CAP. XXX.

VARIA per Pannonias & Austriam inueniuntur Viciæ siluestris genera, aliis Prouinciis etiam communia: duô tamen me obseruasse arbitror, quæ alibi videre non memini.

Vicia sil. albo flore.

I. MVLTOS ex eadem radice quæ perennis est, profert Primum ramos rotundos, striatos, pedales, & cubitales, quos ambiunt foliorum alæ quemadmodum in Vicia vulgari satiua & siluestri, sed magis hirsutæ & & quasi incanæ, capreolis quibus se vicino gramini implicat extremam alam occupantibus: flores in superioribus foliorum alis terni plerumque, Viciæ vulgaris floribus persimiles, colore candido, superiore tamen folio obsoleti coloris venis interius distincto, inferiore foliolo eiusdem coloris: siliquas planas (quantum videlicet ex

illarum



illarum rudimentis colligere licuit, nam Maio mense florentem anno 1579. duntaxat obseruaui) viciæ vulgari similes: radix fibrosa est, tuberculisque, vt pleraque Leguminacearum stirpium, donata.

Nascitur in aruis desertis apud Chyztreg oppidum Mag^ci Dn. Bamfy in Pannonia situm, olim florens, nunc verò magna ex parte exustum, & ob continuas Turcorum in ea loca excursiones omnino fere desertum, non procul à Kerka fluuio.

II. Vicia fil. spicato flore.

CVBITALIBVS *est Altera ramis, striatis, lentis, infirmis, & humi, nisi capreolis se sustinerent, procumbentibus, obliquè modò in hanc, modò in alteram partem secundum foliorũ alas inflexis, è quibus frequentes plerumque ramuli enascuntur: foliorum alæ oblongæ, tenues, deorsum incuruæ, & in binos capreolos desinentes, duodenis, vicenis, vicenis senis, aut pluribus interdum oblongis angustisq; foliolis sursum erectis, & ex aduerso nunc æqualiter, nunc inæqualiter nascentibus præditæ: flosculi elegantes, superiori forma similes, minores, Onobrichidis quartæ flosculis propemodũ respondentes, coloris ex cæruleo purpurascentis, vicem nonnunquam aut plures spicatim in oblongis nudis ramulis ex superiorum alarum sinu exeuntibus nascuntur: deinde vncialis longitudinis siliquulæ exiguum semen continentes: radix tenuis, latè serpens, & sub tellure se condẽs, singulis annis nouos frequentioresq. ramos proferẽs.*

Passim cum in agris, tum inter vepres illis se implicans crescit per Vngariam, Austriam, Morauiam, & Bohemiam: atque Maio floret.

VNGARI *cum superiorem, tum hanc (quæ plurimum à Belgica vepribus se implicante differt) atq. denique omne siluestris viciæ genus* Waryw borſo *nuncupant, hoc est, cornicis pisum.*

DE SE-

De Secvridaca altera.

Cap. XXXI.

Mvltos *atque oblongos ex eadem radice fundit vimineos caules, humi diffusos, virides, ſtriatos, intus concauos, admodum ramoſos: folia alata, è multis foliolis coniugatim, & æquali, contrario tamen ſitu vni coſtæ inhærentibus conſtantia, ſolo extremo impari, Hedyſari legitimi foliis perquam ſimilia, ſapore amaro: è ſingulis ſuperiorum foliorum alis oblongi pediculi prodeunt, coronam leguminaceorum floſculorum alterius Hedyſari forma ſimilium, grauiterq́; odoratorum ſuſtinentes, colore non luteo vt illi, ſed vario: nam ſuperiora folia carnei plerumque ſunt coloris, laterum alæ niueæ, & carina infima alba roſtro eſt purpureo: ſiliquæ non planæ, ſed teretes, oblongæ, roſtratæ, internodiis diſtinctæ veluti Polygalæ valentinæ ſiliquæ, continentes ſubruffum ſemen, oblongiuſculum, ſapore non minus amaro quàm alterius: radix non annua vt illius, ſed maximè viuax & fibroſa, longè lateq́; ſub terra ſe cōdens, & vicina loca occupans, atque etiam tenuiſſimis fibris renaſcens.* I. Securidaca altera panno.

Vulgatiſſima hæc eſt per vniuerſam Pannoniam, Auſtriam, Styriam, Morauiam, atque Bohemiam, cum in pratis, tum in agris, & ſecundum vias.

Floret Iunio interdum etiam tota æſtate, ſemen maturum eſt Iulio & Auguſto.

Variat interdum floris colore, qui totus cādidus eſt, aut exalbeſcit, aut intenſius purpuraſcit.

Aliqvando *nobis in Belgicam miſſa fuit Galegæ alterius nomine, cum qua ſiliquarum duntaxat affinitatem habet: mihi tota facie Hedyſarum referre videtur, exceptis corniculis & ſemine, quæ, veluti dixi, plana non ſunt.* Galega altera.

Sed





Sed aptius forsitan Hedysari descriptioni conueniet ea planta cuius iconem & descriptionem cum aliis iam memoratis à C. V. Tho. Pennao accepi, quámque Securidacam Dioscoridis esse censet.

II. Securidaca Diosc. Pennęi. CVBITALIS, *inquit, planta est, aut altior, multos caules ramosos abs radice lignosa & perenni emittit: folia habet ciceris modo secundum oblõgum neruum binatim disposita, vno impari extremitatem ipsius tenente, cicere minora: flores in summis caulibus glomeratim cohærentes, ex candido rubentes: siliquas fusci coloris, securis formam quam nos* bylhouck *vulgo appellamus probè referentes, vel cultri genus quo nostri & Belgici sutores vti solent: singula siliqua semen vnicum eiusdem figura continet.* [ex ſicca tamen planta, quam etiam mihi communicauit, didici, ſiliquas nonnunquam longiores eſſe, & ſupra ſecurim illam, alium articulum oblongiorem obtinere, qualem extremæ ſuperioris ſiliquæ habent, quemadmodum in icone addi iuſſi.] *Tota amara est, præsertim siliqua & semina.*

Crescit in agro Geneuensi nõ procul à Ponte tremulo, inter dumeta, nusquam alibi mihi conspecta.

ἡδύσαρον πελεκῖνος. Ἡδύσαρον ἢ πελεκῖνος *Græcis, Hedysarum & Securidaca Latinis dici possunt hæ plantæ. Nullius tamen semen aptius veterum securim meo iudicio refert, quàm eius quæ ab omnibus Hedysarum legitimum censetur: etenim in Hispanica mea peregrinatione secures infra Madritium videre memini, quæ huic semini essent simillimæ, nempe in medio qua manubrium traiicitur & adaptatur, crassiores, & vtrinque in planam aciem desinentes.*

De Onobrichide.

CAP. X[illegible]

Ad Onobrichidis classem [illegible]duci posse existimo eas stirpes quas hoc capite describemus, quoniam illi quodammodo affines esse videntur.


Cubitales plerumq. Prior habet caules, multos (si vetusta sit planta) rotundos, duros, humi procumbentes, in quibus frequentia folia lenti similia, angusta, hirsuta, quindena subinde, & totidem alia ex aduerso vni costa adhaerētia, vno impari extremam alam occupante, gustu amaro & ingrato: ex alarum cauis ramuli exoriuntur similibus foliis septi, ex quibus dodrantales pediculi exeunt, striati, ferentes multos flores trifolij aemulos, oblongos, eleganti purpura nitentes, inodoros, confertos, & veluti spicam trium interdum vnciarum longitudinem aequantem efficientes, interdum etiam longiorē, praesertim quando in semen abeunt, quod bifidis breuibus turgidiusculisq; siliquis cōtinetur exiguum, nigrum, durum, sapore ingrato vt alia legumina: radix illi magna, longa, dura, in transuersas nonnullas fibras sese spargens, & subinde ad cauliculorum exortus nouas fibras agens, viuax & perennis. I. Onobrichis purp. flore.

Frequens nascitur ad Danubij ripas supra Posoniū arido solo, apud Petronellā ad viarum margines, & frequentissime toto itinere versus Badenses thermas, multisque aliis circa vrbē Viennam locis tam citra Danubium, quàm vltra. Floret Maio, Iunio & Iulio, atque etiam Augusto interdum, quo tempore etiam semen profert.

Multos ex eadem radice profert Altera viminéos cauliculos, pedales, nonnunquam etiam longiores, striatos, humi fusos, crebris nodis distinctos, et in his ala- II. Onobrichis subcaeruleo flore.

ta fo-





ta folia, hoc est, tredecim, quindecim, septem & decem angustis & oblongis foliolis vni costulæ inhærentibus constantia, extremo semper imparem numerum facien-te: prodeunt deinde ex alis tenues pediculi flosculos in spicam congestos ferentes Pisi aut Viciæ florum forma, sed longè minores, colore dilutè cæruleo aut ex cæruleo purpurascēte: his succedunt exiguæ siliquæ, quasi duplicatæ, continentes pusillū semen renis forma, nigro colore: radix minimi digiti crassitiem fere æquat, dura, lignosa, & contorta, altè sub terra se condens, rarisque fibris donata, quæ suprema parte in aliquot capita extuberat, è quibus singulis annis nouos cauliculos fundit.

Rara est, nam paucas dūtaxat plantas inueni publica via secundum orbitas, inter Schwecket & GotZestorf Junio florentes anno 1580. & anno 1579. non procul à Znaim Morauiæ oppido.

Floret etiam in hortos translata toto Iulio, & subinde semen profert.

III. Onobrichis pallido flore.

SESQVICVBITALIBVS *assurgit Tertia ramis, rectis, firmis, duris, viridibus; in quibus folia Lentis siue Viciæ siluestris, oblonga, angusta, duodena aut quindena, & totidem ex aduerso, inter se opposita, vniq; costæ adhærentia, vno etiam quod extremæ costæ insidet impari, hirsuta, gustu ingrato & amaro, deinde nonnihil acri: ramuli extremo caule ex alarum sinu prodeuntes, palmares, striati, in dodrantales spicas flosculorum trifolij æmulorū, oblongiusculorum, pallidorum desinunt, quibus impressi sunt nigricātes quidam radij: his succedunt siliquæ prioris similes, mucronatæ, duabus valgulis constantes, in quibus semen fœnogræco fere simile, sed minus & nigrum: radix crassa, dura, lignosa, longa, aliquot fibris donata, candicans, perennis.*

Rara etiam admodum hæc est, & duobus locis duntaxat

taxat

taxat mihi conſpecta, videlicet ad Hamburgum vrbem duobus ſupra Poſonium miliaribus, & ad oppidum Fiſchmuntz nō procul Danubio publica via, vnde ſingulas ſingulis locis plantas duntaxat erui florētes Maio menſe 1574. & 1576. In hortū trāſlatæ Maio etiam florent atque tota deinceps fere æſtate: Auguſto ſemen, ſed rariſſimè profert, deciduis magna ex parte floribus, ante quàm in ſiliquas efformentur, nimia, vti coniicio, ſoli pinguedine & humiditate luxuriante planta.

QVARTA *multa folia promit ab eadem radice, Lenticulæ aut Tragacanthæ proxima, & vni ſimiliter coſtæ inhærentia, molliora tamen, viridia quidem illa, ſed lanugine quadam albicante pubeſcentia, lento primùm guſtu, deinde nonnihil amaricante, poſtremò linguam vellicante: naſcuntur inter foliorum alas cauliculi fere dodrantales, ſupini, exiles, hirſuti, aliquot floſculis onuſti, viciæ ſilueſtris aut lēticulæ magnitudine, colore ex cæruleo purpuraſcente, quos excipiunt ſiliquæ exiguæ geminis cellulis cōſtantes, ſemine (quod cùm adhuc immaturum eſſet probè obſeruare non potui) plenæ: multas ex eadem radice, quæ longa craſſiuſculaque eſt, & obliquas fibras agit, propagines & ramulos dodrantales humi fuſos in latera emittens.* IIII. Onobrichis montana.

Creſcit in ſummo Sneberg iugo, atque in ſummi Etſcheri ſcopulis, quibus duobus locis florentem & ſiliquas iam efformantem erui Auguſto.

NEC *minus forſitan rara erit, quā Britannica anni 1581. peregrinatione, Londini in doctiſſ. viri Ioannis Richæi pharmacopœi regij horto naſcentem vidi, ad deſcriptarum hoc capite ſtirpium claſſem proculdubio referenda, cùm proximè ad quartum genus accedat.* V.

Etenim ſimilima habet folia, mollia, incana lanugine pubeſcentia, vt Tragacantha, & ſimiliter vni coſtæ in- Onobrichis peregrina.

 hæren-





hærentia, quindena & plura, interdum etiam vicena quina, vno extremam costam occupante: cauliculi tamen in hac oblongiores sunt, fusco cortice tecti, lenti, fractu contumaces, humi fusi, & plerumque nudi, qui extrema parte frequentes ramulos suis alatis foliis onustos proferunt, & in vnciali hirtoq; pediculo multos flosculos in caput & globum congestos, tragacanthæ floribus proximos, candicantes, deinde membraneas siliquulas eruo minores, & Dorycnio vulgariter nuncupato siue Hispanico pares, singula semina fœnograeco similia continentes. Florebat Iulio & Augusti initio: semen deinde Londino mihi missum est, quod terræ commissum nondum natum est.

A nemine hactenus descriptas existimo has stirpes: nec etiam nomen vulgare vllum, aut earum facultates à rusticis vel ab alio quopiam intelligere potui.

Si quis verò nō inter Onobrichides, sed inter Astragalos præsertim duo postrema genera, cum quibus magnam habent similitudinem, referre malit, Astragali sunto, prior alpinus, alter peregrinus.

De Medica lvteo flore.

CAP. XXXIII.

Medica luteo flore.

MVLTOS *ex eadem radice profert ramos cubitales, aut longiores, humi plerumque fusos, teretes, vimineos, multis alis brachiatos, folia terna vni pediculo inhærentia, alterius Medicæ foliis respondentia, & dorso eminente, sed longè minora: flores in extremis ramulis confertos, alterius floribus pares, luteo colore, non inodoros, cornicula deinde plana, contorta, angustiora quàm in satiua & vera, grana illi similia cōtinentia, sed paulo minora: radicem alteri parem, crassiusculam, latè sparsam, fibrosam, perennē, & singulis annis nouos caules proferentem.*

Nasci-



Nascitur tota Pannonia, Austria, Morauia, & Bohemiæ, Norici, Franconiæq; quibusdam locis.

Floret Iunio & Iulio.

De Trifolio maiore.

CAP. XXXIIII.

TRIFOLII *maioris tria genera, spicæ forma, & floris colore inter se differentia passim in Pannonia & vicinis prouinciis obseruantur.*

I. Trifolium maius albo flore. PRIMVM *ternis aut quaternis interdum assurgit cauliculis, pedalibus, firmis, rectis, teretibus, circa quos rara folia, oblonga, angusta, dura, neruosa, carinata, & dorso elatiore atque eminentiore, trina semper ab vno exortu prodeuntia vt in reliquis trifoliis, incana, & in ambitu veluti dentata, ab radice frequentiora & maiora: flores extremis ramulis, in quos cauliculi separantur, parui, frequentes, conferti, & spicam quodammodo efformantes, albo colore, aliquantulum odorati: radix viuax, minimi digiti crassitudine, nigricante & denso cortice tecta, longa, aliquot fibris donata.*

II. Trifolium maius purp. flore. ILLI *non multum dissimile est Alterum genus cum amplitudine tum forma: folia tamen paulo angustiora deprehenduntur, & crassior flosculorum qui confertim nascuntur spica, eáque summo cauli inhærens sine pediculo, & quasi inter folia latens, cui plerumque adnascitur alia breuior, rarissimè tertia: flosculi verò differunt colore, qui non albus est, sed ruber, nullo insuper odore præditi sunt: radix priori non dissimilis.*

III. Trifolium maxim. purp. flore. MAIORE *multo excrescit Tertium altitudine, quæ plerumque cubitalis est, caules etiam habet crassiores, folia ex singulis geniculis alternatim prodeuntia, longa, striatáque, & dorso eminentiore, laxa quadam veluti vagina in binas appendices desinēte caulem amplectentia, de-*





tia, deinde terna numero ex eodem pediculo nascentia, superioribus duplo longiora, illis tamen non minus dura & per oras denticulata, gustu nonnihil adstringente: huic spica multo oblongior, elegantissima, rubrorum flosculorum è calyculis hirsutis emergentium serie composita: radix superioribus similis, perennis & singulis annis plures caules proferens.

Inueniuntur non modò in Hamburgensi monte, sed aliis etiam Pannoniæ & Austriæ montibus alpestribúsque pratis & siluis copiosè. Priora etiam duo genera siccioribus pratis Viennæ vicinis, tum pariter in Morauia & Bohemia. Florent Maio & Iunio.

TRAGVS *Tertium genus* Groſſer Gepſklee / & *Cytisum appellauit, Lobelius alterum Lagopum nuncupasse videtur. Quem verò Lagopum maximum vocat, Belgicæ primùm innotuit 1570. C. V. Alphonsi Pancij munere, qui eius semen nobis dum Machliniæ viueremus, misit. Annua verò duntaxat est ea planta, proinde singulis annis serenda. Vngari vulgare Trifolium* Lo here *appellant.* Cytisus Tragi. Lagopus alter Lobel. Lagopus max. Lobel.

TRIFOLII *porro genus illud teretibus viticulis humi sparsis, flore pisi pallido satis magno, foliis tribus vni pediculo inhærentibus, & molli lanugine pubescentibus, & rarius per viticulas sparsis, quod à siliquarum magnitudine Mompelliani meo tempore Lotum pratensem siliquosum cognominabant, maximè frequens est in omnibus Pannoniæ & Austriæ pratis: sed Narbonensi paulo durius videtur.* Lotus siliquosus luteo flore.

Illius genus mollius multo et tenerius vidi anno 1579. Noribergæ in horto Oellingeri pharmacopœi & aromatarij; quod rubro flore erat: ipse pisum rubrum nuncupabat. Lotus siliquosus rubro flore.

Crescebat etiam in eodem horto trifolium quoddam

satis

Lagopus maximus Lobelij.





satis amplis foliis pro plantæ exiguitate, quod à magnis & membraneis vesiculis, quibus semen cum sua exigua siliqua continetur, vesicarium dixerunt etiam Mompellij vbi in collibus quibusdam nudis & petrosis cum Hyacintho autumnali aliquoties eruere memini.

Trifolium vesicarium.

CETERVM, *quoniam in Trifoliorũ historia versamur, obiter etiam hîc meminisse libuit Plantæ illius quam nonnulli Trifolium nobile, vel Trifolium aureum (Germanis enim* Gulden klee *dicitur) & Hepaticam trifoliam appellant.*

Trifolium nobile. Trifolium aureum. Hepatica trifolia.

Eius varietas.

Eam flore vel cæruleo, vel ad violaceum tendente alunt Belgicæ horti: alunt & flore rubello & albo munere Alphonsi Pancij Ferrariensis medici, qui eam nobis primùm misit Machliniam, atque etiam πολύανθον *cæruleo flore bis aut ter, sed quæ nunquam comprehendere voluit.*

Omnes autem præter polyanthon Viennensi agro inuenire licet. Nam Viennensis saltus & cæruleam præcocem, & eam quæ florem ad purpuram tendentem habet paulo serius florentem alit, tum etiam flore incarnato siue rubello & albo vbi aliquot eius plantas erui 1579. albam etiam prius apud Gamingam. Priores verò duæ non modò Viennensi agro, sed in omnibus Pannoniæ & Austriæ inferioris siluis abundanter proueniunt: quæ autem rubello est flore apud Nissam Silesiæ, & Ienam Thuringiæ etiam sponte nasci ab amicis accepi: at quæ albo est flore apud Sabaudos superato monte Senis iter in Galliam facientibus non procul à pago Lunenburg frequentissimam nasci mihi retulit D. Balthasar à Nerden Medicus.

FINIS.

PAVCA QVÆDAM

CIRCA NONNVLLAS PLANTAS AB IPSO AVCTORE OBseruata, dum eius Stirpium historia iam typis exprimeretur: quæ quoniam suis locis inseri non potuerunt, ad operis calcem reiecimus.

LIB. I.

ad finem cap. 1. pag. 5.

CVM *Laurocerasum florentem, quando Pannonicas meas Obseruationes excudendas Plantino tradidi, nondum conspexissem: nulla florum mentio in eius historia facta est. At cùm huius anni octogesimi tertij supra millesimum & quingentesimum, mense Maio egregiè floruerit D. Aicholtzio, qui eius vnicum fruticem in fictili alit; illius iconem atque descriptionem ad Obseruationum calcem adiicere, & Lectoris oculis spectandam proponere libuit.*

OBLONGAS *in summis vetustis ramis inter superioris anni folia fert hastulas digitalis longitudinis, crassiusculas, in quibus breui pediculo numerosi, & racemi in modum conferti, nascuntur flores, candidi, quinque foliolis constantes, multis in vmbilici ambitu staminulis præditi, (Cerasi auium floribus non admodum dissimiles, odoris expertes, qui nullum fructus rudimentum præbuerunt, sed caduci admodum fuerunt. Supra hos deinde rami germinãt, & nouella folia protrudunt.* Laurocerasi flos.

Ad finem historiæ *Euonymi.* 1. cap. 26. pag. 96.

SED *& hic Euonymi pannonici prioris iconem cum suo flore exhibere voluimus: cuius, vti in eius historia* Euonymi 1. flos.

Laurocerasi flos.



Euonymus 1, siue latifol. cum suo fructu.



diximus, binas plantas adhuc alit D. Aicholtzius. Harum etenim altera hoc anno 1583. mense Maio oblongos tenuésque inter infima folia pediculos protulit, è quibus aliquot dependebant flosculi, quatuor foliolis albicantibus, & ad carneum quodammodo colorem tendentibus, præditi, forma vulgaris Euonymi floribus persimiles: quibus successit fructus, vt in vulgari, quadrangulus, aut interdum quinque angulis constans, maior tamen, atque quodammodo alatus, maturitate dehiscens, & alba grana, aurea pulpa inclusa, Augusto mense continens.

Euonymi 1. fructus.

LIB. II.

ad calcem cap. 2. pag. 133.

CVM *porro hæc planta anno 1583. non modò egregiè floruerit Generoso Dn. Vlricho de Khunigsperg, qui superiore anno ingentem illius bulbum cum plerisque aliis elegantibus stirpibus acceperat: sed & semen ad frugem perduxerit, operæprecium duxi illius hoc loco meminisse.*

Habet verò flores quales in ipsius historia descripsi, in quibus tamen nullum tetrum odorem deprehendi: deinde subsequuta sunt sexangula capita, Tusái capitibus ferè similia, sed minora & breuiora, semine Tusái etiam simili, paululum tamen breuiore, plena.

Lilij susiani semen.

Floret autem, atque illius semen maturitatem consequitur, eodem ferme quo Tusái tempore.

Cap. 3. pag. 136.

ante articulum *Videtur autem &c.*

Pictura etiam illa quam Russius donauit, viginti aut plures flores extimo caule prodeuntes expressos habet.

Sed

Sed & hoc anno 1583. Magnificus ac Generosus Dn. de Entzestorf bulbum inter reliquos habuit, qui extimo caule cóque vnciam lato tredecim flores saturatius rubentes (etenim inter hos flores alij aliis dilutiores sunt) & aspectu elegantissimos protulit, cùm præcedente anno quinque duntaxat tulisset. Floribus autem succedũt capita, iis quæ in Lilio siluestri siue montano nascuntur plurimum respondentia, atque eiusmodi semen paleaceum continentia, quod sero admodum maturescit, videlicet sub Augusti finem. Lil. rubrum polyanthum.

Cap.6.pag. 166. ante articulũ NON *omnes porro &c.*

SILENTIO *autem minimè premenda existimaui, quæ plenius cum à me, tum ab aliis (dum nostra Stirpium historia exprimeretur) de hoc flore obseruata sunt. Annis enim septuagesimo quinto & septuagesimo sexto supra millesimum & quingentesimum, magnam seminum è Tulipis congeriem terræ mandaui, quæ triennio ante ipsa bruma Byzantio ad Ill. Dn. Augerium de Bousbeque cum plerisque bulbaceis stirpibus perlata fuere. ex his ingens Tuliparum numerus prognatus est, quarum nonnullæ quinto, sexto, atque etiam sequentibus annis flores tulerunt insigni colorum varietate commendabiles. Nam & omnino flauos, & rubros, & niueos, & purpureos, vel ex his coloribus inter se cõmixtis distinctos, hoc est* L-V. R-V. A-V. P-V. *nactus sum, eósque omnes præcoces. Sed inter illos etiam fuerunt, qui mihi diligentius obseruanti, potius ad Dubiarum vel Serotinarum Tuliparum classem referendi videntur, quàm Præcocium: etenim licet æquali cum Præcocibus magnitudine assurgant, eodem tamen tempore cum Dubiis siue Serotinis florere animaduerti, tametsi Præcocibus in-* Tuliparum Constantin. sem. natarum insignis varietas.

 bus in-

bus interseruerim, Praecoces, ob colorum varietatem (quam in Serotinis nondum deprehenderam) esse existimans. Hactenus enim Serotinae, cum quae rubri, tum quae flaui coloris flore praeditae sunt, nullam mihi varietatem in satione pepererunt, nisi quod interdum ex rubrarum semine flauae, et contra ex flauarum semine rubrae natae sint, vnguibus saepenumero variantibus.

Tulipae serotinae versicolores Constant. sem. natae.

1. Dubiae *vero siue Serotinae Constantinopolitano semine natae, aut colore albo exoleto, qui ὠχρόλευκος dici queat, sunt, qualem superiore anno vnicam habui, foliis nimirum ex albo pallescentibus, eorumque dorso flauescente: illius autem interiora folia orbiculata sunt, vngues & stamina pallent. Eadem hoc anno 1583. longe ampliorem florem tulit, attamen colorem non immutauit.*

2. *Aut* A-V. *praecocis octauae flori omnino similes, vel iisdem quidem coloribus praeditae, sed qui modo intensiores, modo dilutiores inter se commisceantur, eaque aut omnia folia mucronata, aut interiora nonnihil orbiculata habent, oris ipsorum candicantibus, & vnguibus omnino exalbidis, qui nonnunquam etiam subcaerulea macula insigniantur, staminibus vel exolete purpurascentibus,*

3. *vel nigricantibus. Aut Purpurei coloris, nunc dilutioris & magis floridi, nunc saturatioris, cui tamē quaedam albicantes venae intermixtae videantur, vel purpurearum vuarum iam maturescentium colorem refe-*

4. *runt. Aut* P-V, *florum foliis dilutiore aut saturatiore purpureo colore praeditis, quorum vel omnium orae mucronatae, vel interiorum duntaxat orbiculatae, exalbidae sunt, vngues vel niuei, vel subcaeruleo colore interdum infecti, staminibus nigricantibus.*

T. versicolores R-V. semine natae

Semine *autem cuiusdam* R-V. *quae anno 1577. primum Bruxellae floruit, nactus est C. V. Ioannes Boisot, & quaedam nobiles Matronae etiam serotinas Tulipas mira*

pas mira colorum varietate ludentes. Nam & flauas, & pallentes, & ex albo pallescentes, & purpurascentes, & intensius vel remissius rubentes, vel laterítij coloris, atque alias alijs (vt ipse ad me scripsit) coloribus insignitas habuerunt. Ego sanè, cui ex eodem semine anno 1578. ab ipso communicato, atque hic Viennæ sequente Autumno terræ à me credito aliquot natæ sunt, vnicam hoc anno florentem habui, quæ purpurei coloris exoleti fuit, foliorum oris albicantibus, & vnguibus albis, non multum absimilem nonnullis P-V. *quæ Constantinopolitano semine superius memorato natæ sunt.*

ad calcem 8. cap. pag. 179.

EODEM *porro Byzantio missi fuère anno 1582. Narcissi bulbi* Zerin cada catamer bianco *nomine, quorum nonnulli hoc anno mense Maio binos aut tres protulerunt flores niueos suauiter odoratos, extremo caule nudo, vt in aliis Narcissis, ex folliculo prodeuntes sed minores, medio etiam calyce niueo: folia cum iis quorum pallidus est flos conueniunt, atque polyphylli foliis angustiora sunt.* Narcissus Byzantin. totus niueus.

ad calcem cap. 15. pag. 197.

CETERVM, *quod silentio minimè premendum duxi, Generoso Dn. de Entzestorf, semine à me communicato natus est Hyacinthi bulbus, qui Aprili mense annis 1582. & 1583. niueos omnino flores protulit, alioqui forma & odore aliis orientalibus similes.* Hyacinthus niueus.

ad cap. 55. calcem pag. 401.

DE Hachal Indi, *siue Admirabilis Peruänæ radicibus superiore hieme periculum feci, & rem ita se ha-* Admirabilis radix peruanis.

bere, vt Volmarius admonuerat, deprehendi. Nam omnium trium radices hieme in æstuarium intuli, partim suis fictilibus in quibus satæ fuerãt, adhuc inhærentes, partim ex horto erutas, atque in vno aut altero fictili repositas & sicca terra obrutas, totáque hieme nullo humore aspersas conseruaui. Sed cùm Februario mẽse solidas eas inuenirem, atque nonnullas etiam germina iam protrudentes conspicerem, leuiter interdum aqua conspersi, donec Aprilis initio in hortum transferrem.

Trium porro generum semina (nam bina postremi generis grana anno 1581. collecta, è superiore 82. adhuc reliqua habebam) ineunte vere seorsim terræ mandaui: natæque sunt mihi plantæ suam speciem conseruantes. Verùm quæ ex radice repullularunt, multo citius adoleuerunt, multóque ampliores factæ, quàm quæ semine hoc anno natæ sunt, & aliquanto etiam maturius flores protulerunt, minores tamen, quàm semine hoc anno natæ, inter quas nonnullæ flauos omnino, nec vllo alio colore conspersos habent: eæ florum, qui in varia stirpe toti flaui fuerunt, semine natæ haud dubiè sunt, vt secundum genus ex rubrorum purpurascentium semine. Itaque huius Admirabilis stirpis plura tandem genera nascitura credendum est.

Admirabilis flauo flore.

LIB. III.

Cap. 13. pag. 478. ante articulum, *Floret.* *& frequentissimè vltra Posonium itinere Tirnauiensi.*

cap.

Cap. 21. pag. 502. ſecundus articulus immutandus, & tertius alius addendus, vti qui nunc tertius eſt, quartus ſit, mutatis quibuſdam vocabulis, hoc modo.

ALIVD *autem genus obſeruaui, quod licet foliis totáque fere reliqua facie cum vulgari conueniat: floribus tamen plurimum ab ea differt, quippe qui ampli admodum ſint, Alceæ floribus etiam maiores, colore tamen illi vel reſpondentes vel fere omnino candicantes, quibus ſemen vulgari ſimile calyculis incluſum ſuccedit.* II. Althææ varietas.

TERTIVM *genus eſt, ab illo forma minimè differens, niſi quod illius floribus minores flores hoc obtineat, & vulgari aliquantulum maiores.* III.

VERVM *reperire eſt Quartum quoq. genus &c.* IIII.

MENDÆ NONNVLLÆ QVÆ irrepſerunt, ſic corrigendæ.

Primus numerus paginam, alter verſum denotat.

In Epiſtola ad Lectorem pag. 4. verſ. 4. NVNC
verſ. 14. *milleſim. & quingenteſim.*
pag. 6. *verſ.* 6. CLVSI *nō* CLVSI.
pag. 5. *margine* Caſta. equinæ.
23 22 *viſu rad*
28 *è tuberculis*
30 1. *interdum*
9. *iuniperinis*
65 *marg.* Chamæciſtus
98 *in titulo* Cocconelcia.
101 2. *Hendl*
5. keto fiz *appellant.*
107. *in marg.* Sp. inf altera.
136. 2. *lato* 23. *flo.*
142. 24. *è Bel.*
154. 22. *odorus.*
162. 32. *exortum,*
166. 20. *palmarem*
174. *in tit.* Narciſ. alter p. f.
181. 25. *extremitates*
188. 27. *hortis*
211. 32. *humus P.*
216. 3. *rotunda, can*
223. 27. *difficile eſt.*
243. 1. *unciam peregrinationem*
13. *locum*
245. 33. *radicem*
255. 17. *Auguſto*
262. *in titulo* Pſeudo Aſphodelus
280. 1. *noſtris hortis p.*
26. *oblongas fibras eiuſd.*
282. 26. *muribus araneis*
284. 17. *aliquot oblongas l.*
286. 17. *pura*
288. 8. Himmelſtengel
290. 9. *nomine deſ.*

310. 17. frata
367. 27. *ſuſtinent*
382. 5. *oblongiori*
391. 18. *Quod ſi autem*
395. 11. *ſex ta*
397. 28. *excidens*
409. 15. *autem Na.*
428.
429. *figuræ ſunt tranſpoſitæ*
432. 6. *Sacktwrnja*
30. *addit*
446. 7. *alteroque*
480. 31. COIT
516. 25. *Sebizio*
537 9. *rotundus,*
540. *in titulo* Scabioſa V.
549. 15. ante *A mulierculis* adde *Anno tamen* 1582. *ſub Kitzey & Hamburgenſi monte, atque etiam non procul Tirnauia frequentiſſimam obſeruaui, eaque de cauſa, Pannonica cognominari etiam poterit.*
553 *hæc Abſinthij figura eſſe debebat pag.* 555 *ſub eo qui iſthic eſt titulo.*
555. *poni debet figura quæ eſt pag. ſequente cum titulo* Abſinthium Auſtriac. tenuifolium.
570. *titulo* V. n. legitimum.
582. Hormini 11. *tertia ſpecies eſſe debebat pag.* 581.
596. *expungenda figura.*
622. 12. *alterutram.*
637. 13. Engleborow.
671. Pulmonariæ 111. *titulus & figura expungenda.*
709. *in tit.* Alectorolophi 111. alterum genus.

Conyza III. Pannonica.

Pag. 525. addenda hæc figura.



Parthenium polyphyllo flore.

Pag. 561. hæc figura desideratur.



Veratrum nigrum II.

Pag. 571. hæc figura ſubſtituenda.



Orobus II.



Pag. 738. in figura erratū est, pro qua hæc sufficienda.



INDEX PRIOR

STIRPIVM QVÆ IN HOC LIBRO

CONTINENTVR.



Chamæ-

D.

Hesperis

I.

L.

T.

ALTER

ALTER INDEX STIRPIVM PEREGRINIS, PANNONICIS, ET VVLGARIBVS LINGVIS expreſſarum nomenclaturam continens.

Erd

Kachchi

Schwins

Zaremca-

Z.

FINIS.